Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
H
29 D
NAPOLI

XLIX
H
29 d

ANNALES
MINORUM

Digitized by Google

ANNALES
MINORUM
SEU
TRIUM ORDINUM
A S. FRANCISCO INSTITUTORUM
AB ANNO MDCI. USQUE AD ANNUM MDCXI.

CONTINUATI

A

P. F. STANISLAO MELCHIORRI DE CERRETO
PICENAE PROVINCIAE FILIO
MINORUM OBSERVANTIUM S. THEOLOGIAE LECTORE IUBILATO
EX-DEFINITORE GENERALI
ACADEMIARUM VOLSCIORUM ET QUIRITUM SOCIO

TOMUS XXIV.



ANCONAE
TYPIS GUSTAVI SARTORI CHERUBINI
MDCCCLX.

NAPOLI

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

ANTONIO BENEDICTO ANTONUCCI

S. R. E. CARDINALI ETC. ETC.

FR. BERNARDINUS A MONTEFRANCO

MINISTER GENERALIS ORDINIS MINORUM

Opus de franciscalium commentariis iam absolutum cum modo sit praelo mittendum, fratrum minorum familiae gloriam valde augerem, si clarissimi nominis tui illius frontem illustrarem. Tot enim et tam amplis meritis coruscas, ut si cuncta commemorare vellem, narrandarum rerum copia me imparem esse profitear. Adhuc florenti aetate tuis laudibus resonavit florentissima Urbis academia, ubi humanis divinisque literis sedulo vacans, prae nimia ingenii tui facilitate iuris utriusque honoris gratia ac sacrorum fidei dogmatum doctoris laurea donatus, ad officia quaeque ecclesiastica obeunda satis superque te accommodum reddidit atque paratum.

Hinc inter doctissimos societatis catholicae merito delectus ac equitum Mauritianorum magna cruce exornatus, summi pontificis voluntate diu per Hollandiam et per Belgium ad procuranda catholicae ecclesiae negotia adveniens, tui eloquii copia mo-

Digitized by Google

runque suavitate arduum opus tibi commissum fauste explevisti. Mox sedibus episcopalibus Feltrodunensi et Ferentinati praepositus domusque pontificalis ad solium adstator et ad archiepiscopatum Tarsensem delectus, legatusque antistitis maximi in tanta temporum difficultate apud Sardiniae regem destinatus, ubique gentium eximia prudentia ac animi fortitudine principis, cleri et populi desiderium promeruisti, ac catholicae ecclesiae libertatem et romani pontificis iura strenue adseruisti.

Hisce in rebus gerendis summam animi tui dexteritatem demiratus summus pontifex, Anconitanae ecclesiae te pastorem praefecit; et cum gregem tibi commissum praecipuarum virtutum splendore, fidei morumque cura ac piis monitis ad salutis aeternae semitam terendam mire iugiter excitas, velut patrem amantissimum cuncti te reverenter colunt, tuique erga oves tibi concreditas singularia amoris argumenta sedulo exhibes.

Illud tamen commendandum inter caetera venit egregium tuae pietatis factum, quod cum in Urbe una cum ferme universae ecclesiae episcopis pro definiendo Deiparae virginis immaculato conceptu versareris, vix tibi innotuit dire inter tuos anconitanos cives asiaticum lethiferum morbum saevire, Urbe illico relicta, quin valediceres ne propinquis quidem tuis Sublaci incolentibus, Anconam repetens, moerentes filios tuos lue perculsos amplis largitionibus recreabas ac benigne solabaris.

At praecipua animi tui magnitudo eluxit in sublevanda illarum virginum inopia quae, pestilentia grassante, parentibus orbatae, miseram aerumnisque plenam vitam ducebant. Ut a tot tantisque ingruentibus malis eas cito eriperes, refectis ampliatisque orphanatrophii s. Caietani aedibus, larga impensa tua quinquagenas puellulas eo, plaudentibus omnium ordinum civibus, adduxisti in omni virtutum cultu erudiendas.

Tam illustre tuae munificentiae exemplum meritorum tuorum laudem longe adauxit et ad altiora ecclesiastica fastigia te dignum reddidit. Iure igitur clementissimus PIUS PAPA IX. *inter purpuratos sanctae romanae ecclesiae patres te adlegens, laetitia gestientes cuncti tuam assequutam dignitatem celebrarunt.*

Nos tibi tantis honoribus meritisque insignito gratulamur, tuamque erga pusillum ordinem nostrum observantiam prope singularem commendamus; et dum ad tuos pedes provoluti sacram purpuram venerabundi exosculamur, perpetuam tibi felicitatem a Deo suppliciter adprecamur.

Digitized by Google

IN ANNALIUM MINORUM
CONTINUATIONEM
PRAEFATIO

UT seraphicae historiae cultorum desiderio satisfaciam, annalium franciscalium XXIV. volumen publicis typis evulgo. In eo fratrum minorum acta ab anno MDCI. ad annum MDCXI. producta exploratis monumentis confirmata narrantur. Benevolum lectorem exoro, ut si quae ei minus concinna atque accurata in eo discurrendo occurrerint, aequo iudicio partiumque sententiis depositis emendare studeat. Cuncta vero et singula in iis commentariis annotata placito summi magnique pontificis PII papae IX. fidei ac morum vindicis supremi submissis genibus defero, eique in tanta temporum acerbitate libertinorum furore exagitato, invicto animo adhaerens, misericordiarum Patrem deprecor, ut pacatis sui principatus motibus, totius vitae suae cursu sedeat in pulchritudine pacis.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPROBATIONES

I.

STrenuus Waddingi continuator ac aemulator p. Stanislaus Melchiorri de re historica bene mereri pergit: et quidem mea opinione, ni vehementer fallor, felici successu, diiudicans ex hoc volumine XXIV. de quo recognitionem suscepi iussu supremi nostri moderatoris p. Bernardini a Montefranco. In eo, nedum quidpiam offendi a catholica doctrina alienum et absonum, sed talem prorsus Auctorem se praebere suspexi, qualem esse historicum oporteat: ut intelligentem et accuratum, ita affectibus liberum et incorruptum, ut ne quid falsi scribere sumat, ne quid veri non audeat, dubia ut dubia, tamquam certa nonnisi vere certa referat absque gratiae suspicione, quemadmodum et simultatis. Francicalium autem narratio gestorum ita procedit, ut servata temporum ratione, dum illa a recondito proferuntur in lucem et patefiunt, propter connexionem, quam seraphicus ordo qua late patet, cum universali habet historia, huic etiam illustrandae facem pro occasione afferat peropportunam. Opus propterea non solum nostratibus, sed et externis historiae amatoribus profuturum, si publici iuris fiat.

Datum Romae ex coenobio Aracoelitano die XIV. Martii MDCCCLVIII.

F. PAULUS PORETTI A MORETTA
ord. min. theol. rev. archiep. Terrae Sanctae ex-praeses, commissarius et definitor generalis.

II.

DE mandato reverendissimi in Domino patris Bernardini a Montefranco generalis ministri, hoc etiam annalium ordinis nostri volumen in progressione XXIV. ab eodem praeclarissimo adm. r. p. Stanislao Melchiorri a Cerreto ex-definitore generali non sine improbo labore perbelle degestum, accuratius pervolutavi: et ne iota quidem unum a religione catholica, honisque moribus absonum occurrit in omnibus sive provinciarum, conventuum, monasteriorum erectionem respicientibus, sive viros sanctitate, doctrina, ecclesiasticisque dignitatibus florentes: sive denique facta peregrina, tenebrisque hucusque involuta, quae authographis undique perquisitis manuscriptis, de Indiis praesertim Orientalibus et Occidentalibus stylo prosequitur Auctor ab anno MDCI. ad MDCXI. Quinimo omnia ad meliora fidei pietatisque aemulanda charismata movent, ac non parum utilitatis afferunt universali illius temporis historiae, quae utique vitae magistra est et lux veritatis. Perdignum igitur quod typis mandetur.

Datum Romae ex conventu Aracoeli die XXX. Aprilis MDCCCLVIII.

F. ALPHONSUS MARIA A PADULA
lect. in s. theol. iubil. ex-provincialis et definitor generalis.

FACULTAS ORDINIS

FR. BERNARDINUS A MONTEFRANCO

REGULARIS OBSERVANTIAE

S. P. N. FRANCISCI

IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, PROVINCIAE SERAPHICAE EX-MINISTER, EX-CUSTOS TERRAE SANCTAE ETC.
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS, COMMISSARIUS, VISITATOR, REFORMATOR APOSTOLICUS, HUMILISQUE IN DOMINO SERVUS.

DECRETUM

CUm opus compositum ab Adm. Rev. Patre Stanislao Melchiorri de Cerreto nostrae observantis picenae provinciae filio, lectore iubilato, ex-definitore generali, cuius titulus est: *Annales Ordinis Minorum continuati* tomus XXIV. annos a MDCI. usque ad MDCXI. complectens, a duobus ordinis nostri patribus a nobis deputatis revisum et approbatum fuerit, et quidem prout important nostri ordinis constitutiones, vigore praesentium facultatem eidem facimus, quatenus servatis servandis illud typis mandare possit.
Datum Romae ex Aracoeli die II. Maii MDCCCLVIII.

F. BERNARDINUS
Minister Generalis

L. ✠ S.

De mandato Rmi in Christo Patris
F. IRENAEUS A PLANIS
lect. iub. secret. gen. ordinis

Digitized by Google

ANNALIUM

ORDINIS MINORUM

CONTINUATIO

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1601.	an. 9, et 10.	anno 25.	anno 394.

ARGUMENTUM

Recallectarum fratrum familia apud Gallos propagatur, Coenobia et sorarum domicilia multiplicantur. Pie decedunt virgines ac viri Dei, aliique eximia sanctitate inclarent. Viri docti florent, et instituuntur episcapi. Aliqua venerabilium fratrum corpora transferuntur. Sodalium numerus augetur apud Insulas Philippinas. Instauratur missio evangelica apud Iapones, ubi sancte obit Hieronymus a Iesu. Plura indulget pontifex Martina Iulano provinciae Hungariae ministro. Mandata et pontificis indulta, ac ss. cangregatianum decreta notantur.

Cum recollectorum fratrum familia, quae paulla ante Bonaventurae generalis ordinis administri opera in provinciis Aquitaniae, Fraociae, Franciae Parisiensis, et Turooiae Pictaviensis altas radices iam egerat, in caeteras quoque illius ditionis provincias instar fratrum reformatorum Italiae se proferre cuperet, supplices literas dedit ad romaoum pontificem, ut eorumdem votis benevole satisfaceret. Annuit pontifex hac vulgata coostitutione. De Gubernatis tom. 2. pag. 401.

Digitized by Google

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Idem ibid pag. 402. Pro iniuncti nobis apostolici muneris ratione de statu religiosorum quorumcumque, qui sub voluntariae paupertatis habitu militantes, in habitu humilitatis et spiritu Deo vota reddere satagunt, paterna charitate soliciti constitutiones et ordinationes summorum pontificum ad eorum prosperum regimen et gubernium provide factas, nonnullis mutatis seu adiectis pro locorum et temporum qualitate libenter confirmamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

§. 1. Dudum siquidem a fel. rec. Gregorio papa xiii. praedecessore nostro emanarunt literae tenoris subsequentis, videlicet Gregorius papa xiii. ad perpetuam rei memoriam. Cum illius vicem, meritis licet minime suffragantibus, geramus in terris, qui pacem in terras intulit charitatemque ad invicem prae caeteris omnibus eius fidelibus praecepit, officii nostri debitam prosequimur actionem, si regularium personarum quae relicto saeculo sub suavi voluntariae paupertatis iugo Dei obsequio se dedicarunt, pro commisso nobis officio, concordiae ac quieti consulere cupientes, pacem et charitatem inter ipsos inducere, inductamque confovere, et quae eis contraria sunt, falce vigilantiae pastoralis ad radicem posita, prout rerum et temporum qualitas requirit, quantum nobis ex alto conceditur, totis viribus curemus.

§. 2. Sane licet alias per fel. rec. Clementem vii. praedecessorem nostrum multa ad quietum et tranquillum statum pertinentia dilectorum filiorum professorum ordinis fratrum minorum s. Francisci de strictiori observantia reformatorum nuncupat. (ut qui regulam ipsam b. Francisci pure et plene iuxta illius literam, et declarationes Nicolai iii. et Clementis v. romanorum pontificum praedecessorum nostrorum, ut veri b. Francisci filii et alumni observare contendant) edita et statuta fuerint, ut in literis Clementis vii. sub datum Romae etc. xvi. cal. Decembris pontificatus sui anno ix. latius continetur.

§. 3. Nihilominus quidam ex reformatis supradictis nobis detulerunt, quod ipsis reformatis quamplures perturbationes, damnaque non mediocria a dilectis filiis fratribus minoribus de observantia nuncupatis, sub quibusdam praetextibus, etiam contra dictarum literarum Clementis vii. formam inferebantur.

§. 4. Nos igitur eorumdem fratrum reformatorum nuncupat. quieti et indemnitati, eiusdem ordinis prosperitati ac propagationi consulere volentes, venerabilibus fratribus nostris s. r. e. cardinalibus super causis episcoporum et regularium deputatis, atque etiam eiusdem ordinis praedicti protectori causam huiusmodi audiendam et cognoscendam commisimus. Qui re mature discussa, necnon quorum interest aut intererat, partibus auditis, literisque Clementis vii. praedictis plene consideratis, nobis retulerunt, quae reformationem huiusmodi magis prospere dirigere visa sunt. Quare de eorumdem cardinalium consilio, literis Clementis vii. praedictis addenda quaedam decrevimus.

§. 5. Itaque volumus, et apostolica auctoritate statuimus et ordinamus, ut novitii reformatorum praesentes et futuri annum continuum inter dictos reformatos agant ad deliberandum, an inter reformatos praedictos permanere velint a die ingressus in custodias seu loca reformatorum. Si vero in familia fratrum de observantia professionem emiserint, et ad reformatos de strictiori ob-

servantia transierint vel in futurum transire voluerint, habeant itidem annum continuum a die ingressus ad deliberandum, an remanere in hac strictiori observantia voluerint.

§. 6. Post praesentium autem nostrarum publicationem et dictum annum completum, declaramus praedictos professos extra reformatos haberi ut professos inter custodias reformatorum, nec ipsos sicut nec alios inter easdem custodias professos ab iis, sine speciali apostolicae sedis licentia, recedere posse sine apostasiae nota. Quo etiam anno peracto, tam novitios in custodiis expresse professos, quam professos in familiio, et in custodiis annum continuum agentes, volumus ad puram et plenam regulae s. Francisci observantiam iuxta ipsius literam, ac Nicolai III. et Clementis V. romanorum pontificum declarationes, et Clementis VII. literas praedictas teneri; nec ab ea, reformatorumque ipsorum obedientia recedere, minusque a reformatis ipsis expelli valeant, nisi incorrigibiles iuxta antiqua eorum instituta hactenus observata, et nisi qui ad capucinos transeundi licentiam in scriptis iuxta Pauli III. et Iulii III. literas a proprio custode obtinuerint.

§. 7. Liberum vero sit eidem custodi, etiam nullo ministri provincialis vel aliorum suorum praelatorum habito vel requisito consensu vel licentia, nulloque cum iisdem verbo facto, per se vel alium iuxta concilii Tridentini formam atque ordinis consuetudinem novitios, necnon et fratres ordinis praedicti de observantia, tam propriae quam alienae provinciae reformandos, ad ordinem ac professionem et reformationem pro sua custodia, absque ullo penitus impedimento, de consilio tamen et consensu fratrum illius loci, pro quo recipiantur, admittere.

§. 8. Teneantur autem minister provincialis, vel illo absente, praesidens capituli vel congregationis, et definitores in capitulis et congregationibus provincialibus, quando familiae mutari solent, ad petitionem dictorum reformatorum, alia etiam provinciae loca sive monasteria aliis reformatorum locis, quantum fieri poterit, contigua vel commoda, iuxta eiusdem Clementis VII. literas dare et assignare, et prioribus eorum locis addere; nec fratrum reformatorum paucitatem (dummodo ad decem fratres recipiendos sint idonea, vel brevi tempore in ea illos introduci posse sperandum sit) nec aliam quampiam excusationem, quominus id faciant, obiicere possint.

§. 9. Minister generalis dictorum fratrum de observantia tantum, minime autem provincialis sive alii dictorum fratrum de observantia praelati aut commissarii in dictos fratres reformatos, sive illorum custodias iurisdictionem, visitandique et corrigendi facultatem, sive per se ipsum sive per eiusdem ordinis, etiam alienae custodiae reformatos ipsos habeat; minime tamen possit aliquem ad praelationem vel officia etiam in custodia promovere aut correctionis vel quovis alio praetextu statutis, censuris, casibus, reservationibus propriis, vel ordinis reformatos subiugare, aut custodiae custodis vel fratrum reformatorum respective potestatem, facultatem, immunitatem, concessiones, gratias, statuta et pacem quovis praetextu, modo et quaesito colore directe vel indirecte annullare, suspendere, arctare, alterare, immutare, impedire, contrafacere aut inquietare; nec etiam de propria eorum custodia domibusque et locis, nisi pro aliarum custodiarum dicta visitatione dictos reformatos vel eorum aliquem amovere, extrahere, mittere, collocare vel retinere, nisi prout in singularum custodiarum capitulis vel ab ipso custode fuerit ordinatum, locaque huiusmodi eisdem reformatis fuerint assignata; et multo minus ad refor-

Digitized by Google

matorum vel custodiarum loca non reformatos, etiam novitios, vel monialium confessores, aut alios quoscumque etiam reformandos a reformatis non receptos mittere, aut in eisdem collocare vel retinere.

§. 10. Nec etiam reformati ipsi aliquem praedictorum non reformandum recipere, vel ad convivendum sive de familia in eorum locis retinere ullo modo possint, exceptis lectoribus a praelatis ipsorum licentiatis, propriae custodiae necessariis. Qui tamen in custodia vocem activam vel passivam habere non possint, sed illa ad reformatos tantum in custodia pertineat; exceptis quoque opportunis praedicatoribus similiter licentiatis vel impetratis, et haec pro tempora tantum necessitatis; sed sine consensu custodis in scriptis non possint quicumque dicti ordinis praelati, fratres non reformatos in auditoriis ad ipsorum locorum confines, iuxta morem ordinis pertinentibus ad praedicandum, nec eisdem confinibus quoscumque fratres ad eleemosynas colligendas destinare.

§. 11. Pro necessariis autem negotiis et de aliis piis causis possint custodes ad quaecumque ordinis et aliorum loca, etiam extra reformatorum custodias, maxime ad sedem apostolicam et ad totius ordinis protectorem, et pro praedicatione ire ac fratres suos mittere, sed causa manendi de familia in locis ordinis extra reformatos pro studio, vel alia causa nullo modo custodes, vel custodiae mittere vel licentiam dare, nec fratres ire vel manere, nec praelati ordinis eos recipere vel retinere possint.

§. 12. Capitula custodialia singulis annis in propriis custodiae locis distincte, et non extra custodiam per reformatos quando, et ubi per proprium custodem, vel custodiam fuerit constitutum, fiant; eant tamen et ipsi reformati ad capitula provincialia, ut in dictis literis Clementis VII. statuitur, et in illis vocem non activam tantum, sed passivam posthac habeant. Huiusmodi autem custodiarum capitulis solus custos, qui erit pro tempore, vel eo decedente, commissarius custodiae, vel ipse generalis minister, si personaliter tantum interesse voluerit, praesidere postbac valeat.

§. 13. In eis autem capitulis unaquaeque reformatorum custodia plenam et absolutam habeat potestatem quaecumque statuta et ordinationes, dummodo contra Deum, animam, ac regulam, et decreta concilii Tridentini non sint, iuxta literas Clementis VII. praedictas condendi et statuendi, nec in eo per ministros generales, vel provinciales vel eorum commissarios, aut alios dicti ordinis praelatos quomodolibet impediri valeat. Electione custodum per reformatos ad triennium facta, custodes per se, vel per literas in signum humilitatis confirmationem tantum infra mensem petere teneantur a ministro provinciali, quandocumque statim facto exhibendum. Possint autem custodes, etiam dum expectatur, et antequam petatur confirmatio praedicta, cum plena auctoritate libere officio suo fungi; quod si confirmationem huiusmodi intra tres dies non obtinuerint a sede apostolica ipso facto tenore praesentium confirmati censeantur; guardiani vero in capitulis electi, vel a custodibus instituti, a ministro vel alio quopiam confirmari deinceps non egeant, sed eorum institutio in capitulis vel extra ab ipsis custodibus facta sufficiat. Custos pro tempore electus, vel eligendus in suo officio a prima electione continuet ad triennium, videlicet ad capitulum custodiale usque, sive citra sive ultra triennium fiat, absque eo quod singulis annis rursus eligatur. Custodis autem successoris electio a custode praedecessore, guardianis et discretis locorum custodiae fiat; si tamen etiam intra triennium in singulis annualibus capitulis universitati ele-

ciorum videretur, custodem minime idoneum esse, et universitati reformatorum non utilem, alium sibi custodem ex regulae ipsius praescripto eligere possint et teneantur.

§. 14. Ipso autem custode decedente, alius custos extra capitulum posthac non eligatur, sed aliquis erit custodiae commissarius, usque ad proximum capitulum custodiale, prout reformati in sois capitulis ordinaverint.

§. 15. Potestatem vero eamdem habeant singuli custodes in suas custodias et fratres quam ministri provinciales in suas provincias et fratres habent, tam ex vigore regulae, quam ex romanorum pontificum concessis gratiis, dummodo huiusmodi strictioris observantiae reformationi non sint contrariae. Praesertim vero custodes possint loca ipsa iuxta eorum exigentiam resarcire et augere locis, quae guardianum habere non solent, ipsum guardianum in capitulis custodialibus constituere, et in eisdem capitulis, sive prout in illis fuerit ordinatum, praedicatores et confessarios saecularium, servata tamen forma concilii Tridentini, examinare et approbare, et illis officium praedicationis et confessionum audiendarum concedere, et ad illa promovere, atque a casibus et censuris praelatis ordinis reservatis, et reservandis per se absolvere, vel per alium absolvi curare, eos quoque qui idonei sunt pro suo arbitrio ad sacros ordines recipiendos approbare et mittere.

§. 16. Volumus tamen quod si in capitulis generalibus constitutiones aliquae vel decreta, praesentibus literis, et huic observantiae strictiori non contraria, sed quae magis oi favere videantur, ordinata fuerint, reformati ea observare omnino teneantur.

§. 17. Quo vero ad vestitum, induantur praedicti reformati vilioribus indumentis, et despecto colore, et possint ea repetiare secundum b. Francisci regulam.

§. 18. Literas vero praedictas Clementis VII. quatenus supradictis non adversantur, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus.

§. 19. Decernentes praesentes literas, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu, etiam ex eo quod omnes interesse habentes, vel fratres de observantia praedicti, aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, argui seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem sede apostolica emanatis, et imposterum emanandis comprehendi posse, sed illas pro omnibus et singulis praedictorum reformatorum custodiis, custodibus et fratribus reformatis praesentibus et futuris semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere.

§. 20. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac s. r. e. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Districtius inhibentes generali et provincialibus ministris dictorum fratrum de observantia nuncupat., et eorum commissariis nunc et in perpetuum pro tempore existentibus, et illorum generalibus, et provincialibus capitulis, personisque quibuscumque in illis congregandis, ac omnibus et quibuscumque quos praemissa concernunt, aut in posterum quomodolibet concernent, et quibusvis aliis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, et

conditionis fuerint, ne sub indignationis nostrae, et excommunicationis latae sententiae eo ipso, si contrafecerint, incurendae poenis, reformatos praedictos illorumque custodias, custodes, discretos, officiales, et fratres aut alios quoscumque, quos praemissa quomodolibet concernunt, aut in posterum concernent, quominus praedictis omnibus et singulis pacifice fruantur, seu praedicta omnia et singula suum debitum sortiantur effectum, impedire, retardare aut perturbare audeant vel praesumant.

§. 21. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Mediolanensi, et episcopo Laudensi, ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, necnon universis praelatis ac quibuscumque in dignitate ecclesiastica constitutis per praesentes mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum reformatorum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem pacifice frui et gaudere. Non permittentes, eos desuper per ministrum generalem, aliosque praedictos quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet ac rebelles, et praemissis non parentes, per sententias, censuras, et poenas praedictas incurrisse declarando, illosque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis etc.

§. 22. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis praesertim felicis rec. Leonis x. praedecessoris nostri super unione omnium fratrum minorum de observantia, et nuncupatione eorumdem, et aliis in dictis literis Clementis vii. contentis, et quae eidem Clementi placuit non obstare, necnon dicti Clementis vii. literis praedictis pro reformatis, et Bonifacii viii. de una et concilii generalis de duabus dictis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres dietas non trahatur, Bulla Aurea, Mari Magno, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis quibuscumque, dictique ordinis statutis, consuetudinibus, privilegiis, indultis, et literis apostolicis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate roboratis, etiam in forma brevis, vel quibuscumque verborum formis, solemnitatibus, clausulis, etiam insolitis, et quantumcumque fortissimis dicto ordini vel quibuscumque praelatis eiusdem in contrarium concessis, approbatis et innovatis, et in futurum concedendis, approbandis et innovandis, etiamsi talia forent, quod pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa, ac de verbo ad verbum etc. praesentibus insererentur, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris etc. Aut si aliquibus communiter vel divisim, ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 23. Caeterum quia difficile foret praesentes literas nostras, et literas Clementis vii. praedecessoris nostri, dictis reformatis, ut praefertur, concessas, ad singula quaeque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod transumptis praesentium literarum, et transumptis literarum Clementis vii. etiam impressis sigillo alicuius etc. Datum Romae etc. die iii. Iunii mdlxxix. pontificatus nostri anno viii. Cum autem novissime nos pro regimine et gubernio dictorum fratrum reformatorum nonnulla decreta seu ordinationes ediderimus, aut super his dilecto filio Bonaventurae ministro generali ordinis s. Francisci de observantia nonnulles facultates con-

cesserimus, prout in nostris desuper in forma brevis expeditis literis sub datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die VIII. Ianuarii MDXCIV. pontificatus nostri anno II. plenius continetur. Cumque pro felici statu et gubernio dictorum fratrum reformatorum expediat, praeinsertas Gregorii praedecessoris literas, et in eis contenta, exceptis infrascriptis, per nos confirmari, et a fratribus praedictis observari. Nos praedictorum literarum tenorem praesentibus pro expresso haberi, ac singulares fratres dicti ordinis reformatorum a quibusvis excommunicationis etc. de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium praepositorum sententia, praeinsertas Gregorii praedecessoris literas, ac omnia in eis contenta, salvis limitationibus infrascriptis, auctoritate apostolica tenore praesentium, quoad fratres dicti ordinis reformatorum in Italia existentes tantum, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Et pro maiori praemissorum firmitate literis nostris praedictis, quatenus in aliquo obsistent, specialiter et expresse derogamus.

§. 24. Quoad caput circa receptionem novitiorum per custodem faciendam, servetur etiam forma constitutionis fel. rec. Sixti papae v. praedecessoris etiam nostri super hoc editae.

§. 25. Quoad monasteria ipsis reformatis concedenda, volumus ut sint apta ad duodecim saltem fratres recipiendos et retinendos.

§. 26. Circa reservationem casuum servetur decretum a nobis super hoc editum.

§. 27. Quoad statuta et ordinationes de caetero faciendas, ultra ea quae in praedictis Gregorii literis disponuntur, volumus, ut nullo modo decretis per nos in nostra visitatione Urbis editis, neque aliorum summorum pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus adversentur.

§. 28. Quoad praedicatores et confessarios examinandos et approbandos volumus, ut in singulis capitulis custodialibus aliquot graves et periti viri ex fratribus cuiuscumque custodiae saltem tres deputentur, qui una cum custode ad mittendos ad praedicationem verbi Dei, vel audiendas confessiones, etiam ipsorummet fratrum, ac lectores publicos simul examinent, neque antea ad huiusmodi ministeria exercenda ab aliquo approbentur aut admittantur. Horum etiam cura sit examinare et probare; tam quoad doctrinam quam quoad mores promovendos ad quoscumque ecclesiasticos ordines; qua in re servetur decretum congregationis interpretum sacri concilii Tridentini nuper editum et promulgatum. Hi vero examinatores in huiusmodi officio confirmari nequaquam possint, sed in singulis capitulis custodialibus alii semper de novo ad hoc munus obeundum eligantur.

§. 29. Si quando praedictos reformatos accedere contigerit ad loca, ubi proprias habent domos seu conventus, volumus et praecipimus, ut ad conventus et domos illorum de familia, quae in eisdem locis erunt, divertere aut hospitari nullo modo possint.

§. 30. Decernentes praemissa omnia et singula perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, et per praefatos fratres reformatos perpetuo observari debere: praesentes quoque literas nullo tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu notari, argui, seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis di-

spositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas censeri. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et s. r. e. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, necnon irritum etc.

§. 31. Non obstantibus etc. Datum Tusculi sub annulo piscatoris die xii. Octobris mdxcvi. pontificatus nostri anno v.

Nos igitur cognoscentes, quod pro felici statu et gubernio dictorum fratrum reformatorum expediret, praeinsertas Gregorii praedecessoris literas, et in eis contenta, exceptis infrascriptis, quae nos confirmari et a fratribus praedictis observari, praeinsertas Gregorii praedecessoris literas quas ad fratres reformatos in Italia existentes tantum confirmavimus, et nonnulla adiecimus, prout in aliis nostris in simili forma brevis literis etiam plenius continetur. Cumque dilecti filii fratres reformati provinciarum Turoniae Pictaviensis, Franciae, ac Franciae Parisiensis eiusdem ordinis cupiant, easdem literas ad eos etiam extendi, nos illorum piis votis favorabiliter annuere volentes, praedictarum nostrarum tenores praesentibus pro expressis haberi, ac singulos fratres dicti ordinis reformatorum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus eorumdem fratrum reformatorum dictarum provinciarum regni Franciae nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Gregorii praedecessoris literas ac omnia in eis contenta, salvis limitationibus infrascriptis, auctoritate apostolica tenore praesentium, etiam quoad fratres dicti ordinis reformatorum, in omnibus utique provinciis regni Franciae tantum, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, et pro maiori praemissorum firmitate prioribus literis nostris praedictis, quatenus in aliquo obstent, specialiter et expresse derogamus. Caeterum quoad caput circa receptionem novitiorum per custodem faciendam, servetur etiam forma constitutionis fel. rec. Sixti papae v. praedecessoris etiam nostri super hoc editae; quoad monasteria ipsis reformatis concedenda volumus, ut sint apta ad duodecim saltem fratres recipiendos et retinendos. Circa reservationem casuum, servetur decretum a nobis super hoc editum; quoad statuta et ordinationes de caetero faciendas, ultra eas quae in praedictis Gregorii literis disponuntur, volumus ut nullo modo decretis per nos in nostra visitatione Urbis editis, neque aliorum summorum pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus adversentur; volumus, ut in singulis capitulis custodialibus aliquot graves et periti viri eligantur ex fratribus cuiuscumque custodiae saltem tres, qui una cum custode admittendos ad praedicationem verbi Dei, vel audiendas confessiones etiam ipsorum fratrum, ac lectores publicos simul examinent: neque antea ad huiusmodi ministeria exercenda ab aliquo probentur aut admittantur; horum etiam cura sit examinare et probare tam quoad doctrinam, quam quoad mores promovendos ad quoscumque ecclesiasticos ordines; qua in re servetur decretum congregationis interpretum sacri concilii Tridentini nuper editum et promulgatum: hi vero examinatores in huiusmodi officio confirmari nequaquam possint, sed in singulis capitulis custodialibus alii semper de novo ad hoc munus obeundum eligantur. Si quando autem praedictos reformatos accedere contigerit ad loca, ubi proprias habent domos seu conventus, volumus et praecipimus, ut ad

Digitized by Google

conventus et domos illorum de familia; quae in eisdem locis erunt, divertere aut hospitari nullo modo possint. Decernentes praemissa omnia et singula perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, et per praedictos fratres reformatos perpetuo observari debere; praesentes quoque literas nullo tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu notari, argui; seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi; sed semper ab illis exceptas esse et fore: et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutos, repositos, et plenarie reintegratos censeri; sicque per quoscumque iudices, et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et s. r. e. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: quocirca venerabilibus fratribus Lugdunensi et Turonensi archiepiscopis, et episcopo Parisiensi ac dilecto filio nostro et apostolicae sedis in regno Franciae nuntio, necnon universis et singulis archiepiscopis, episcopis, et ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque in dignitate ecclesiastica constitutis per praesentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se vel per alium seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecomque ubi. et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum reformatorum praedictorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos praemissis omnibus et singulis iuxta earum continentiam et teoorem pacifice frui et gaudere, non permittentes, eos desuper per ministrum generalem aliosque praedictos quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia omni appellatione postposita, compescendo: necnon legitimis super his habendis servatis processibus, illas sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, ac synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, etiam Mari Magno, Bulla Aurea, vel aliis nuncupatis ac quibuscomque dicti ordinis statutis et consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, tam eidem, quam aliis quibuscumque ordinibus eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in contrarium praemissorum in genere vel in specie etiam motu proprio et consistorialiter, vel alias quomodolibet concessis, ac pluries confirmatis et roboratis ac omnibus illis, quae dictus Gregorius praedecessor in suis literis voluit non obstare. Quibus omnibus et singulis eorum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque: volumus autem et auctoritate apostolica decernimus, quod transumptis praesentium literarum etiam impressis, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis et manu notarii publici

subscriptis eadem fides tam in iudicio, quam extra illud ubilibet adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xxvi. Martii mdci. pontificatus nostri anno x.

II. Quod ut facilius consequeretur pontifex, Ioannem de la Sage ex Franciae provincia recollectum suum commissarium apostolicum delegit hisce literis institutum.

Dilecto filio Ioanni de la Sage fratri ordinis minorum de observantia reformatorum nuncupat. s. Francisci salutem et apostolicam benedictionem.

Ex reg. secr. brev. in mense Aprili pag. 341.

De tua pietate, prudentia, fide, integritate ac religionis zelo, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, plurimum in Domino confisi, te propter dilecti filii ministri generalis ordinis fratrum minorum de observantia ab istis locis absentiam, commissarium apostolicum ac visitatorem dilectorum filiorum custodum et conventuum fratrum reformatorum ordinis minorum de observantia s. Francisci Turonen. Pictavien. Parisien. Burdigalen. et aliorum locorum regni Franciae, ad quos nuper literas reformationis nostrae pridem fratribus reformatis Italiae concessas extendimus, prout in nostris desuper expeditis in simili forma brevis litteris plenius continetur, auctoritate apostolica tenore praesentium facimus et deputamus. Dantes tibi plenam et liberam facultatem et auctoritatem literas nostras praedictas executioni demandandi, ac quoscumque fratrum reformatorum conventus regni Franciae visitandi, et reformandi iuxta praedictarum literarum praescriptum, necnon capitula custodialia celebrandi ac alia faciendi, gerendi et exequendi, quae ad huiusmodi reformationem stabiliendam, ac ad prosperum statum et felix gubernium eorumdem fratrum reformatorum cognoveris pertinere, necnon contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compellendi, mandantes in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis custodibus et fratribus praefatis caeterisque ad quos spectat, ut tibi in praemissis pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent. Non obstantibus etc. Volumus autem, ut finita visitatione et celebratione capitulorum custodialium huiusmodi, tu ab huiusmodi munere absolutus sis eo ipso, ac ad conventum tuum redire tenearis.

Datum Romae apud s. Petrum die xvii. Aprilis mdci. pontificatus nostri anno x.

III. Henricus ipse iv. Galliarum rex recollectorum conversatione ac vitae exemplo illectus, eosque velut amantissimus pater fovens, sui regni proceribus iussit, ut summi pontificis mox datas literas executioni mandarent.

Henricus Dei gratia rex Galliae et Navarrae amatis et fidibus personis curias nostras parlamentorum Tolosae et Burdigalae tenentibus, et aliis curiis supremis, iudicibus et vicem gerentibus omnibus et singulis salutem.

De Gubernatis tom. 2. pag. 409.

Cum bona et laudabilis vita religiosorum reformatorum s. Francisci recollectorum nuncupat. qui in diversis regni nostri provinciis dispersi sunt, ad nos usque pervenerit, et de progressu quem faciunt ad augmentum religionis catholicae, apostolicae et romanae in omnibus locis

in quibus morantur, certiores facti fuerimus; nos dictos religiosos contra omnes perturbationes a fratribus dicti ordinis s. Francisci observantinis nuncupatis et aliis factas protegere cupientes, visa ss. domini nostri papae quam ipsis concessit bulla, volumus et mandamus, ut non obstantibus omnibus statutis et constitutionibus his contrariis dictos religiosos recollectos per modum provisionis, donec a nobis aliter fuerit ordinatum, faciatis permanere in locis, in quibus nunc morantur, absque ullo impedimento activo vel passivo; quod si aliquod evenerit, ab eo quam citius redimatis. Non obstantibus quibuscumque arrestis, edictis et literis his contrariis, quorum omnium si quaedam intervenissent, tenorem suspendimus, donec aliter, ut dictum est, a nobis fuerit ordinatum, quod volumus significari partibus adversis dictorum religiosorum recollectorum, et aliis ut opus fuerit, per primum cursorem et apparitorem ad hoc deputatum, cui committimus et iniungimus omnes actas, et expeditiones facere, absque ulla alia petitione placet visa. parentis; nam sic volumus.

Datum Parisis die XVIII. *Iulii anno Domini* MDCI. *et regni nostri* XII.

IV. Quare cum recollectorum numerus praesertim in Aquitania iam auctus esset, aliis literis datis Francisco cardinali Tolosano voluit pontifex, ut praeter assignata, alia etiam coenobia recollectis concederentur.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio nostro Francisco tituli s. Petri ad Vincula presbytero cardinali de Tolosa nuncupat. salutem et apostol. benedictionem.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius fr. Ioannes de la Sage ordinis fratrum minorum de observantia reformatorum nuncupat. professor, commissarius et visitator pro reformatione introducenda in regno Franciae apostolica auctoritate deputatus, quod dilecti filii fratres eiusdem ordinis reformati nuncupati provinciae Aquitaniae ab hinc sexdecim annis vel circa, duas habuerunt a dilectis filiis fratribus eiusdem ordinis de familia nuncupatis domos, sed adeo dirutas, ut in earum altera vix tres aut quatuor, in altera vero sex vel septem fratres permanere possent, et nihilominus fratres reformati praedicti huiusmodi domos eorum laboribus et piis christifidelium largitionibus ita restaurarunt, ut ad praesens in earum singulis sufficiens fratrum numerus commode degat; successu vero temporis, quia dicti fratres de familia ac plurimi saeculares reformationis fructum acceptantes, et sub suavi religionis huiusmodi reformatae iugo Altissimo famulari cupientes, in maximo numero concurrebant, tres aliae domus ad usum eorumdem fratrum reformatorum constructae fuerunt; ad quos postquam perfectae fuerint, tantus fuit fratrum concursus, ut alias domos aedificare necesse fuerit; sed quia similia opera illos a solitis religiosis functionibus admodum distrahebant, et nihilominus non habent loca ad recipiendos novitios, cupientes sibi per dictos fratres de familia provideri, curarunt per dilectum filium custodem eiusdem provinciae ad nos habere recursum, prout idem custos habuit, et per alias nostras in simili forma brevis desuper confectas literas, circumspectioni tuae iniungi obtinuit, ut unam seu duas domos, prout Ex reg. secr. brev. in mense Augusto pag. 270.

melius sibi expedire visum foret, pro novitiatu in eadem provincia constitueres. Cumque dubitaret, ne tu in Galliam reversus in partibus circa Lutetiam occupatus, Tolosam tardius te conferres, instante novae habitationis necessitate, dictus custos institerit apud dilectum filium nostrum Hieronymum tituli s. Pancratii presbyterum cardinalem Matthaeum nuncupatum eiusdem ordinis protectorem, et obtinuit mandari sibi assignari duas dicti ordinis domos parvas nuncupatas, Tolosam videlicet et Burdigalen.; hoc tamen significato dilecto filio ministro provinciali de mense Maii anni proxime praeteriti in civitate Mirapicen. celebrato, mandato dicti Hieronymi cardinalis, dictus custos praedictas parvas domos obtinere non potuit; quare cum tu tandem Tolosam pervenisses, in executionem dictarum literarum duas domos, unam nimirum in Lemovicen. et alteram in Tutellen. civitatibus ex dictis quinque domibus iam per dictos fratres reformatos obtentis pro novitiatu constituisti, sed neque in congregatione de mense Maii proxime praeterito per fratres dictorum ordinis et provinciae in civitate Tolosana celebrata, custos praedictus aliquid obtinere potuit a praedicto ministro, qui etiam ab executione nostrarum literarum per te facta appellare ausus fuerit. Cum autem sicut dicta expositio subiungebat, instat necessitas assignandi loca pro iis, qui in dies reformationem praedictam acceptare velle se offerunt, neque pio operi huiusmodi convenire videatur, ut aliud capitulum provinciale pro facienda desuper apud ministrum et fratres de familia praedictos nova instantia expectentur, neque spes sit, ut fratres de familia praedicti absque serio mandato per dictas parvas domos dictis fratribus reformatis concedant; cum etiam in provincia s. Ludovici minister cum definitoribus in capitulo eodem mense Maii celebrato fratres reformatos a duabus domibus, in quibus iuxta huiusmodi reformationem vivebant, sub praetextu universalis praedictae provinciae reformationis exemerint, ideo nobis humiliter supplicari fecit, exponens praedictus, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur piis religiosorum votis, per quae ad eorum reformationem aspirant annuere, et magnas atque amplas Franciae civitates huius sanctae reformationis exemplo et fructu prospicere cupientes, ipsumque exponentem a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, quatenus duas parvas praedictas Tolosanam nempe et Burdigalensem omnino, et insuper in dicta provincia s. Ludovici alias duas domos, in quarum singulis duodecim ad minus ex ipsis fratribus reformatis degere valeant, etiam ante tempus capituli provincialis auctoritate nostra assignes, et ad singulas domos huiusmodi assignandum et dimittendum dictos fratres de familia per censuras ecclesiasticas, ac omnia alia iuris et facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio cogas et compellas, praesentesque literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae seu quovis alio defectu notari, argui seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas censeri, sicque et per quoscumque iudices et commissarios qua-

Digitized by Google

vis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, et s. r. e. cardinales iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane declaramus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XX. *Augusti* MDCI. *pontificatus nostri anno* X.

V. Cum autem post mortem laudati Ioannis de la Sage commissarii accepisset pontifex a Nathanaele item de la Sage loco eius delecto hoc anno: *Nuper die* XIII. *Augusti*, multos ex singulis regni provinciis recollectorum vivendi normam sequi velle, sequentem literam item vulgavit pontifex, qua inter caetera eisdem datur facultas ubique novas aedes recipere vel de novo excitare.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Nathanael de la Sage ordinis fratrum minorum de observantia reformatorum nuncupat. professor, quod in nonnullis provinciis regni Franciae aliquibus ab hinc annis plures fratres minores de observantia nuncupati, reformationem eiusdem ordinis a sede apostolica approbatam acceptarunt, et in dies acceptant; et licet aliquae domus regulares ad usum eorumdem iam destinatae reperiantur, nihilominus tantus est illorum numerus, qui reformari cupiunt, ut alias domos non tantum in praedictis, sed in aliis etiam dicti regni provinciis destinari necesse sit; quare humiliter supplicari fecit dictus exponens (qui etiam in regno Franciae fratrum dicti ordinis commissarius ac visitator auctoritate apostolica deputatus reperitur) ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur religiosos ac alios christifideles sub suavi religionis reformatae huiusmodi iugo Altissimo famulari volentes, in eorum proposito confovere cupientes, ipsumque exponentem a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in dicto regno constitutis, ac dilectis filiis eorum officialibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut quoties pro parte eiusdem exponentis fuerint requisiti, in singulis dicti regni provinciis, in quibus reformatio huiusmodi introducta adhuc non fuerit, unam seu duas prout numerus fratrum qui reformationem acceptare velint, requiret; in iis vero in quibus reformatio ipsa introducta reperitur, et numerus tantus sit ipsorum reformatorum seu reformari cupientium, ut de novis habitationibus eisdem sit providendum, similiter unam vel duas domos ad illorum usum etiam extra capitula provincialia (dummodo communitatum ac universitatum, seu dominorum in temporalibus civitatum, terrarum et locorum, in quibus dictae domus sitae fuerint, consensus accedat) assignent, et ad id praedictos fratres de familia, eorumque ministros provinciales et alios superiores, et etiam per censuras ecclesiasticas, ac aliis omnibus iuris et facti remediis opportunis cogant et compellant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Ac insuper tam exponenti praedicto, quam omnibus et singulis aliis superioribus praesentibus et futuris, ut omnia et singula loca tam ad usum claustralium reducta, quam redigenda sibi ad effectum introducendi iuxta nostram constitutionem desuper editam, reformationem per communitates, universi-

De Gubernatio ord. pag. 404.

tates et dominos in temporalibus praedictos eis donanda et assignanda acceptare, et in eis iuxta reformationem in secundo dictis literis degere, et proximiori custodiae unire et incorporare libere et licite valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam concedimus et impartimur: non obstantibus praedicta nostra, ac quibusvis aliis apostolicis ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et Mari Magno, Bulla Aurea vel alias nuncupatis, ac quibuscumque dicti ordinis, etiam iuramento confirmatis, apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis ac consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, tam eisdem quam aliis quibuscumque ordinibus, eorumque superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis in contrarium praemissorum in genere vel in specie, et motu proprio et consistorialiter, vel alias quomodolibet concessis ac pluries confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis (etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes; mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis habentes) illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xv. Septembris MDCI. pontificatus nostri anno x.

Conv. Fontaneti.

VI. Voluntate eiusdem summi pontificis. *Cum sicut* die xxiv. Martii eis obvenit aedes fratrum de observantia Fontene de Conto, sive Fontaneti dioecesis Malleacensis in provincia Pictaviensi, iam incolis vacua, ac ferme diruta bellorum tumultibus.

Conv. Neostadiensis. *Greiderer tom. 1. p.* 110. n. 111

VII. Conventus s. Leonardi Neostadiensis provinciae Croatiae Carniolae minorum de observantia anno MDLXXX. incensus, per hoc tempus piorum eleemosynis reparari incepit. Milites Francisci Shean haeretici Angli vastarunt et incenderunt hoc anno die 1. Octobris coenobium positum iuxta oppidum Montis Fernandi dioecesis Medicensis in Hibernia. In eius excidio in vincula coniecti fuere singuli fratres cum ministro provinciae, guardiano, Richardo Bradaeco episcopo Kelmonensi eiusdem instituti, et Bernardo Moriarto decano, qui eumdem conventum incolebant. Vix aedibus refectis, iterum anno MDCXV. illum incenderunt milites Francisci Russi haeretici.

Conv. Montis Fernandi vastatus. *Ann. min. ad ann.* 1236. n. 18.

Conv Insulae Liparae

VIII. Ratam habet pontifex: *Quae ad sacrarum* die xix. Iulii cessionem conventus s. Francisci Insulae Liparae dioecesis Hyeracensis in provincia ss. septem Martyrum, factam a communitate loci fratribus minoribus de observantia. Aedem hanc dimiserant fratres minores capucini. In provincia s. Bernardini iidem fratres minores de observantia incoluerunt coenobium in domo parochiali s. Georgii apud Gorianum Vallium dioecesis Aquilanae pro eis instructum incolarum sumptibus.

Conv. apud Gorianum Vallium. *Monum. prov.*

Conv. Caesaremontan. *Ann. min. ad ann.* 1570. num. 12.

IX. Favore Rodulphi II. imperatoris, et Leopoldi Landgravii Alsatiae hoc anno iidem fratres occuparunt coenobium Caesaremontanum, a quo expulsi fuerunt a calvinistis. Aedem hanc retinuit urbis magistratus usque ad annum MDXCVII. Coenobium s. Francisci Caesaraugustae in provincia Aragoniae adnexum habet collegium s. Didaci, hoc anno pro fratribus erectum a Ioanne Carolo Fernandez de Heredia, et Catharina de Vera et Claver coniuge sua comitibus de Fuentes.

Collegium Caesaraugustae. *Ann. min. ad ann.* 1587. n. 39.

X. Pro fratribus discalceatis provinciae s. Iosephi incepit esse coenobium s. Angeli custodis de Torreioncilla dioecesis Conchensis, ministro provinciae Petro a Ripa, impensis piorum eleemosynis. Incolitur a xv. fratribus. In civitate Vallisoletana extitit pro eisdem fratribus provinciae s. Pauli conventus sub invocatione s. Mathiae apostoli, opibus pii viri ducis de Lerma. Hierónymus Planes minister provinciae s. Ioannis Baptistae hoc anno electus, possessionem accepit coenobii positi prope villam de Cavetante.

Conv. de Torreioncillo. *Monum. prov.*
Conv. Vallisoleti. *Ioannes a s. Maria tom 2. pag* 495.
Conv. de Cavetante *Idem ibid pag* 493

XI. Indulget pontifex: *Quae ad religiosorum* die xxix. Decembris, ut fratres reformati provinciae s. Nicolai Barensis domum recipiant apud ecclesiam s. Mariae gratiarum oppidi Soleti dioecesis Hydruntinae pro eis erectam ab universitate loci. In eadem provincia conventum s. Mariae s. Lucae fundatum prope oppidum Valenzani dioecesis Barensis ex bonis Aurelii Farietti Bergomensis et ipsi acceperunt. Antonia Gentile post viri sui obitum illum ad perfectionem adduxit. Adprobat idem pontifex: *Quae ad sacrarum* die ix. Iunii cessionem eisdem factam coenobii in oppido Farae nullius dioecesis in abbatia Farfensi provinciae Romanae, a patribus conventualibus derelicti. Continet xv. fratres, distatque ab oppido cccc. P. Eis etiam obvenit coenobium s. Pauli de Monte prope Bononiam.

Conv. Soleti.
Conv. Valenzani *Monum. prov.*
Conv. Farae. *Flaminius tom* 3. *pag* 26

XII. In provincia s. Bernardini recipiunt fratres conventuales coenobium erectum in oppido Laureti dioecesis Civitatis Pinnensis. Fratres e loco anno mdcccix. ob coenobiorum suppressionem abierunt; pacatis rebus iterum anno mdcccxviii. eo redierunt.

Conv. Laureti *Monum. prov.*

XIII. Vincentius Mussart tertii ordinis claustralium in Galliarum regno instaurator hoc anno Parisiis in loco, qui dicitur *Picpus* in suburbio s. Antonii aedem accepit pro suis, olim a canonicis, deinde a fratribus iesuitis, ac postremo a capucinis inhabitatam ac dimissam. Illam subinde aedificiis multis accrevit idem Vincentius.

Conv. Parisiensis. *De Gubernatis tom.* 2. *pag.* 357.

XIV. Capucini fratres incoluerunt hoc anno conventum Corrigii dioecesis Regi-Lepidi in provincia Lombardiae; conventum Vallis Duplavenis dioecesis Patavinae in provincia Veneta; conventum Castri Saraceni Anglon. dioecesis Tursensis in Lucania, et conventum Cryptulae Materanen. dioecesis; conventum Veldkirchi dioecesis Constantien. in provincia Austriae; conventum Augustae in provincia Tyrolensi, et conventum Bulsani dioecesis Tridentinae; conventum Abbavillae dioecesis Ambianensis in provincia Parisiensi, conventum Monfortii dioecesis Carnubensis; conventum Niverni in provincia Turonensi et conventum Turoni; conventum Novidoni Retrudi dioecesis Carnotensis in provincia Normandiae; conventum Billomi dioecesis Claramontensis in provincia s. Bonaventurae, conventum s. Camuridi dioecesis Lugdunensis, conventum Molinae dioecesis Augustodunensis, Rioni dioecesis Claramontensis, et conventum Viennae in Delphinatu dioecesis Viennensis; conventum Bellicardi dioecesis Arelatensis in provincia s. Ludovici; conventum Agiani in provincia Aquitaniae, conventum Olleriae dioecesis Valentiae, et conventum Segorbi.

Ex Michaele a Tugio

XV. Expensis pientissimi viri Didaci Arias, et coniugis eius Antoniae de Villafane optimatum civitatis Segobiae excitatum fuit intra eamdem civitatem monasterium clarissarum, immaculatae Conceptionis titulo. Ad illud moderandum quatuor moniales venerunt e monasterio Conceptionis Ulmeti, nimirum Maria Morezon, Hieronyma de Ribera, Anna et Maria de Bracamonte. Subest ministro provinciae immaculatae Conceptionis. Fundatum etiam fuit hoc anno Lugduni alterum monasterium s. Clarae, archiepiscopi civitatis Alberti de Belliebre placito.

Monast. Segobiae. *Monum. prov.*
Monast. Lugduni. *Gallia christ. tom.* 4. *pag.* 190.

Digitized by Google

Isabella a s. Bernardo. Agiologium Lusitan. ad diem 1. Maii. Ann. mm ad ann. 1586. n 46.

XVI. Obiit Ulysipone in monasterio Dominae nostrae de Quietudine die I. Maii Isabella a s. Bernardo, Mechliniae in Flandria nata, et in monasterio s. Clarae Amstelodami professa. Saeviente ira haereticorum in Flandria contra catholicos, ipsa una cum caeteris sororibus arripiens fugam, inter vitae pericula Ulysiponem advenit, et in monasterio expensis regiis constructo spectatissimam vitam egit ad mortem usque in conspectu Domini pretiosam. Die XXIV. Iunii in laudato monasterio sancte occubuit Barbara de Cruce Lovanii orta, socia in aerumnis et poenalitatibus mox laudatae Isabellae a s. Bernardo, quando pulsa fuit e monasterio Amstelodami. Asperrimo vitae genere corpus edomabat. Inter sororum lacrymas obiit aetatis suae anno XXXVIII.

Barbara de Cruce. Agiolog. Lusitan. ad diem 24. Iunii.

Catharina de Magdalena. De Guadalupe pag. 592.

XVII. Praenuntiato ante mensem mortis suae die decessit XIV. Iulii in monasterio s. Ioannis Belvisii provincia Angelorum Catharina de Magdalena. Abbatissae munus obivit septemdecim annis admirabili sanctitatis exemplo, ac eximia prudentia. Multis a Deo ditata fuit coelestibus illustrationibus ac revelationibus. Summo compassionis affecto ferebatur erga Christi Domini passionem ita, ut prae lacrymarum imbre oculorum aciem amiserit; decem tamen post annos coelitus sibi restituta fuit. Ante sui obitum meruit recreari visione seraphici s. doctoris Bonaventurae quem impense venerabatur. Eius anima in specie columbae coelum visa est conscendere. In monasterio s. Clarae de Alanis eiusdem provinciae rapta est die XVI. Aprilis Leonora a s. Francisco, diu verbis et verberibus a daemonibus lacessita; at angelorum visione confortabatur. Praestans fuit humilitate ac paupertate.

Leonora a s. Francisco. Idem pag. 575.

Anna a Cruce. Mazara tom. 4. p. 415

XVIII. Aetatis suae anno LXXIV. die XXVI. Aprilis sanctis operibus cumulata e vita migravit Anna a Cruce, monialis professa in monasterio s. Clarae Montiliae in provincia Granatensi. Die III. Maii anno MDXXVII. lucem aspexit primogenita d. Roderici Ponce de Leon, ducis de Arcos, et d. Mariae Cironae ex comitibus Urenae. Tertio aetatis anno parentibus orbata, ducissae Menziae amitae suae ex optimatibus Medinae Sidoniae ad erudiendam tradita, sub pii sacerdotis disciplina virtutum semina hausit et latinum idioma didicit. Puella annorum duodecim praesto erat ecclesiae s. Catharinae de Safra, ut celeberrimi viri quem postea moderatorem suae conscientiae habuit, Ioannis Abulensis super canonicas s. Ioannis evangelistae epistolas commentaria audiret. Ea in aetate vigiliis, ieiuniis ac assiduis precibus ante altare ss. sacramenti plurimum delectabatur.

XIX. Maiorum suorum imperio, licet invita, nupsit Petro marchioni de Feria inter Hispanos prae generis nobilitate ac divitiarum copia illustri. Montiliam a viro suo ducta, obvio pauperi eidem eleemosynam postulanti annulum suum quo mox desponsata fuerat, extemplo tradidit. Coniugii munia sepivit eximiis virtutibus, corporis nimirum macerationibus ac rerum divinarum meditatione. Filii sui primogeniti quem benedicente Domino a coniugio acceperat, ac mariti iacturam infracto animo sustinuit. Noverat enim, quae ei puellae dixerat Dominus: *ego ostendam tibi, quanta oporteat pro nomine meo pati.*

XX. Soluta a lege viri annos numerans XXIV., die XXII. Iulii MDLIII. mundo valedicens, habitum sororum clarissarum Montiliae laeta suscepit, et filiolam quam habebat annorum quatuor, concredidit eidem amitae suae. Votis Deo nuncupatis, perfectionis suae fundamentum in summa animi dimissione posuit. Nunquam adduci potuit, ut abbatissae munus obiret; viliora tamen monasterii officia hilari semper vultu explevit. Caetera quae mire operabatur in eodem monasterio novimus ex piissimo ac doctissimo viro Ludovico Granatensi ex

ordine praedicatorum, cui nuncupavit anno MDLXXIX. opus *trattata primo dell' aggiunta del memoriale della vita spirituale.* « Io dunque, sic *ille*, considerando a chi potessi iodrizzare e dedicare questo libro che tratta della perfezione di questa vita, non mi si offerisce persona, a cui venisse più a proposito questa dottrina, che a v. r. poichè tutto il mondo è testimonio dell' esempio di virtù e perfeziono che ha dato in tutta la vita sua, della quale quasi fin dai primi anni sono io testimonio di veduta. Però lasciando da parte i due stati di donzella e di maritata, ne' quali il nostro Signore seminava il frutto delle virtù che adesso raccoglie, dopo che il nostro Signore chiamò a sè l' illustrissimo conte di Feria, il quale in cielo ed in terra sarà d' onore e di gloria perpetua, lasciando v. r. vedova di ventiquattro anni, subite abbandonaste tutto quello che si poteva abbandonare al mondo, o più noa figliola da allavarsi, e prendeste l' abito di s. Chiara con tanta volontà e divozione, che a v. r. pareva, che non solo il suo corpo, ma ancora l' anima fosse vestita di quello abito santo. E dipoi ritiratavi in una cella la quale ho una finestra che guarda sopra l' altar maggiore della chiesa dove sta il santissimo sacramento, spendete la maggior parte del tempo in assistere alla presenza di questo soprano Signore, contemplandolo adesso coperto sotto un velo, mentre che si prolunga l' ora nella quale l' avete da vedere e godere in gloria scoperto. E non contenta d' assister solo alla sua presenza, lo ricevete molto spesso nell' animo vostra, assicurando la promessa della gloria con la caparra che in questo divino sacramento si riceve di quella. S. Girolamo scrive d' una signora romana, che fra le turbolenze della città avova trovato il deserto de' monaci, ma v. r. nel mezzo di tutta quella si chiara famiglia, e della figlia o nipoti che il nostro Signore vi diede, avete trovato il deserto e solitudino de' monaci, e dato ad intendere al mondo, che la vera e perfetta solitudine non consiste ne' luoghi, ma nei cuori ». (*Ludovicus Granaten tom. 5. pag. 2.*)

XXI. Funebrem de ea orationem habuit Franciscus de Tomasio franciscanus de observantia, qui de eius virtutibus multa dixit. Praeter *vitam ab ea scriptam* confessariorum suorum iussu Martinus de Roa e societate Iesu anno MDCIV. eius egregias virtutes publicavit Cordubae typis viduae Andreae Barrera, item Antonius Daça aliique. Anno MDCXXXI. et anno MDCXXXVII. episcopi Cordubensis mandato confecti fuerunt eius processus; anno MDCLXVI. Clemens IX. decretum s. r. congregationis — *constare de miraculis et virtutibus eius in genere* — probavit, ac mandavit eodem anno, ut procedi posset ulterius ad examen speciale eiusdem virtutum ac miraculorum. Res tamen ulterius haud processit. (*Sbaralea lit. A*)

XXII. Meritorum plenus occubuit in coenobio s. Francisci Meridae in provincia de Iucatan Ferdinandus Torquemada sacerdos, insignis verbi Dei praeco, diu versatus in Indorum institutione. Ibidem obiit Hieronymus de Arriaga item sacerdos et individuus comes eiusdem Ferdinandi in eorumdem conversione. E vita pariter ereptus est eodem loco Christophorus Villoldo laicus, angelicis moribus ditatus. Ambo ex provincia minorum de observantia Castellae ad hanc regionem accesserant. (Ferdinandus Torquemada. *Lopez pag.* 229. Hieronymus de Arriaga *Idem pag* 430. Christophorus Villoldo. *Idem ibidem.*)

XXIII. In coenobio s. Mariae ad Nives Phernambuci in custodia Brasiliae mortalitatis sarcinam deposuit Antonius de Campomaiori Lusitanus sacerdos, unus ex fundatoribus huius custodiae, qui multos labores sustinuit pro salute infidelium. Ad fidei lumen adduxit incolas oppidorum Tobaiaras et Fronteiros, pro quibus instituendis varias doctrinales domos erexit. Altissima semper de Deo loquebatur sive inter suos sive inter saeculares. Monitus autem aliquos taedere suorum sermonum licet spiritualium respondebat: *non me poenitet*; (Antonius de Campomaiori. *Monum. prov. Ann. min ad ann.* 1593. *n.* 22.)

loquor enim cunctis de Deo, ne illi mihi de mundo loquantur; et ita si meus sermo illis non fuerit utilis, sui non mihi nocebit. Eximia charitate in Deum exardescebat, maxime dum vacabat rerum divinarum contemplationi.

Franciscus a Montilia. Martinez lib. 1 pag 84. Arturus ad diem 31. Decembris.

XXIV. Die xxxi. Decembris dies suos complevit Franciscus, in saeculo Gonzalvus a Montilia, filius Ludovici Ponce de Leon inter cives Cordubenses nobilitate illustris. Ab infantia ad pietatem pronus, solitaria domus suae loca petebat, ut flexis genibus orationi incumberet. Coelitus ad minorum institutum vocatus, discalceatorum fratrum habitum induit in conventu Petrosi provinciae s. Iosephi. Perfectionis tyrocinium aggressus, solitudini, corporis macerationi, ac silentio studebat. Quidquid illi supererat temporis, lectioni et piarum rerum scriptioni impendebat. Tanta celeritate obedientiae maioris, vel inferioris vel aequalis parebat, ut saepe visus sit mox calamum, si scriberet, deponere, literamque inceptam anachoritarum more deserere. Vili erat tunica contectus, ac asperum cilicium gestabat ad carnem. Castimoniae laude et praecelluit; virgo enim vixit ac decessit, et ut eam custodiret, sua erant assidua ieiunia, cruenta flagella, ac oculorum custodia. Mulierum familiaritatem vitabat et colloquia, nisi urgeret necessitas; nunquam tamen oculos intendit in earumdem faciem.

Ann. min. ad ann. 1580. n. 8.

XXV. Amore Dei et proximi sauciatus, ultro se illis dedit in socium franciscanis sodalibus, qui anno MDLXXX. Philippinas Insulas petiere evangelii dilatandi gratia. In conventu Maniliae aliquando novitiorum curam egit; eas tamen Insulas non semel ingenti cum labore perlustravit, infideles Christo pariens verbo sanctaeque conversationis exemplo, quos quinque et amplius mille fuisse tradunt. Anno MDLXXXIII in Sinensium imperium se conferens, multa tulit in Cocincina, in Porto Haynao, et in Quancheu Quantonensis metropoli, ubi cum caeteris sociis carceribus mancipatus, fame, siti, opprobriis ac verberibus afficius fuit. Amacaum adductus, non multo post in Siami regnum se contulit; at ob bellorum tumultus iterum Amacaum repetiit, spe infidelium conversionis frustratus.

Ibid. ad ann. 1583 num. 9. 10. 11.

XXVI. Maniliam reversus et discalceatorum custos renunciatus, Romam anno MDLXXXVII. ad capitulum generale advenit, ut suffragium daret pro novo deligendo ordinis supremo administro. Post haec Matritum rediit, et in sua s. Iosephi provincia diversatus, magis magisque virtutibus excolendis incubuit. Laboribus ac senectute gravatus, cum e coenobio s. Didaci Almagarensi abiisset, gravi morbo in itinere detentus, in oppido de Almodover del Campo, hymno *Te Deum laudamus* dicto, migravit ad Dominum, verba illa interim proferens: *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis.* Sepulcrum nactus est in ecclesia parochiali illius oppidi. Ad eius funus confluxerunt incolae, moti fama illius sanctitatis. Reliquit mss. librum *de propagatione fidei in Insulis Philippinis.*

Sbaralea lit. F.

Alphonsus a Purificatione. Ioannes a s. Maria tom. 3. pag. 501.

XXVII. In coenobio s. Mariae Magdalenae oppidi de Aldea del Parco dioecesis Zamorensis in provincia discalceatorum s. Pauli obiit die xxiv. Septembris Alphonsus a Purificatione sacerdos, natus in oppido de Valderas dioecesis Legionensis. Duodeviginti annis in instituto Deo deserviens, praeclaris virtutibus insculptus apparuit. Angelica puritate ita enituit, ut scriptorum testimonio immaculatum se custodierit totius vitae suae cursu. In coelestibus contemplandis saepe elevabatur. Spirituali puerorum saluti incumbebat assidue, eos erudiens in agris, in viis, in ecclesiis. Corpus macerabat ieiuniis ac flagellis, pro lectulo tabula utebatur, obsoleto vilique habitu interim amictus. Ad eius funus accurrerunt incolae, eius sanctitatem commendantes.

XXVIII. Panormi in Sicilia in conventu s. Mariae de Iesu vitam commutavit cum morte die ix. Iunii Vincentius a Nicosia tertiarius, vir summae perfe-

ctionis. Vitam agebat angelicam in summa egestate, bilarique obedientia. Semel in die reficiebatur; nusquam carnes comedit; membra vero caedebat quotidie cruentis flagellis. Beatissimae Dei Genitricis patrocinium sibi promeruit, cuius aspectu recreatus, obitus sui diem ab eamet praenunciatum accepit. Elapso post mortem anno, corpus eius incorruptum, molle, ac tractabile repertum est.

Vincentius a Nicosia. Mazara tom. 8. pag. 88.

XXIX. In conventu s. Mariae de Colleromano Civitatis Pinnensis in provincia s. Bernardini meritorum plenus hoc vel anno mox elapso, non vero iuxta Mazara MDCV. coelestia petivit die II. Novembris Franciscus laicus ea in urbe ortus. Vix ordini observantium adscriptus, dies suos inter corporis macerationes composuit; quotidie namque solo pane, herbis silvestribus et aquae potu absynthio temperatae reficiebatur. Rigente hieme aliquando super nudam tabulam, caeteris vero temporibus stratus humi brevi sopori se dabat. Unico et omnium obsoleto babitu semper amictus fuit. Eximius erat virtute charitatis, humilitatis, simplicitatis, patientiae ac paupertatis, quibus addebat luge studium in coelestibus recolendis. Turcarum copiis anno MDLXVI. Ortonae orbem et coenobium quod incolebat invadentibus, manibus tenens crucifixi imaginem, Christi fidem elata voce annuntiabat, quin ulla iniuria ab eisdem afficeretur. Incensis subinde ab eis coenobio et ecclesia, sacram eucharistiam, quae argentea in pyxide continebatur, a flammarum vi illaesam reperit, eamque pietate summa accipiens, honesto in loco reposuit. Ex tunc tanta miraculorum gloria florere coepit per Calabriam, Aprutium, Umbriam et Picenum, ut adhuc vivens Sancti titulo honestaretur. Nominis Dei et Deiparae invocatione non semel daemones e corporibus fugavit. De eo agit Mazara in Legendario franciscano tom. XI. pag. 6. Franciscus Bernardinus de Ariscbla et Arturus ad diem II. Novembris. Plura etiam de eomet habentur in relatione exhibita anno MDCLVII. Ioanni a Neapoli ministro generali ordinis a patribus illius provinciae.

Franciscus Pinnensis. Monum. prov.

XXX. Fratrum capucinorum institutum nobilitarunt pretiosa morte aliquot pii viri. In Picena provincia quievit in Domino Antonius Camers sacerdos, pluries novitiorum magister. Saepe suis precibus obtinuit a Deo annonam fratribus in extrema egestate constitutis. In eadem provincia obiit Franciscus a Molleano clericus, eximia charitate erga infirmos praeditus. Fratris ulcus ex quo sanies copiosa fluebat, extemplo sanavit, illi osculum figens. Post mortem aspero cilicio revinctus apparuit. In Cusentiae provincia raptus est Dionysius a Taberna laicus, de quo fertur, fuisse aliquando ab angelo ultra flumen devectum. Dicitur etiam post sui mortem se ostendisse coelesti gloria donatum cuidam tertiariae Deo preces fundenti.

Antonius Camers. De Aremberg tom. 2. pag 362

Franciscus a Molleano. Idem ibid pag 323

Dionysius a Taberna. Idem ibid. pag. 711.

XXXI. Diem clausit extremum XXI. Decembris in coenobio Cardani provinciae Mediolanensis Marcellus Triflumiuensis. Io ipso tyrocinio spectabilem se reddidit prae suae vitae innocentia in verbis, gestibus ac totius corporis compositione. Post emissam professionem magismagisque virtutibus inclaruit. Saepe noctes ducebat insomnes, et Christi Domini passionem meditatus, ingens divinae charitatis et compassionis flamma in animum eius irrumpebat; unde extra se factus, in sublime elevabatur. Orationi in horto ac in sylva sedulo incumbens, aves ad eum volitabant, et cum eo familiariter versabantur. Scrutatione cordium, prophetia ac miraculorum gloria vivus et mortuus cumulatum a Deo fuisse compertum est.

Marcellus Triflumiuensis. Idem ibid. pag. 235

XXXII. Iis adiunctus est Ambrosius, in saeculo Maximilianus Mediolanensis, Soncinas nuncupatus, ob Soncinatis marchionatus titulum quo in saeculo fruebatur. Asculani principis filiam sibi coniugio copulaverat, quae tamen post

Ambrosius Mediolanensis.

aliquot annos e vivis erepta, piis operibus inhaerere coepit. Hierosolymitanam ac Compostellanam peregrinationem mox arripiens, quadragesimo aetatis anno ad institutum capucinorum admitti postulavit. At ob provectam aetatem repulsam passus, tandem inter eos adscriptus est in provincia Mediolanensi. Anteactos vitae annos deplorans, illos reparare studuit ieiuniis, austeritatibus et omnimodis assequendis virtutibus. Nihil eo mitius, nihil patientius erat. Martyrii cupiditate flagrans, a Clemente viii. pontifice ut evangelium infidelibus praedicaret, postulavit et obtinuit. Algerium a pontifice anno mdc. destinatus fuit. Quae ei ibidem evenerunt sic narrant Ioannes Baptista Sardus, et Franciscus Nugnez Lusitani mercatores eo degentes, in epistola ad quemdam Perez Valentinum. « Marchio Sonzini capucinus, in die s. Sebastiani anno mdci. Algerium appulit huc a ss. d. n. papa Clemente viii. missum, ut iubilaeum christianis praedicaret. A Bassa honorifice exceptus, apud quemdam Venetum mercatorem eiusdem iussu hospitator, quem etiam plerisque esculentis ac poculentis cohonestat. Eum Bassa, quamdiu ibi versatus est, perpetuo favore prosequutus fuit; tametsi id occulto et quasi furtive praestaret, ne consiliariorum collegium id animadverteret: quo fiebat, ut noctu dumtaxat humanissime eum eo ageret. Fr. Ambrosius is appellabatur, ad quem christiani captivi ob plurima sanctitatis signa, quae in eo conspiciebant, et christianae pietatis officia quibus illos prosequebatur, velut ad patrem confugiebant. Is namque ita erga omnes afficiebatur, ut cunctis iuxta propriam necessitatem subveniret. Huic vestem, illi cibos, alteri pecuniam ad redemptionem erogandam curabat: hoc modo universos charitate complectens, infirmos praesertim visitabat, quibus eum iis medicamenta pro cuiusque indigentia administrari curaret; nihil ab eis accipiebat. Illud quoque in eo charitatis opus spectabatur, quod tam turcis ac iudaeis, quam christianis nullo discrimine quam poterat, opem ferebat ».

Ann. min. ad ann. 1600. n. 1.

Boverius tom. 2. p. 666.

XXXIII. « Die porro xxvii. mensis Ianuarii sacrum iubilaeum prius in ecclesia ss. Trinitatis, deinde in ecclesia s. Mariae de Rosario, demum in ecclesia s. Rochi christianis promulgat, concione duarum circiter horarum spatio multa cum pietate ad eos habita; in qua iis summam Dei clementiam se romani pontificis in eos liberalitatem effusosque thesauros annunciat: quos ut facilius sibi compararent, suam omnem illis opem et operam offert ac pollicetur: universosque obortis lacrymis rogat, ac in Christi visceribus obtestatur, ut animarum salute rebus omnibus anteposita, vera scelerum contritione ad puram ac integram sese peccatorum confessionem praeparent: quo illos ab omni labe puros ac sacramento ablutos, Deo optimo maximo reddere valeat. Haec vero tam ardenti affectu a benedicto illo patre prolata fuere, ut quamquam ex iis permulti, quamplurimos ab peccatorum poenitentia et confessione annos traduxissent, cuncti tamen ad patris pedes magna lacrymarum copia scelera sua deponerent, ab eoque collacrymante absolutionem acciperent. Gratum illud angelis spectaculum erat; hinc homines a poenitentiae sacramento redeuntes, uberes lacrymas iam non propter animi tristitiam, sed potius ob conceptam salutis laetitiam fundentes, erat conspicere: illinc Dei servum ob tantum animarum lucrum quod Christo Domino reposuerat, collacrymantem cernere ».

XXXIV. « Pro-rex Algerii, servorum captivorum qui illi famulabantur, sermone, sanctae patris vitae et charitatis, quam in omnes tam christianos quam turcas exhibebat, certior factus; saepe eum noctu arcessere, et ab eo seorsim christianae fidei mysteria addiscere, frequenterque sanctorum vitas et gesta simul percurrere, solebat: ex quo tantopere erga Dei servum afficiebatur,

ut cum ab eo discederet, ne aliquam a plebe contumeliam ferret, suorum illi excubitorum globum ad hospitium usque praeberet. Interea rumore de Hispanorum classe Algerium adnavigante per urbem diffuso, plebs tota cum senatus consilio conturbata, cum Ambrosium cum socio, huc ab Hispano rege exploratores missos fuisse existimaret, ut illi urbis res et consilia significaret; pro-regem cuncti adeunt, capucinosque patres proditorii criminis accusantes, eos morte plecti postulant: qui populi ac consilii furore sedato, maturius se de his patribus et obiecto eis crimine consulturum spondet. Interea ut nonnihil populo satisfiat, eos in carcerem coniici iubet, quos tamen per fidelem internuncium, ne quicquam sibi mali futurum extimescant, verbis consolatur. Fama vero de Hispanorum classe paulatim evanescente, pater cum socio a vinculis solvuntur. Moxque pro-rex cum patre de ipsius in Hispaniam reditu agens, ne frustra eum huc accessisse videretur, quo maior de proditione suspicio oriri posset, in id mutuo consilium coeunt, ut is ducentos captivos duorum millium aureorum pretio redemptos, secum duceret: cuius summae statim Vincentius Solon Valentinus fideiussor constituitur ».

XXXV. « Rebus ita constitutis, dum p. Ambrosius opportunum navigationis tempus expectat, inopinato paralysis morbo corripitur; ex quo post breve tempus e vivis sublatus, magnum christianis omnibus atque ipsi praesertim pro-regi luctum attulit; qui nullum, dum aegrotaret, in eum pietatis officium praetermisit: defunctum vero ea humanitate prosequutus est, ut dum a christianis corpus ad tumulum effertur, magnam suorum excubitorum manum, ne funus turbaretur, ad corporis custodiam dederit: socius vero post patris obitum, Romam cum redemptis captivis opportunam navigationem nactus proficiscitur ». Anno MDCV. eius exuviae capsula occlusae et obsignatae, Lubronem a nautis delatae fuerunt, quae ibidem inspectae, suavis odor ex illis erupit. In lamina plumbea verba erant incisa: *haec sunt ossa p. f. Ambrosii Soncinatis capucini, olim marchionis Soncini.* Arca Genuam inde allata, ac postremo Mediolanum, in fratrum capucinorum ecclesia locata fuit.

XXXVI. In ecclesia capucinorum Soncini ad presbyterii laevam haec obviat in sui memoria.

MAXIMILIANO STAMPAE II. MARCHIONI SONCINI
QVI MARIANNA A LEYVA ASCVLI PRINCIPIS FIL.
VXORE SUA SVMMA EXORNATA VIRTVTE
DEFVNCTA
DIVO FRANCISCO SE IN COELIBATVM MANCIPAVIT
IN EIVSQVE FAMILIA CAPVCINORVM
NOMEN DEDIT
QVI IN EO VITAE GENERE
AFRICAE ORBIS VT EVANGELIVM DISSEMINARET
CAPTIVOS REDIMERET
IVLIAE CAESAREAE OBIIT MDCI.
HERMES STAMPA II. MARCHIO SONCINI
PARENTIS OSSIBVS
IVSSV MAVRITANIAE REGIS SERVATIS
SVAQVE CVRA IN HOC AVITAE DITIONIS TEMPLVM DELATIS
HOC M. P. ANNO MDCX.

Ioannes Waradius, et Ioannes Soldus mm.
Hueber ad diem 27. Augusti.

XXXVII. Scribit Fortunatus Hueber ex monumentis provinciae Hungariae hoc anno in Transylvania coronam martyrii accepisse Ioannem Waradium, et Ioannem Soldum, qui in coenobio Czikensi ab haereticis aggressi, tentati ac angustiati, demum ob catholicae fidei odium interfecti fuere die XXVII. Augusti. Didacus ac Ioannes Hispani Romam petentes, Genevam ad lacum Lemaniacum advenere, ubi de nocte responsum mortis coelitus accipientes, agonem suum Domino commendabant. Sequenti die urbem ingressi, Didacus parvulam crucem ligneam manibus tenens, haereticis calvinistis catholicam fidem intrepide annuntiabat, ad saniorem mentem eos reducere tentans. At illi furore perciti velutque insanientes, lapidum impetu eos obruerunt, et sic una cum socio die XXXI. Decembris inter divinas laudes crudele martyrium consummarunt.

Didacus et Ioannes Hispani mm.
Daza 4 part. chron. lib. 4. cap. 31.

XXXVIII. Laboribus ac virtutibus apud Peruanas gentes emicabat s. Franciscus Solanus. « His temporibus, *ita Vavarrus in eius vita*, capitulum provinciale in valle de Xauxa, praesidente patre Francisco Antonio Ortiz provinciarum Peruanarum commissario, celebratum est, in quo vir Dei Franciscus custodiae Tecumanicae moderator eligitur. Ad hoc munus non annuit, sed tanto ferventius ab eo liberari rogavit, quanto avidius a multis aliis officia similia ambiuntur. Obedientia tamen adstrictus acceptavit, ac ut custodis debitum religiose impleret, conventus sibi traditos diligenter visitavit, in quibus ut verae sanctitatis speculum elucebat ».

Acta ss. ad diem 24. Iulii pag. 868.

XXXIX. « Cum in oppido Talaverae ab Esteco aliquandiu custos haesisset, observatus est a religioso pio et fide digno noctes insomnes in orationibus et flagellationibus transigere; et visus est cilicio et asperrimis ferarum crinibus ad cutem indutus. Auditus est etiam verbis coelestibus et ignitis suas promere exhortationes, et ab omni verbo iocoso aut otioso abstinens, semper ad divinum obsequium subditos provocare. Tandem vir Dei Franciscus multos in hac summi patris-familias vinea excolenda perpessus labores, anno in officio custodis expleto, cum pro renuntiationis acceptatione apud superiores frequenter instaret, votorum compos efficitur, ac insuper a praefato commissario ad Civitatem Regum vocatur, ut ibi recollectioni nuper institutae fundator et rector praeesset ».

XL. « Igitur obedientiae morem gerens, ex provinciis illis discessit; unde populorum et praesertim Indorum magna fuit moestitia, quippe qui dicerent se suo sancto patre et consolatore privari, dolebantque se tam parum eius praesentia potitos. Quidam autem ipsi peculiariter devotus, ne absque charo eius pignore remaneret, ab eo funem quo cingebatur petiit. Cuius quidem contactu magna sunt operata miracula, nec est in illa regione mulier parturiens, quae sanctum Francisci Solani nomen non invocet, et se eius chorda non cingat; unde in oppido s. Iacobi de Esteco cum magna reverentia servatur. Tantum autem fuit in illis partibus viri sancti desiderium, ut multoties pro revocando ipso apud praelatos institerint, qui votis tam iustis annuissent, nisi nimia locorum distantia, aetas et infirmitas continua Francisci obstitissent. Quidam vero religiosus post aliquot annos ex provinciis illis reversus, Indos de sancti patris absentia tristes, et de eius reditu adhuc fuisse solicitos affirmavit ».

XLI. « Commissarii generalis mandato Limam revocatus vir Dei Franciscus Solanus, novo recollectionis s. Mariae Angelorum coenobio vicarius et praefectus praeponitur; hoc quidem officium obedientia victus suscepit, sed humilitatis urgente virtute brevi retinuit, necnon ad dimissionis voluntariae acce-

ptationem crebris instantiis superiores adegit. Postea a patre Ioanne a Monte Maiore commissario generali eiusdem conventus guardianatum delatum lacrymis, suspiriis ac precibus a suis quos inferiores reputabat, humeris rursus abiecit, et ut se a praelatorum oculis subduceret, Truxillum quasi ad quoddam latibulum mitti curavit, ubi aliquandiu commoratus est, donec tandem Limam pro maiore virtutis theatro, in capitulo provinciae ad curam conventus S. Mariae Angelorum obeundam accerseretur. Hoc tamen per quatuor menses administrato, post multas supplicationes ad optatam subditi vitam redire permissus est ».

XLII. « Dum ergo in Limana civitate et locis conterminis moraretur, se a Deo illuc vocatum agnoscens, totis viribus in hoc agro expurgando, curando et foecundando laboravit, modo praedicationi linguam solvens, modo confessionibus aurem aperiens, modo charitativis operibus manum extendens. Frequenter in plateas civitatis prodibat, ubi educto (quem sub manica gerebat absconditum) crucifixo, verbis ignitis et apostolicis praedicabat; ibi Salvatoris nostri passionem, amorem Dei, odium vitii, virtutis honestatem audientibus populis commendabat. Aliquando per urbis calles progrediens, erecto crucifixo, voces salutis proferebat, ubi tantus erat decurrentis multitudinis confluxus, ut per vias communes transitus occluderetur. Hinc etiam in ecclesias ad quas peculiari aliqua celebritate populos convenisse viderat, ingrediebatur, et ascendens suggestum, breviter sed ferventer divinos proferebat sermones, et inde se ad idem ministerium alio velociter transferebat ».

XLIII. « Saepe divino spiritu animatus ad theatra et spectacula profana pergebat, et postposito humani respectus rubore, in eminentiorem locum, vel in ipsam scenam conscendebat, ac redemptoris pro nobis patibulo crucis affixi cruentam ostendens figuram, omnes ad acerbam passionis tragoediam verbis, lacrymis ac suspiriis invitabat; saepe post exactas coram seraphici doctoris Bonaventurae (cui devotissimus erat) imagine longas orationes, ex generali superioris sibi facta licentia, exibat in publicum, et res diversas miro modulis et oris ardore promebat. Saepe ad loca ludis et recreationibus mundanis destinata, ac proinde blasphemiis, iuramentis et omnibus patentia peccatis se conferens, ludeotes, blasphemantes, rixantes animose redarguebat, et a malis conversationibus retrahebat; hisque mediis maximas operatus est conversiones ».

XLIV. « Egressus sic aliquando ad praedicandum in quadrivio civitatis primam habuit exhortationem, cui in principio tres aut quatuor ad summum aderant auditores. Sed elato in altum crucifixo, eos tam potenter ad amorem divinum provocare coepit, ut statim magni populi multitudo accurrens, viarum exitus intercluderet. Inde sequentibus turbis, ad plateam perveniens, tandem post geminam concionem, vix prae nimia circumstantium frequentia sese expedire, et ad conventum redire potuit. Solebat autem terminatis huiusmodi sermonibus pede praepropero ad monasterium reverti, et ut applausus se sequentium effugeret, in aliquo eiusdem angulo latibulum quaerere.

XLV. « Insuper privatis colloquiis moniales in monasteriis, captivos in carceribus, aegros in xenodochiis, saeculares in occursibus et visitationibus instruebat; hocque salutari discretae et secretae correptionis aut confabulationis remedio, multos ad viam salutis reduxit. Accessit aliquando ad conventum Incarnationis civitatis Limanae, ibi monialem quamdam inimici tentationibus concussam, et de susceptae religiosae vitae mortificationibus afflictam taedioque affectam, unico spirituali colloquio ab omni cordis angustia liberavit, et pristinae quietis compotem reddidit. Sic et aliam monasterii Immaculatae Conce-

ptionis eiusdem civitatis religiosam a claustro discedere cogitantem, verborum efficacia a proposito deterruit et ad meliorem statum reduxit. Cum in monialium discalceatarum s. Iosephi monasterio saepius praedicare soleret, incredibile est quantum devotae illae virgines sub tanto magistro et concionatore in perfectione christiana et regulari observantia profecerint ».

XLVI. « Petiit aliquando enixe et cum magno cordis moerore vir quidam saecularis a patre Ioanne Lainez, ut sibi prompte poenitentiae sacramentum impertiri dignaretur. Causam tam instantis et lacrymosae petitionis rogatus, respondit: sibi per claustrum conventus ambulanti occurisse religiosum quemdam facie ignitum, qui genuflexus ipsum oravit, ne deinceps Deum offenderet, et ut peccata confessione deleret, admonuit. Interim servus Dei Solanus illac forte transivit, quem poenitens saecularis e vultu agnoscens, illum esse quo admonente et rogante, spiritum compunctionis susceperat, testatus est; ac ut et missae frequentius adesse, et sacramentis crebrius cum magno lacrymarum profluvio participare sit visus ».

XLVII. « Iuvenem quemdam forte in eodem claustro repertum hortatus est Christi famulus, ut divina servaret praecepta, et Deum toto corde diligeret; hisque dictis, ab eo recessit. Ita vero adolescentem ad contritionem movit, ut statim de saeculi contemptu, et de sacro religionis instituto amplectendo vehementem impulsum sentiens, mox habitum minorum in conventu s. Francisci induerit. Invisit semel vir Dei doctorem Albertum de Acuna, decanum audientiae et cancellariae Civitatis Regum, quem de rebus coelestibus alloquutum adeo commovit, ut ipse aliique confabulationi praesentes, se eius verbis mire inflammatos fuisse testati sunt: itaut dicere potuerint: *nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur, et aperiret nobis scripturas?* »

XLVIII. « Mariae Arbanal in franciscanum ordinem multum propensae, in spiritus fervore ter aliquando repetiit: *filia, amare Deum*; et in tertia repetitione suspensus, et quasi a seipso abstractus remansit. Illa vero his vocibus quasi ignitis iaculis sauciata, magnum interius ardorem et ineffabilem cordis dulcedinem sentiebat; adeoque ipsius verbis haec exhortatio impressa impesterum remansit, ut eam semper auribus suis intonari cogitaret. Imo tanta erat eius sermonum efficacia, ut quidam fidei probatae vir asseruerit, se dum s. Patrem loquentem audiret, quasi animi deliquium ex amoris et teneritudinis violentia pati solere ».

XLIX. « Capitaneum Franciscum de Vilcia sibi multum amicum et devotum Dei servus aliquoties rogavit, ut quod ab ipso peteret, non denegaret; cui ille, temporale aliquod (ut iam diu optabat) se collaturum beneficium existimans, libenter assensit. Tunc s. Pater: *rogo ut quam citius poteris, peccata confitearis, et deinde ea diligenter caveas.* His monitis acquievit capitaneus, et praemissa confessione vitam emendavit, ac paucis post annis intestatus decessit ».

L. « Cum olim Assyriorum caput Ninive omnium scelerum corruptela foedaret, divino mandato eam ingressus est Ionas, et futuram post quadraginta dies eius subversionem praenuntiavit. Attamen quia immutabilis Deus novit mutare sententiam, si noverit homo emendare delictum, ideo sequuta Ninivitici populi poenitentia, coelestis furoris impetum placavit. Magna etiam et enormia delicta laesi numinis iustitiam provocabant, cum ecce vir Dei Franciscus Solanus (ut pie creditur) spiritu divino impulsus, quadam die ad vesperam e conventu recollectionis s. Mariae Angelorum cui tunc praeerat, in civitatem

egressus est, in exitu dicens ostiario: *commenda me Domino, quoniam ad magnum ei obsequium praestandum vado.* Urbis plateam maiorem sequutus, gravi et modesto, ac poenitentiam iuspirante vultu se coram populo sistit; quo congregato, vitiorum corruptionem, concupiscentiam et libidinem acriter reprehendere coepit ».

LI. « Quoniam autem sacris concionatoribus a Domino dictum est: *non estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, factum est, quod sicut Christus, dum illum evangelii locum Matth. 6. *solvite templum hoc, et in triduo reaedificabo illud*, in medium adduxit non de templo, sed de corpore suo intelligi voluit, ita Franciscus faeces peccatorum acri reprehensione perstringens, ac spiritualem depravatae urbis perditionem annuntians, textum illum 1. Ioan. cap. 2: *omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae* dum allegavit, non civitatem illam materialem, sed animas habitantium triplici illo carnis, avaritiae et superbiae malo cito destruendas, et gravi supplicio puniendas minabatur. Qui vero praedicatoris linguam movebat Deus, audientium caput ita temperavit, ut omnes de civitatis Limanae destructione servum Dei prophetice loqui existimaverint ».

LII. « Hinc ergo rumor universam urbem de universa eius subversione percurrens, omnes tremore et pavore mortis perculsit, nemine dubitante futurum, quod a viro tam sancto et toties vera annuntiasse probato, praedictum vulgabatur. Ergo se toto civitas luctu et moerore induit; omnis aetas et sexus omnisque conditio pectora tundebat, misericordiae divinae preces propitiatorias offerendo; panduntur ecclesiae, patet augustissimum sacramentum, fiunt amarissimae confessiones, quibus excipiendis magnus confessariorum urbis numerus non sufficiebat ».

LIII. « Alii a multis annis crimina horrendo celantes, tunc ea, postposito verecundiae fraeno, effusis lacrymis et voce flebili annuntiabant; alii cum ad sacerdotis pedes pro privata confessione prae multitudine prohiberentur accedere, abdita conscientiarum vulnera publice manifestabant. Inter hos fuit quaedam mulier adeo divini iudicii timore perterrita, ac de scelerum foeditate convicta, ut alte exclamaret propter sua crimina perituram civitatem, praesertim cum etiam hac ipsa nocte incestuosam cum proprio filio copulam proposuisset habendam. Puer etiam quidam duodecennis, ut videbatur, ad pedes superioris conventus s. Augustini provolutus, adeo horribilem et humanam etiam excedentem malitiam confessus est, ut postmodum eam secum confessarius recogitans, non hominem sed diabolum sub hac figura latentem fuerit auspicatus. Hac nocte inveterata odia, et interni rancores depositi sunt, amicitiae renovatae, debita soluta, rapta restituta, fama compensata; ac tandem tales fuerunt fletus, dolores, poenitentiae, ut hanc dexterae divinae mutationem extitisse nullus ambigendi locus superfuerit ».

LIV. « Pervenit etiam ad religiosorum monasteria salutaris ille terror, dum conventus s. Dominici patres in gemitus et clamores illico prorumpentes, omnis afflictionis voluntariae armis accincti, aut flagellis asperrimis, aut catenis ferreis in seipsos saevirent. Mox ordinata processione o parto novitiatus in ecclesiam sacratissimum eucharistiae sacramentum honorifice deferendo, devotis cantibus pias litaniarum preces coelesti iustitiae placandae obtulerunt ».

LV. « Regebat eo tempore Peruanum regnum excellentissimus vir comes Montis-regalis *(Gaspar de Zuniga et Azevedo)*, qui audita civitatis commo-

tione ad se consilium auditorii regii eadem nocte convocavit, cum quo expensis repentini terroris circumstantiis, illustrissimum quoque urbis archiepiscopum Toribium Idelphonsum Mogroveio *(ab Innocentio XI. beatis anno MDCLXXIX. adscriptum, ac postea sanctis adnumeratum)* duxit desuper consulendum. Re lovicem collata, placuit antistiti ac pro-regi per provisorem archiepiscopatus Michaelem de Salinas patri commissario generali provinciarum ordinis seraphici Peruanarum in eadem urbe existenti significare, ut casum diligenter examinaret. Vocatus itaque vir Dei Solanus ad praesentiam commissarii intrepide accessit, et cuidam fratri, ne timeret, diceoti respondit: *scias, frater Ioannes, me ex divino praedicasse mandato.* Iussus ergo praedicationis verba repetere, illum praesertim epistolae I. Ioan. cap. 2. v. 16. textum ac reliquam concionem tam efficaciter et ferventer adduxit, ut omnes qui plures aderant, religiosos ad planctum commovisse, et multorum capillos prae timore iudicii divini erexisse notaretur ».

LVI. « Declaratio autem viri Dei, qua se de animae, non de civitatis destructione verba haec intellexisse asserebat, scriptis consignata ad archiepiscopum et pro-regem delata fuit; qua ad sedandam populi formidinem et perturbationem publicata, cum nihilominus timor cresceret, et planctus augeretur, gubernator pro-rex ad assistentes ait: *ne frustra laboremus; opus enim hoc Dei esse patet, quo sua maiestas indurata hominum corda, et ad malum proclivia voluit emolliri, et ad bonum converti.* Et revera divino plane impulsu Franciscus haec protulisse patet; quamquam enim nihil aliud intendisse sibi conscius esset, quam animae triplici illo iaculo praecellendae spiritualem destructionem, tamen in Dei mente materialem civitatis iacturam populo fuisse praenuntiatam, nisi forte conversus iram ultricem placasset, pie et rationabiliter indicari potest ».

LVII. « Fructuosae autem praedicationis materiam et stylum s. Pater non aliunde quam ex assueta oratione, aut ex divino hauriebat eloquio; inde enim pungentes illas et acres deducebat reprehensiones. Ex contemplationis et s. Scripturae fontibus aquas uberes traxit, quibus universam terrae illius faciem irrigavit. Nec erat sterilis aut arida Francisci praedicatio, eoquod motus quos aliis suggerere intendebat, prius sibi familiares omnino effecerat; ideoque audientibus planctum sussurus aut fletum, imitandum in vultu et oculis praeferebat moerorem. Interim divina explicando mysteria, extra se aliquando rapiebatur, et eorum consideratione liquefactus, vocis et sensuum usu deficiebat, facundisque verbis silentium magis substituebat ».

LVIII. « Quadam die solemnitatis s. Didaci dum in conventu Limano sermonem habens, pretiosam eius mortem referret, in haec verba ab illo quondam prolata: *dulce lignum, dulces clavos* deveniens, adeo se liquefactionis teneritudine sensit immutatum, ut in medio sermonis tacere, et a se omnino abstractus, e cathedra resilire sit coactus. Cum semel in die visitationis b. Mariae virginis monialibus s. Clarae verba salutis proponeret in illo Cantici loco: *Et exultavit spiritus meus*, oculis ad coelum erectis, mira de Virgine, et de Verbo in eius visceribus humanato adduxit. Iterumque eadem verba: *Et exultavit spiritus meus* proferens, tantam sensit dulcedinem et exultationem, ut extra se raptus, capite ad cratis marginem inter brachia reclinato, quasi sponsa Canticorum languescere sit visus. Diram Salvatoris passionem dum in imagine crucifixi exhiberet, lacrymarum imbro perfusus, induratos et insensibiles auditorum animos ad contritionem et gemitum excitabat. Uno verbo, hic verus

seraphici Patris filius et fidelis discipulus, populo vitia et virtutes, poenam et gloriam cum brevitate sermonis annuntiabat ».

LIX. Eximiis etiam virtutibus florebat b. Andreas Hibernon laicus fratrum discalceatorum in coenobio s. Rochi de Gandia, eo ab anno MDXCI. postulante urbis Dynasta, a maioribus destinatus. Summo in pretio habebatur a venerabili viro Ioanno a Ribera patriarcha Antiocheno et archiepiscopo Valentino, cuius egregia virtutum facinora probata fuerunt a s. r. c. sub die VIII. Decembris anno MDCCLIX. Is enim cum aliquando spiritualibus exercitiis vacaret in eodem coenobio, inter coelestia colloquia plurium horarum spatio noctis cum Beato ducebat. Ne vero ab eo vel ad breve tempus laudatus archiepiscopus seiungeret, coenobii praesidem exorabat, ut ianitoris officium quod Beatus explebat, aliis fratribus committeret. Alio tempore Murciam ab Antonio Sobrino provinciae s. Ioannis Baptistae ministro missus, erectionem coenobii s. Didaci eiusdem civitatis, quae malevolorum consilio suspensa fuerat, compositis inter partes dissidiis, virtutis exemplo magis quam manu et verbis ad perfectionis culmen quamcitius adduxit. In eius molitione ipse lapides asportabat, et caementarii munus hilariter explebat.

Mondina in eius vita pag. 152

Idem pag. 21

LX. In Picena provincia sanctitate vitae praestans erat s. Seraphinus a Montegranario capucinus item laicus. Nimia in eo erat in pauperes liberalitas, potissimum in oleribus erogandis. Cum autem aliquando a superiore de hac re obiurgaretur, tunc Seraphinus: *ne te*, aiebat, *pater olerum penuria sollicitet*; *nam ea abundabunt*, *nec ullum familia detrimentum patietur*. Quod revera evenit; quae enim praecisa ab eo fuerant de sero, virescebant ita de mane, ut nullam unqnam incisionem hortus passus videretur. Quaestuarii munus exercens, in egenos ita se gerebat, ut nisi socius obstitisset, pane vacuus saepe coenobium repetiisset.

Boverius tom. 2. pag. 727. et seq.

LXI. Mentis puritati vitaeque innocentiae sedulo invigilabat. Non modo graviora crimina, sed et leviora infesto odio prosequebatur, nec unquam voluntariis ac cognitis locum in animo dabat. Hinc nunquam adduci potuit a quadam nobili muliere ad mendacium sub praetextu utilitatis dicendum. Cum autem illi dixisset mulier: *quid amplius, quam veniale peccatum est?* Tunc Seraphinus: *an parum tibi esse videtur? ita me Deus amet*, *quod si totus mihi mundus pretii loco appenderetur*, *dummodo huiusmodi delictum sub qualibet boni aut recti alicuius specie patrarem*, *eo et maiori pretio contempto*, *ab eo refugerem*. *Num id leve existimas*, *quod Deus etiam in exiguo contemnitur*; *quo Spiritus sanctus contristatur*; *quo charitatis fervor deperditur*; *qua tandem animus labefactatur*, *et ad pietatis opera praestanda gravior redditur? Equidem si tantillus coelestis et benignissimi in nos Patris amor animum pungeret, qui fieri potest, ut in id unquam quis sponte consilium propenderet, quo vel leviter eum offenderet?* Unde eius confessarii plerumque nullam absolutionis sacramentalis materiam in eo detegebant.

LXII. Precibus coelestibusque meditationibus et vacabat. Ad tertiam usque noctis horam in ecclesia permanebat; ad matutinas horas inde exurgens ad lucem usque orabat, frequenter a sensibus alienus. In sacello sacrae domus Lauretanae in Piceno aliquando prima luce in vesperum perduxit orationem, nec quidem finem imposuisset, nisi a sacrae Domus custode ab ea avocatus fuisset. Eamdem orandi consuetudinem tum in itineribus, tum in saecularium domibus semper retinuit. Multas infestationes tunc temporis, minas, verbera-

que sustinebat a daemonibus; eos autem verbis provocans aiebat; *caedite daemones; quid tam segniter opus vestrum expletis? caedite; meas enim partes agitis, dum domesticum meum hostem verbere perstringitis.* At saepe coelesti b. virginis Mariae quam singulari prorsus prosequebatur affectu, visione ac colloquio dignabatur; tanto tunc spiritus sui aestu in eam ferebatur, ut toto corpore attolleret se a terra. In recolenda Christi Iesu passione intensa animi compunctione afficiebatur, lacrymarum imbre semper perfusus.

LXIII. Tot igitur tantisque virtutibus cumulatus, praeclaram vitae suae sanctimoniam testatam voluit Deus apud homines coelestibus donis eidem abunde collatis, quae tamen summo studio occultabat. Ac in primis impervias saepe hominum cogitationes ac consilia inspexit. Duo notamus. Iuveni necem adversario suo animo machinanti aperit, argult, et a crimine eum avertit. Alteri qui multis noxarum maculis anteactae vitae cursum labefactaverat, cum oculorum lumine careret, a Seraphino caecitatis curationem postulanti, occulta scelera severa animadversione manifestat. Res futuras praedixit, quas cum multae sint, paucas proferimus. Civi Asculano cui suprema aegrotantis funera parabantur, incolumitatem, diuturnamque vitam pollicetur. Lucretiae Santucci morti proximae, cui sacerdos accesserat eius animam commendaturus, Seraphinus deosculandam offerens Christi crucifixi imaginem quam secum gestabat, dixit: *Lucretia, Deo gratias: haec enim infirmitas tibi non ad mortem, sed ad vitam erit.* Eiusdem Lucretiae vir levi morbo correptus in vicino cubiculo iacebat; ut illum vidit Beatus, dixit: *non sic ille, qui in cubiculo aegrotat; is enim brevi ex hoc vita discedet.* Uxor e mortis faucibus erepta fuit; vir autem eius occubuit. Nonnullis etiam necdum de capucinorum instituto amplectendo cogitantibus religiosis ingressum praedixit, et in eorumdem ordinem intrarunt.

LXIV. Curationum dono etiam insignitus fuit. Solo crucis signo, vel sua crucifixi imagine, vel manus impositione multi sanitatem illico recuperarunt; nimirum gravi crurum dolore affecti, cordis palpitatione laborantes, podagrae morbo detenti, tumoribus, inflatione, hernia et hydrope vexati. Plagis vulneribusque sanciatos lethalibus, iisdem ferme modis sanabat. Caecos etiam, mutos, surdos, ac incurabiles sanatos a Beato fuisse novimus ex actibus suae canonizationis. His aliisque quampluribus divinae potentiae miraculis servi sui merita et sanctimoniam ita illustrabat Deus, ut quacumque in conventus familia degeret, ad eum aegrotantium turbae confluerent.

LXV. Hoc anno in basilica s. Bartholomaei de Urbe inspecta fuit arca plumbea reliquiarum s. Theodorae matronae romanae, de qua hoc extat monumentum: *Die* XXV. *Augusti* MDCI. *mag. et r. d. Io: Matthaeus Ancina Ecclesiae Novae, de ordine et commissione, ut asserit, illustrissimi cardinalis Tarusii titularis ecclesiae s. Bartholomaei in Insula, asserens annis praeteritis tempore Othonis* III. *fuisse transportatam quamdam capsam diversarum reliquiarum, mihi notario et testibus infrascriptis ostensam in sacristia dictae ecclesiae: et in eadem ecclesia positum fuisse corpus s. Theodorae, et nunquam alibi fuisse transportatum; et propterea putat in capsa, et reliquiis praefatis esse de reliquiis eiusdem s. Theodorae, ideo p. mag. et r. d. Ioannes Matthaeus vocavit mag. d. Iulium Caesarem Lupi.... ibidem praesentem ad respiciendum, si in reliquiis p.... adsunt ossa mulieris. Qui mag. d. Iulius Caesar visis nonnullis de reliquiis p.... affirmavit esse unum petium ossi capitis seu cocciae mu-*

Casimirus a Roma memorie istoriche ec. della provincia romana pag. 283.

lieris: quare putat esse de capite p. s. Theodorae. Confirmat etiam ex quadam litera T. inventa in medio ossi p. sculpta artificialiter et non naturaliter, prout etiam d. mag. d. Iulius Caesar affirmavit.

LXVI. Altare beatae Mariae virginis, in quo capsula ossium s. Theodorae reposita fuit, solemniter consecravit Leonardus Abel episcopus Sydonien. Extat et monumentum eidem capsulae occlusum hisce verbis: *Has sacras sanctorum reliquias in hac ipsa ecclesia inventas, quorum nomina scripta sunt in coelis, in hoc altari iam ab illustrissimo ac reverendissimo d. et praedecessore meo d. Iulio Sanctorio presbytero cardinali, et nunc episcopo Praenestino praestructo et ornato includendas, et altare ipsum in honorem Dei, et beatissimae virginis Mariae, cui gloriosissimae Dominae meae obsequium istud indignus servus senio impeditus praestare non potui, consecrandum curavi per reverendissimum d. Leonardum Abel episc. Sydonien, ego Franciscus Maria tit. s. Bartholomaei in Insula s. r. e. presb. card. Tarusius Senorum archiepiscopus, anno Domini* MDCI. *die* XVI. *Augusti sedente Clemente* VIII. *summo pontifice.* Haec autem consecratio peracta fuit, superveniente impedimento, die XXVI. eiusdem mensis. *Idem ibid. pag. 284*

LXVII. Idem episcopus eadem die consecravit altare s. Paulini episcopi, ubi eius corpus requiescit. Facti memoriam vulgamus. *Anno Domini* MDCI. *die* XXVI. *Augusti ego Leonardus Abel episcopus Sydonien. et in Urbe suffraganeus consecravi altare hoc in honorem s. Paulini episcopi et confessoris, et corpus ipsiusmet Sancti in hac arcula contentum ad latus evangelii: de corpore vero s. Adalberti episcopi et martyris, et de corporibus sanctorum martyrum Exuperantii et Marcelli reliquias altera arcula contentas ad latus epistolae in eodem altari inclusi, et singulis christifidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis ipsum altare visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma ecclesiae consueta.* *Idem ibid. pag. 300.*

LXVIII. Corpus b. Petri a s. Andrea, oppido territorii Faventini in provincia Bononiae, defuncti anno MCCLXIV. in coenobio Castri Villaris in Calabria praesenti hoc anno elevatur. Altera eius translatio peracta fuit quadraginta post annos a sui obitu ob crebra miracula, quae ad eius tumulum eveniebant. Integrum et habitu illaesum repertum, reconditum fuit in area marmorea, in qua iacuit annis ferme tercentis. Summi pontificis commissione hoc anno iterum translatum fuit super altare sacelli ecclesiae eiusdem coenobii, ubi adhuc colitur magna fidelium pietate. Hoc eodem anno die XXVIII. Februarii corpora beatarum Agnetis Perandae abbatissae, et Clarae discipulae et consanguineae s. Clarae Assisiatis, defunctae in monasterio Barcinonensi a se instructo, solemniter translata fuere, adstantibus sex abbatibus ex s. Benedicti familia quibus monasterium paret, et Alphonso Colona urbis episcopo. Translationis acta notavit Paulus Castella, apostolicus et regius notarius. Altera translatio quae a Waddingo notatur, evenit ante id tempus; earum nempe corpora quae in monasterii coemeterio iacuerant, beneficio magni splendoris noctu coruscantis detecta, illata fuere ad sacellum s. Ioannis. *Ann. min. ad ann. 1309. n. 10.* *Ann. min. ad ann. 1253. num. 34. ad ann. 1281. n. 5.*

LXIX. Cursum vitae complevit hoc anno Philippus Diez minorita de observantia, Brigantiae in Lusitania natus, vir apprime doctus et pius, qui totus erat vel in scribendo vel orando, et post preces matutinas quibus semper praesto erat, a choro ad auroram usque haud recedebat. Praeter a nobis notata, sunt eius opera *summa praedicantium ex omnibus locis communibus* *Wadd. et Sbaralea lit. P.* *Ann. min. ad ann. 1586. n. 71*

tomis duobus. Pluries opus diversis in locis lucem aspexit, sicut et *considerationes seu conciones* XII. *pro omnibus actis vel functionibus generalibus, quae in ecclesia Dei celebrantur.* Eius opus *Mariale* seu *conciones beatae Mariae virginis cum tractatu de passione Christi et afflictione beatae Mariae* ex hispano in italicum idioma vertit Mathias Fusanus ordinis praedicatorum, ab eo Venetiis vulgatum anno MDCVIII. *Oeconomia evangelii* eiusdem auctoris prodiit Coloniae anno MDCLXXXIV. Franciscus de Campo ex provincia s. Iacobi edidit *compendium* sive *indicem moralium conceptuum* ex eisdem operibus Philippi typis Salamanticae anno MDLXXXVIII. Seraphinus Radius ordinis praedicatorum fecit *expositionum evangelicarum ex huius scriptoris concionibus de sanctis selectionem.* Ita habet Iacobus Echard in script. ordinis praedicatorum tom. 2. pag. 387. Antonius Leonius in bibliotheca Indica titulo 18. ait extare lingua mexicana *sermones fr. Philippi Diez franciscani.* Ioannes Lopez item franciscanus de observantia hoc distichon posuit tom. 2. suorum operum.

Laeta Brigantinos Salamantica suscipe fructus
Quos haec terra tuo lacte rigata tulit

Hinc modo surrexit doctissimus auctor in omni scriptura et legis doctor apostolicae.

LXX. In cathedrali sua ecclesia Clodiensi dormitionis requiem accepit hoc
Sbaralea lit. M. anno Maximianus alii Maximilianus Beniamus minorita conventualis, natus in oppido Cotonei in agro Leodiensi. Bononiensi provinciae praefuit minister, et contra haereticam pravitatem Adriae primum, postea Patavii inquisitor fuit. Eo munere interfuit theologus Tridentino concilio, in quo anno MDLXI. concionem habuit. Eius typis Patavinis anno MDLXII. est *oratio habita ad patres concilii Tridentini in dominica* II. *adventus.* Anno MDLXXXV. a Sixto V. electus fuit episcopus Clodiensis.

LXXI. Pinnae in provincia Aprutina cum sanctitatis fama decessit Lau-
Idem lit. L. rentius a Montepolitiano Hetruscus, vicarius provinciarum capucinorum Aprutii, et s. Francisci, et pluries novitiorum sui instituti magister; ad quorum instructionem scripsit *tractatum de externa hominis compositione, et hominis interioris abnegatione ex opusculis s. Bonaventurae depromptum.* Manuscriptum adhuc extare dicit auctor bibliothecae capucinorum.

LXXII. Qui sequuntur, hoc tempore in eorum instituto literis florebant.
Idem lit. G. Georgius Sabinus, alii Gregorius Sabinus Taurinensis, Taurini hoc anno vulgavit a se conscriptum italice *compendium vitae beati Valerici,* cuius corpus asservatur Taurini in aede b. Mariae consolatricis. Alexandriae apud
Idem lit. P. Hermetem Quintianum Paulus Lunatus Aquensis concionator, definitor, et vicarius provinciae Genuae edidit opus *exercitii orationis mentalis et vocalis.*
Idem lit. T. Thomas Avenionensis Gallus patrio idiomate vulgavit *orationem in obitu Ludovicae de Lorraine Galliarum reginae* Parisiis apud Donceur. Taurini
Wadd. lit. M. apud Ioannem Dominicum publici iuris fecit Mauritius de Morra, Astensis dioecesis oppido, *doctrinam christianam de mysteriis fidei.*

Sbaral. lit. B. LXXIII. Ex tertio fratrum ordine in Sicilia doctrina eminebat Bernardus Sabbia Panormitanus, per plures annos procurator generalis, coenobiorum Alcami et Catanae fundator edidit Romae hoc anno *sermonem,* cui titulus: *logica diligenter observata r. p. mag. Ioannis Antonii Brandi Siculi de*
Idem lit. B. *Salem in suo libro Rosarii inscripto.* Bonaventura Battalea Ciminensis item Siculus edidit *discursum artis metricae* diligenter observatum a p. Ioanne

Antonio Brando Salemensi in suo *Rosarii* libro. Mss. reliquit opus *de immaculata conceptione Virginis.* Italico idiomate scripsit *de christiana veritate librum* Franciscus Bellius Sacensis etiam Siculus, edidítque Papiae hoc anno. Multae in eo veteris testamenti figurae adducuntur circa nostrae fidei mysteria. Opus etiam vulgasse eruditum *super decalogum* tradunt. Idem lit. F.

LXXIV. Humanioribus literis instructus Hieronymus Falcioni a Monteregali provinciae s. Francisci minorum conventualium cecinit carmine *martyrium s. Margaritae,* Perusii vulgatum hoc anno. Philippus Faber in agro Brisighellensi dioecesis Faventinae natus ac eidem ordini adscriptus, vir vere doctus evasit. Sacram theologiam publice docuit in universitate Patavina. De eo sic scribit Paulus Freherus in theatro virorum eruditione clarorum illius universitatis part. 4. *Philippus Faber Faventinus scoticam doctrinam alternis impugnantium fluctibus prope obrutam, ad pristinum robur ingenii sui validitate restituit, quo postea merito eius sectae lucerna et propugnaculum summo eruditorum consensu vocatus est. Et quidem huius viri phrasis scholasticorum more haud insulsa et inepta, se in sui simplicitate planis distincta sententiis, atque optima ordinis ratione suffulta disputando permovet, decernendo persuadet, exaequat copiam opinionum firmitae, subtilitatem facilitas temperat.* Prodiit hoc anno primum eius *philosophia naturalis Scoti in theoremata* CII. *distributa etc.* inde Venetiis anno MDCII. MDCVI. MDCXVI. ac tandem MDCXXII. In operis fino habetur *tractatus de formalitatibus Scoti in* X. *capita distributus.* Idem lit. H. Idem lit. P

LXXV. Eiusdem instituti fuit Hilarius Altobellus e Monticulo, nunc Treia, Picenus, mathematicis disciplinis mire excultus. In bibliotheca vaticana extat mss. eius *animadversio physica in novilunium eclypticum observatum Veronae die* XXIV. *Decembris anno* MDCI. *ad Rodulphum* II. *imperatorem.* In hoc opere extat *examen Ioannis Kepleri eiusdem animadversionis physicae.* Auctor etiam fuit alterius mss. *de proxima reipublicae Venetae inclinatione ex astris coniectura.* Plura et alia scripsit. Idem lit. H.

LXXVI. Matriti hoc anno vulgavit Petrus a Iesu Abulensis ex fratribus discalceatis, quos scripserat idiomate hispanico, *tractatus duos de modo legendi flores in flore agri Christo Domino nostro*, et *de modo legendi flores in campo virtutum supernaturalium et moralium.* Sequentes spectant ad familiam minorum de observantia. Marcellus de Ribandeneira hispanus provinciae s. Iacobi, sacrae theologiae lector verbique Dei summus praeco, qui zelo propagandae fidei ad remotissime Iaponiae regna profectus, cum beatis martyribus Petro Baptista sociisque aliis particeps esse non meruit in agone, in Hispaniam reversus sanctissimo vitam duxit. Hispanico idiomate scripsit ac vulgavit Barcinone hoc anno *vitam et gesta martyrum Iaponensium*, quorum passio spectator fuit. Item in eodem civitate et hoc anno edidit *historiam archipelagi et regnorum Sinensium, Tartarorum, Iaponensium* etc. Pariter edidit Nicolaus Gazzaeus Attrebas *speculum viduarum*, seu *vitam Ludovicae de Lotharingia.* Melchior Huelanus hispanus oppidi Terraconensis dioecesis Conchensis in provincia Carthaginensi, Conchae vulgavit apud Cornelium Bodan *discursus spirituales super antiphonam Salve Regina.* Addidit huic operi *discursus de nativitate Virginis, de s. patre Francisco, et de defunctis.* Guilielmus Stannie Anglus, fervidus missionarius et primus a dissolutione provinciae Anglicanae commissarius edidit Mechliniae idiomate anglicano tractatum *de poenitentia in gratiam eorum, qui tertii ordinis s.* Idem lit. P. Idem lit. M. et Wadd. Iidem lit. N. Iidem lit. M. Wadd. lit. G.

Francisci regulam in saeculo profitentur. Commendatur prae soae vitae probitate et honitate.

LXXVII. Hoc anoo die xxiv. Iaouarii ioter mioores observantes coosequutus est episcopalem dignitatem ecclesioe Caprularum in ditione Veneta Ludovicus de Gritiis; die xxx. Aprilis Bonaveotura Secusius iam patriarcha Constantinopolitanus ac eiusdem instituti episcopalem dignitatem ecclesiae Pactensis in Sicilia, reteuto titulo patriarchali; die xix. Novembris episcopalem dignitatem ecclesioe de Paraguaia, sive Assumptionis de Cile Martinus Ignatius de Loyola. Subest archiepiscopo Platen. *Apostolatus officium* xiii. calendas Decembris; episcopalem dignitatem ecclesiae Ceptensis mox et Tingitonae io Mouritaois Hieronymus Villabon ex Hyaciutho Sharalea; postremo ecclesiae Sardiceu. sive Sophiae in partibus iufidelium die xxiv. Ianuarii Petrus Solinas de Bosnia. Ut uutem eidem diguitati iusimul ae indigeutiae satis esset provisum, aureos nummos trescentum eidem iussit pootifex impendi quotannis ex certis in Hispania ecclesiasticis reditibus.

Torrub. pag. XVIII.

Coleti Illyricum sacrum tom. 8. pag. 59. et seq.

LXXVIII. Miserrimum istius ecclesiae statum literis datis anno mdclxvii. ad sacram episcoporum et regularium coogregationem hisce verbis descripsit Petrus Adeodatus tertius post Petrom antistes: *antequam catholici episcopum habere coeperunt proprium, magna. . . . . . (forte magnates) sibi parochas sive saeculares sive regulares procurabant, et decedente vel discedente aliquo eorum, magna tempore carebant parochis, vel aliquanda inter catholicos unus tantum reperiebatur. Vix solemuioribus diebus sacrum audiebant.* Vix Petrus ad suam ecclesiam accessit, tamquam angelus de coelo lapsus receptus est. Aedem suam prope ecclesiam oppidi Capilovatii vasto et fertili territorio divitis, et a quatuor ferme catholicorum millib. inhabitati, ac insuper hospitium pro franciscanis, quos ex provineiis s. Salvatoris et s. Mariae secum detulerat, instruxit. Horum franciscalium de observaotia nomina exscribimus ex mss. missionum de propagands fide lib. 9. cap. 6. num. 3. nimirum Gabrielem Persich, Emmanuelem Melko, Clemeotem Papankouicz, Gerardum Pohyrezky, Iosephum Reniezky, Sebastianum Gaalhy, Christophorum Domaoitczky et Benignum Gzervenka. Iis igitur iu partem laboris adscitis, onus Bulgaricae ecclesiae administratiouis eisdem fratribus imposuit, eum ipsa clero saeculari destitueretur.

LXXIX. Interim, teste laudato Petro Adeodato, *Capilovatii et Xelenga iisdem religiosis ecclesias parochiales inhabitandas et administrandas tradidit. Ad religionem quoque nannullos iuvenes eiusdem loci et ex convicinis admisit, quos instruebat et ad sacerdatium sua tempore promovebat; ipsemet episcapus dum vixit, fratres quas in dies augebat et alios quos aliunde advocabat, non modo ut parochos, sed etiam ut regulares regebat; ipse cum eis in commune vivebat, cantributiones parochiales omnesque alias eleemosynas recipiebat, fratresque subditos alebat, eisque necessaria ministrabat.* Qua quidem animorum cooeordia, et io commuoe bonum conseosioue prorsus singulari res christiana Sophieosis ecclesiae plurimum proficiebat. Cum autem Petrus Turcis gratissimus morum integritate ac suavitate evasisset, nullum unquam ab ipsis passus est sui muneris impedimeotum, et liberrime per Bulgariam universam eui apostolici vicarii potestate praeerat, tum per Huogariam Turcicam, et dioecesim Sameadriensem quas ei regendas commiserat pootifex, vel ipse erebris exeursibos vel suorum ope catholicam fidem eiusque eultum ae disciplinam mirifice iuvit aoxitque.

Digitized by Google

LXXX. Hoc anno Manilam accesserunt quos ex Hispania adduxerat frater Ioannes Pauper, quinquaginta fratres animarum salvandarum aestu succensi. Nos ad historiae integritatem eos notamus; siquidem ex eis plurimi in diversas Indiae regiones commigrarunt, ut fidem Christi disseminarent suoque sanguine foecundarent. Sunt enim Ludovicus Sotelus, Petrus de Assumptione, Apollinaris Franco, Dominicus Santiago, Sebastianus de Urbito, Antonius del Puerto, Alphonsus Guerrero, Franciscus Morante, Ioannes del Cano, Ioannes Testigo, Ioannes Montero, Ioannes de Macotera, Ioannes Baptista de Moyn, Franciscus de Fonseca, Andreas a s. Michaele, Michael de la Torre, Michael Lucas, Franciscus Duran, Didacus de Casasolo, Petrus Baptista, Marcus a Iesu, Raphael de Cuenca, Petrus de Alcantara, Franciscus a s. Stephano, Petrus de Mora, Michael Porcia, Bernardinus a s. Ioanne, Andreas Philippus, Ioannes a s. Antonio, Sebastianus a s. Ioseph, Andreas a s. Bernardino, Franciscus a s. Gabriele, Antonius a Conceptione, Petrus de Alcozar, Ioannes de Consuegra, Petrus a Cruce, Bartholomaeus a Cruce, Antonius a Conceptione, Augustinus Paschalis, Lopez de Alcarazo, Georgius ab Assumptione, Ioannes Manso sacerdotes; Alphonsus de la Soledad, Petrus a s. Didaco, Franciscus a s. Michaele, Adrianus de la Soledad, Michael de Victoria, Ioannes Martinez, Christophorus a s. Bonaventura et Petrus Borgillos laici. *Martinez lib. 1. pag. 77.*

LXXXI. Hieronymus a Iesu e Manilae civitate, ad quam advenerat orator nomine Iaponiorum regis Daifuxama, ut pacis et commercii foedus iniret cum praeside Insularum Philippinarum, in Iaponiam iterum hoc anno advenit, sociis sibi adiunctis Ludovico nimirum Gomez, Dominico de Santiago et Francisco de Roxas. Perhumaniter eos excepit Meaci Daifuxama, opertisque legationis literis, aedem pro eorum incolatu instaurandam in eadem urbe permisit. At non multo post idem Hieronymus gravi infirmitate perculsus, die vi. Octobris, non vero ut scribit Arturus die xxix. Decembris coelestia petivit, ecclesiae sacramentis refectus. Inter lacrymas suorum ac christianorum moerorem tumulum nactus est in ecclesia coenobii eiusdem civitatis, olim instructa a beatis martyribus Petro Baptista sociisque suis protomartyribus Iaponensibus. Pauca dictis adiicimus. Ulysipono ortum duxerat, parentibus nobilitate generis et pietate illustribus, et in coenobio s. Francisci eiusdem civitatis adolescens solemnia vota Deo nuncupavit. Studiorum curriculum in provincia Granatensi minorum de observantia perfecit eo tamen successu, ut insignis Dei praeco evaderet, fructum referens deviorum ubique. Unus fuit ex illis, qui anno mdxcvi. beato Petro Baptista commissario adiunctus, in Iaponiam mira pro Dei gloria sustinuit, multosque infideles sacro baptismate tinxit. Martyrii lauream, sic Deo disponente, haud obtinuit, reservatus ad maiorem suae omnipotentiae manifestationem catholicaeque fidei propagationem. Ingenio praestans licet undique tribulationibus et periculis affectus, aliqua scripsit. Eius est *succincta relatio rerum Iaponensium*, quam typis commisit in sua hist. Insularum archipelagi lib. 5. cap. 32. Marcellus Ribandeneira eiusdem instituti. Auctor etiam fuit *variarum epistolarum*, quas in lucem dedit Ioannes a s. Maria part. 2. lib. 3. cap. 23. Non paucae etiam mss asservantur Matriti in archivo regalis coenobii s. Aegidii fratrum discalceatorum. *Ann. min. ad ann 1600. n. 78.* *Martinez lib. 3 pag. 131.*

LXXXII. Martinus Iulanus minister provinciae minorum observantium Hungariae Romae degens supplices literas dedit summo pontifici, ut apostolica sua auctoritate malis quibus undique ab acatholicis sodales sui premebantur, consulere dignaretur.

BEATISSIME PATER

Ex archivo secret. brevium in mense Octobri pag. 160.

Cum universum regnum Hungariae per se sit afflictissimum, religiosae cultivaeque paupertatis nostrae status et conditio non potest non esse afflictissima. Quantis enim tempestatum procellis superioribus temporibus iactata sit, et adhuc in dies multo gravius iactetur nostra patria, et consequenter eodem nostri ordinis provincia non latere scimus sanctitatem vestram; quo amore miserrimum illud regnum nostrum sanctitas vestra prosequatur, qua cura solicitudineque tueatur et faveat, nos quoque, licet magna terrarum intercapedine disiuncti, et antea animadvertimus, et imposterum sanctitatis vestrae beneficio frui cupimus, eoque nos vehementius quo magis afflicti; nec diffidimus, quin extremo laboranti membro opus laturus sit is, qui totius corporis bono paterne providet. Neque enim indigna videbitur postulatio, ut laboribus multis exantlatis, defixa religio, aliisque pene destituta auxiliis vestrae sanctitatis pio paternoque subsidio refocillet? Notum quippe est omnibus eruditis, quomodo sanctissima religio catholica a nostris hominibus iam inde ab incunabulis longe lateque in Hungaria plantata, et pie fota fuerit, ac multis retroactis temporibus regnum illud cum ingenti ecclesiae emolumento felicissima nobiscum floruerit. Verum cum divini honoris osor daemon catholicae religionis unitatem per haereses disrupisset, et multis in partibus labefactasset, coepit noster quoque ordo seraphicus detrimentum non mediocre pati, in tantamque miseriam, refrigescente in cordibus hominum Christi amore, temporis processu prolapsa est, ut pene omnibus suorum amissis, nonnisi flebilem status sui faciem reliquerit. Nec tamen tantum invaluere hactenus adversa, ut eam penitus labefactarent, quinimo omnibus aliis religiosorum ordinum familiis ex illis partibus expulsis etiam inter ipsos haereticos et paganos egregie constanterque operam navant, amplioris fructus spe auctis viribus, ac paulatim novis cultoribus succrescentibus; sed cum hoc tempore malo atque infelicissimo angustiae nos undique premant, et gemitus ovium sanctitatis tuae in partibus nostris magis ac magis in dies crescant, ideo, beatissime Pater, longis itineribus labore maximo ac pene vitae meae dispendio, ad pedes sanctitatis vestrae coactus sum confugere, orans eamdem sanctitatem tuam humiliter cum omnibus fratribus meis ob Iesu Christi amorem et zelum pietatis christianae, ut auxiliatus nobis manus iamiam minam minantibus velit porrigere, ac tua auctoritate id efficere, ut amissum in Hungaria religionis nostrae decorem, tandem postliminio recuperemus; nisi enim benigna ac paterna providentia sanctitatis tuae nobis auxilio sit, verendum est omnino, ne in tam florenti olim regno, fidei christianae in primis cultore, religio nostra destituta operariis, penitus deficiat, Ex quo quantum christiana respublica detrimenti perceptura sit, quivis facile videre potest, cum nostris dumtaxat hominibus, velut columnis, tota christiana religio in Hungaria, maxime autem inter infideles, fulciatur.

POSTULATIO I.

In primis itaque quia multis in locis curam animarum habemus, et circa sacramentorum administrationem occupamur, ac cum haereticis negotium nobis

est, summopere desideratur, ut in partibus nostris inter fratres studium instituatur, ut eo facilius infidelibus resistere et christianum populum adiuvare possimus. Sed quia iniquis istis temporibus desiint nobis benefactores, quorum patrocinio id efficere valeamus ita, ut etiam tenue cibum quotidianum aegre admodum inveniamus, rogamus humiliter sanctitatem vestram, ut hac in re dignetur partes nostras agere apud imperatorem nostrum Rodulphum, mediante illustrissimo sanctitatis vestrae legato Pragae degente, ut suae maiestatis ope et auxilio adiuti, ad Dei laudem et utilitatem ecclesiae in studiis proficimus, et contra hostes arma spiritualia sumamus. Modum autem in hac re iuvandi facillimum suae maiestati, nos humiliter per illustrissimum nuntium insinuabimus. Interim autem oramus submisse sanctitatem vestram, ut ex iunioribus fratribus nostrae provinciae non ita pro copia quam pro utilitate religionis, inter alumnos qui collegiis patrum societatis Iesu degunt, Viennae scilicet Graecii, Pragae, et Olmutii singulis in locis saltem hiui continuo instituantur.

POSTULATIO II.

Quia monasteria nostra magna ex parte tum ab haereticis occupata, tum ab aliquibus catholicis ad usus illicitos conversa sunt, propter talia facinora regnum illud Deus punit, petimus ex auctoritate tuae sanctitatis, mediante imperatore nostro Rodulpho, restitui ac resarciri; quod quidem ex antiquorum religiosorum bonis quae ad profanos usus convertuntur, facillime fieri poterit.

POSTULATIO III.

Destruitur etiam sacer ordo noster a variis falsis fratribus et apostatis, qui ex diversis regnis et provinciis ad nostras partes sese conferunt, et turpis lucri gratia magnatibus adhaerentes, aliqua sacra loca nostra occupant, magnoque scandalo populo Dei sunt; quorum immoderatam libidinem dum corripere volumus, se ipsos a nostra potestate exemptos ac alienos esse aiunt, nullumque superiorem agnoscunt, sed laxatis ad omnia licentiarum genera habenis, ad brachium saeculare velut ad asilum confugiunt. Ideo supplico humiliter sanctitatem vestram, ut auctoritate tuae sanctitatis adiutus ac munitus, tum in Hungaria tum in Transylvania, ubi plurimum nocent, potestate plenaria omnes discolos iuxta officium meum corrigere ac coercere valeam, tum etiam loca omnia nostra quomodocumque abalienata recuperare possim. Quod ut efficacius efficere valeam, dignetur sanctitas vestra mandare omni statui, ne se temerario modo in negotiis nostris immisceant, quin potius principes a me requisiti, contra perturbatores auxilio esse velint.

POSTULATIO IV.

Cum privilegia nostra partim vetustate, partim incuria aliqua attrita sint, et iura antiqua multis olim praerogativis insignia neglectui haberi coeperint, supplicamus humiliter sanctitatem vestram, ut iuxta antiquorum sanctorum pontificum bullas, etiam sanctitas vestra nos ab omni potestate ac perturbatione tam saecularium quam ecclesiasticorum exemptos, tuae tutelae immediate subiiciat, et tam nos quam loca nostra in suam paternam protectionem reci-

piat, ut in tam optato sanctitatis vestrae gremio, ad quod lassi confugimus, refocillati, tam saluti propriae quam proximorum quietius incumbere valeamus.

POSTULATIO V.

Non latet etiam sanctitatem vestram, fideles in remotioribus partibus degentes, maxime vero tyrannidi turcicae subiectos, vix omnino necessariis ad salutem rebus provisos, aliaque, licet ad pietatem excitandam plurimum conferant, penitus ignorare. Itaque rogamus sanctitatem vestram, ut grana aliqua, cruces, metalla, rosaria benedicta cum indulgentiis, coelestis item agni effigiem continentes, orbiculos cereos ad piorum animos in devotione promovendos nobis largiri dignetur, quatenus cura pietasque vestrae sanctitatis ad eos quoque qui longe absunt, pertingat clementer, atque ut facilius fides ei adhibeatur, indulgentiarum praedictis rebus concessarum declarationem in aliquo brevi sanctitas vestra concedat et confirmet.

POSTULATIO VI.

Sunt in provincia nostra sanctimoniales ordinis s. Clarae, propriis sedibus a paganis pulsae, nunc vero sub mea cura in duobus locis residentes quae quia propter haereticos magnum salutis suae discrimen subeunt, nisi continua cura ac solicitudo circa eas adhibeatur, rogamus humiliter una cum illis sanctitatem vestram, ut ex nostris fratribus specialem commissarium et confessarium mereantur habere, qui illarum diligentem ac omnimodam curam tam in spiritualibus quam in temporalibus habeat post sanctitatem vestram ac illustrissimum protectorem nostrum, solius reverendissimi generalis nostri ministri imperio, una cum sororibus ac sociis sibi adiunctis subiaceat, velut Viennae Austriae in monasterio a regina Franciae fundato pie sancitum est, ut hac occasione omnis solicitudo earum ac sinistra suspicio externorum a nobis tollatur. Sunt etiam in eodem regno ac loco moniales aliquot similiter advenae ordinis s. Dominici sub cura saecularium sacerdotum, quae quia plena libertate hinc inde discurrunt, miserrimo in statu viventes, valde consultum esset, si auctoritate sanctitatis vestrae cum aliis coadunarentur, ut sic simul cohabitantes, melius cura et ratio ipsarum haberetur; periculum alioquin est, ut sine regimine propter varias mutationes penitus deficiant.

POSTULATIO VII.

Habemus inter haereticos ex permissione antiquorum summorum pontificum rigorosissimae angustissimaeque paupertatis nostrae nonnullam temperiem, quasdam vineas nimirum et tenues proventus, quorum dispensationem petimus humiliter etiam a sanctitate vestra renovari, ut tanto securiori conscientia ea retinere possimus, ne omni penitus subsidio destituamur, dum alioquin omnium rerum penuria laboramus.

POSTULATIO VIII.

Quia vero per divinam clementiam, mediante opera fratrum, in dies haeretici quibusdam in locis ad gremium sanctae matris ecclesiae convertuntur,

et dignitas atque auctoritas ecclesiasticarum personarum iis in locis deficit, velut in Transylvania et inter infideles paganos, ad quos absolvendos delegare debemus, supplico sanctitatem vestram, ut saltem duobus ex meis fratribus sibimetipsis succedentibus, qui ad id idonei reperti fuerint, concedatur auctoritas a talibus casibus absolvendi, ne hac in re etiam animarum saluti obicem aliquem ponamus.

POSTULATIO IX.

Ut denique sanctitatis vestrae clementia ad particulare etiam condescendere dignetur, oro suppliciter beatitudinem tuam, ut fidelissimorum meorum servitiorum rationem habeas, qui iam inde ab adolescentia mea iuxta datam mihi gratiam in populo Dei in diversis locis laboro, ne me penitus vocuum ac sterilem a pedibus tuae sanctitatis remittat, sed gratiam aliquam et benedictionem spiritualem benigne elargiri dignetur, qua insignitus, alios quoque una mecum ad maiores labores excitare valeam, et pro incolumitate sanctitatis vestrae Deum optimum maximum exorare debeam.

POSTULATIO X.

Ad extremum supplico humiliter sanctitatem vestram, ut calamitosi regni ordinisque nostri statum et provinciae distantiam, itineris item difficultatem, quae autumnali tempore in his partibus in dies crescere solet, intuens, pro tua innata clementia primo quoque tempore, rebus ad optatum finem perductis, me benigne remittat, ut fratres reditum meum maximo desiderio expectantes, piis vestrae sanctitatis favoribus ac gratiis consolari, atque novos labores alacriter pro Christi vinea subeundos animare valeam

Eiusdem vestrae sanctitatis

Humillimus in Christo servus
Frater Martinus Iulanus provincialis minister Hungariae
cum omnibus fratribus suis.

LXXXIII. Quae ut accepit pontifex, lata constitutione rata habet privilegia provinciae Hungariae concessa tum a romanis pontificibus tum ab imperatoribus, tum etiam a regibus.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quaecumque ad monasteriorum et religiosorum locorum favorem concessa sunt, ea, ut perpetuo firma et illibata persistant, apostolicae auctoritatis robore libenter communimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Dilectos itaque filios ministrum provincialem ac alios ministros, guardianos, superiores et fratres universos et singulos provinciae Hungariae ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas gratias, concessiones, exemptiones, libertates, immunitates, privilegia et indulta eidem provinciae, illiusque monasteriis, domibus et locis regularibus, Ibid. pag. 160.

ac eisdem et provinciali, ac aliis ministris, guardianis, superioribus, et fratribus tam in genere, quam in specie per quoscumque romanos pontifices praedecessores nostros, ac nos et apostolicam sedem, ac eiusdem apostolicae sedis de latere legatos et nuncios, necnon romanorum imperatores, et Hungariae reges ac alios quoscumque principes ecclesiasticos et saeculares concessa, confirmata et approbata, quatenus sint in usu, et concilii Tridentini decretis et sacris canonibus, necnon regularibus eiusdem ordinis institutis non adversantur, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xx. Octobris pontificatus nostri anno x.

LXXXIV. Altero vulgato brevi, ipsum Martinum Iulanum commissarium apostolicum visitatorem provinciarum Hungariae ac Transylvaniae constituit.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio Martino Iulano ministro provinciali Hungariae ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia in provinciis Hungariae et Transylvaniae commissario nostro generali salutem et apostolicam benedictionem.

Ibid. pag. 166.

Cum sicut ad nos non sine animi nostri molestia perlatum est, in provinciis Hungariae et Transylvaniae, et aliis illarum partium locis permulti fratres ordinis s. Francisci de observantia ex aliis provinciis et locis profugi et apostatae reperiuntur, qui non solum superioribus eiusdem ordinis in illis partibus existentibus obedire recusant, sed principum illorum partium favoribus innixi monasteria et loca regularia eiusdem ordinis occupant, et in illis se intrudunt, atque ab obedientia et iurisdictione eorumdem superiorum ipsa quoque monasteria et loca regularia subtrahere nituntur. Nos hisce malis, quantum cum Domino possumus, occurrere ac fratres ipsos, ac monasteria et loca praedicta ad debitam reformationem et superiorum subiectionem ac regularem disciplinam reducere cupientes, de tua fide, prudentia, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, te in provinciis utriusque Hungariae et Transylvaniae et locis finitimis omnium et singulorum monasteriorum, domorum, et locorum regularium et fratrum eiusdem ordinis in spiritualibus ac temporalibus visitatorem, reformatorem et commissarium apostolicum generalem auctoritate apostolica tenore praesentium facimus et deputamus, tibique ut monasteria et loca regularium huiusmodi utriusque sexus non solum tua ordinaria, ac tibi per tuos superiores attributa, sed etiam apostolica auctoritate visitare, et tam in capite quam in membris corrigere et reformare, in singulorum tam ministrorum, seu guardianorum aliorumque superiorum et fratrum minorum et locorum regularium praedictorum et aliorum etiam extra claustra forsan degentium vitam, ritus, mores et disciplinam diligenter inquirere ac quacumque correctione, reformatione, emendatione, revocatione, renovatione et mutatione, aut etiam ex integro editione indigere cognoveris, iuxta regularia eiusdem ordinis instituta et canonicas sanctiones corrigere, reformare, emendare, revocare, renovare et mutare ac de novo constituere, condita sacris canonibus et concilii Tridentini decretis non repugnantia confirmare, abusus quoscumque et pravas consuetudines tollere, regularem disciplinam ac bonas et laudabiles

institutiones, ac divinum cultum ubicumque expedierit, modis congruis restituere, supradictos superiores et fratres quoscumque etiam quacumque exemptione seu privilegio suffultos ad debitum et honestum vitae modum revocare, monasteria, domos et loca regularia quaecumque a quibusvis quomodolibet indebite occupata recuperare, ac provinciis eiusdem ordinis quarum antea fuerint, restituere et incorporare, apostatas et fugitivos ac alios quoscumque fratres criminosos et delinquentes etiam, ut praefertur, quacumque immunitate et exemptione suffultos, eorumque fautores quavis auctoritate fungentes, prout canonicae sanctiones et regularia eiusdem ordinis instituta requirunt, punire et castigare ac compellere et coercere, et contra eos etiam per viam accusationis vel denunciationis, aut ex officio ac etiam plenarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii procedere, et ad praemissorum effectum quoscumque etiam per edictum publicum constito de non tuto accessu citare et monere, ac eis et quibusvis indicibus caeterisque personis, quibus et quoties opus fuerit, etiam per simile edictum sc etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis inhibere, et contra inobedientes quoslibet censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravare, auxiliumque brachii saecularis, si opus fuerit, invocare, ac alia omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facere et exequi libere et licite valeas, auctoritate et tenore praesentis plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem durante officio provincialatus, duraturam concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxvi. Octobris pontificatus nostri anno x.

LXXXV. Interim eumdem confirmat in munere administri provinciae ad aliud triennium: *Cum sicut* die xxvi. Octobris; largitur indulgentiam visitantibus imaginem b. Mariae virginis a pontifice benedictam, delatamque in Hungariam ab ipso: *Cum dilectus* die v. Novembris; eique indulget, ut studiorum causa immittat binos ex sodalibus suis iunioribus in collegium societatis Iesu Pragae, Olmutii, Viennae et Graecii.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio ministro provinciali provinciae Hungariae ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nunc et pro tempore existenti salutem et apostolicam benedictionem.

Ut religiosi istius provinciae tui ordinis sacris literis et piis moribus imbuti, et religioni catholicae et animarum christifidelium saluti magis prodesse valeant, tibi ut de caetero inter alumnos seminariorum apostolicorum, quae sub cura religiosorum societatis Iesu Pragae, Olmutii, Viennae et Graecii sunt instituta, duos ex religiosis iunioribus tui ordinis et provinciae professis ac sacrarum literarum studiis addictis, in quolibet ex dictis seminariis alendos et instituendos deputare valeas, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Mandantes propterea dilectis filiis eorumdem seminariorum rectoribus et aliis ad quos spectat, ut ex nunc cum primum loca vacaverint, in suis quisque seminariis duos ex dictis fratribus tui ordinis et provinciae recipiant et admittant, ibique ut caeteros alumnos benigne tractent. Non obstantibus etc. *Ibid. pag. 62.*

Datum Romae apud s. Petrum die x. Novembris pontificatus nostri anno x.

LXXXVI. Postremis suis literis designavit commissarium apostolicum monialium tum ordinis s. Clarae, tum s. Dominici in eodem regno existentium Antonium Bogod franciscanum item de observantia.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio Antonio Bogod fratri ordinis s. Francisci de observantia provinciae Hungariae salutem et apostolicam benedictionem.

Ibid. pag. 64 Religionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudobilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nobis spem afferunt, te ea quae tibi commiserimus, pie, fideliter ac prudenter executurum. Cum itaque sicut accepimus moniales ordinis s. Clarae provinciae Hungariae a propriis eorum monasteriis expulsae, nunc in duobus monasteriis seu domibus Tirnaviae et Posonii civitatum sub cura ministri provincialis dictae provinciae permaneant. Cumque etiam aliae nonnullae moniales ordinis s. Dominici in eodem regno Hungariae permaneant, quae sub cura sacerdotum saecularium degunt et clausuram forsan non servant, et magno periculo sunt expositae, nos omnium praedictarum monialium statui consulere cupientes, de tua fide, prudentia et integritate plurimum in Domino confisi et praedictarum monialium tam ordinis s. Clarae, quam ordinis s. Dominici confessarium et commissarium nostrum apostolicum per praesentes auctoritate apostolica facimus et deputamus, ipsasque moniales et earum domos et monasteria curae tuae et regimini in spiritualibus et temporalibus subiicimus, tibique ut ex ordine et provincia praedictis religiosos viros provectae aetatis et probitate morum et doctrina, experientia probatos a ministro provinciali tibi concedendos in socios ad curam earumdem monialium assumere, ipsasque moniales ordinis s. Clarae sub debita clausura et regularis disciplinae observantia continere; moniales vero ordinis s. Dominici cum supradictis s. Clarae monialibus coadunare et unire, ac si ipsae consenserint, sub eumdem habitum et regulam s. Clarae reducere, vel si ipsae habitum et regulam mutare noluerint, saltem sub clausura in uno ex duobus monasteriis s. Clarae praedictis revocare, ac eas quoque in spiritualibus regere et gubernare, et quaecumque ad haec necessaria et opportuna facere et exequi possis et valeas, auctoritate et tenore praesentis facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur, teque ac socios tuos, ipsasque monasteria et moniales ab omni superioritate et iurisdictione tum ordinariorum locorum, quam quorumvis dictorum ordinum superiorum, praeterquam ministri generalis et protectoris ordinis eximimus et liberamus. Volumus autem, ut te ab humanis decedente, aliquis ex dictis sociis tuis in tui locum eligatur, qui tamen a nobis et apostolica sede confirmationem obtinere teneatur. Mandantes in virtute s. obedientiae omnibus et singulis monialibus praedictis, ut tua salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimplere procurent. Quocirca dilecto filio Martino Iulano ministro provinciali dictae provinciae et commissario nostro generali per praesentes committimus, ut tibi in praemissis exequendis faveat et assistat, ac tibi opem, favorem et auxilium opportunum praestet; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die IX. Novembris pontificatus nostri anno X.

Bzovius tom. 2 p. 660 ad hunc annum LXXXVII. Capucini fratres apud Pedemontanos et Sabaudios operam evangelicam navantes, probantibus Carolo Emmanuele duce, Iulio Caesare Riccardi nuncio apostolico, ac Carolo Brolia archiepiscopo Taurinensi, plurium haereti-

corum numerum, praesertim qui in eorum Tuuomi coenobium confluebant, ad catholicae fidei veritatem, ac devios ad bonam frugem reducebant. Inde ad Valinsaone regionem Helvetico foedere iunctam, cuius praecipua urbs est Sedunum, aceiti, labore Sebastiani Mauriauensis et Augustioi Astensis post annum MDCIII. religio catholica restituta fuit.

LXXXVIII. Fratres clsustrales tertii ordinis in generali comitio habito io coenobio ss. Cosmae et Damiani de Urbe die IX. Iulii supremum moderatorem salutarunt Ioannem Baptistam Provenzanum de Deprano ex Sieula provincia. De Sillis pag. 38.

LXXXIX. Plura iubet summus pontifex. Mandat episcopis Insulae Corsicae: *Quoniam* die V. Septembris, ne regularium extra elausira degentium opera utantur absque sedis apostolicae licentia; ut moniales monasterii s. Clarae oppidi Matriti observent statuta approbata a Gregorio XIII. ac moderata eius iussu per cardinalem Burghesium: *Quae pro quiete* die XXIV. Martii; mandat ne recipiantur puellae educationis gratia in monasterio s. Mariae de Constantinopoli oppidi Matriti Toletan. dioecesis: *Monasterii vestri* die III. Iulii; statuit quosdam limites pro erectione coenobiorum in provincia Carthagenae: *Decet* die XI. Iulii; aliqua statuit pro associatione corporum defunctorum: *Ad romani* die IX. Augusti; iubet ut nemo, praeterquam ad locutorio, ut aiunt, generalia, alloqui possit eum monialibus in monasterio de Sacaven. dioecesis Ulyssiponen. excepto ministro provinciae minorum de observantia, cui paret: *Cum sicut* die XIII. Novembris; confirmat statuta edita ab executoribus testamentariis Catharinae reginae Portugalliae: *Decet* die XIII. Ianuarii; aliqua statuit contra eos, qui ad presbyteratus ordinem non promoti missas celebrant, et sacramentum poenitentiae ministrant: *Etsi alias* die I. Decembris; ut in Hispaniarum regnis clerus saecularis praecedat fratribus mendicantibus caeterisque regularibus in publicis functionibus: *Decet* die XX. Februarii; seiungit studeotes collegii s. Bonaventurae de Urbe minorum conventualium a fratribus illius coenobii: *Decet* die XXIII. Ianuarii; committit episcopo Eugubino, ut dissolvat commendam ss. Mauritii et Lazari fundatam in ecclesia coenobii s. Francisci oppidi Frattae eiusdem dioecesis: *Alias* die IX. Ianuarii; confirmat pium legatum valoris biscentorum scutarum cum onere celebrandi duas missas qualibet in hebdomada in altari privilegiato ss. Cosmae et Damiani ecclesiae clarissarum s. Cosimati de Urbe, relictum a Portia Crescentia nobili muliere romana: *Exponi nobis* die II. Aprilis; subiicit ordinario loci monasterium clarissarum oppidi de Guimares dioecesis Bracharen. *Cum dilectorum* die XXVI. Maii; item monasterium clarissarum Casalis Maioris dioecesis Cremonen. quia in eodem oppido non extabat fratrum coenobium: *Cupientes* die IV. Augusti; item monasterium clarissarum de Sale Terdonen. dioecesis: *Cupientes* die XVII. Novembris.

XC. Quaedam indulget summus pontifex. Tribuit facultatem Bonaventurae Secusio iam patriarchae Constantinopolitano renovandi locationes quorumdam praediorum in Insula Candiae existentium ad eius mensam spectantium, ad alios XXIX. annos: *Exponi nobis* die XXX. Augusti; indulget ut Thomas Ursinus archiepiscopus Antibaren. in visitatione suae dioecesis, et in tota regione Serviae utatur opera trium fratrum minorum de observantia: *Fraternitati tuae* die XXVI. Iunii; ut fratres tertii ordinis conventus Paradisi Faventiae quoddam praedium vendant pro solvendo debito: *Vestro nomine* die XIX. De-

Digitized by Google

cembris: ut Ignatia Coresma uxor Ludovici Henriquez praefecti domus catholicae maiestatis Philippi III. bis in anno ingrediatur in monasterium s. Clarae Ulyssiponen. *Spirituali* die II. Ianuarii; similia concedit pro monasterio clarissarum Monachii Maximilianae ducissae Bavariae quater in anno: *Spirituali* die II. Martii; et comitissae de Trantzon pro monasterio s. Mariae Angelorum Viennae: *Spirituali* die XV. Maii; et Mariae Romanorum imperatrici pro monasterio monialium discalceatarum oppidi Matriti Toletan. dioecesis: *Maiestatis tuae* die XVII. Decembris; ut Antonia de Hercules clarissa neptis quondam Francisci de Arevalo civis Panormitani capere possit usufructum baereditatis ei relictum ab eodem Francisco, et post eius mortem ipsum capi possit a monasterio: *Expositum* die XXXI. Octobris; ut Stanislaus Polonus sacerdos ordinis s. Pauli I. eremitae inter observantes se adscribat: *Exponi nobis* die XVIII. Augusti; ut iuvenibus studentibus in collegio s. Bonaventurae de Urbe laurea doctoratus donetur expleto triennio: *Studiosis* die III. Octobris; ut fratres capucini administrent sacramentam poenitentiae copiis militantibus contra Turcas: *Cum dilecti* die XXV. Martii.

XCI. Quasdam summus pontifex largitur facultates Petro de Bosnia Argentina pro christifidelibus Serviae finitimisque regionibus: *Cum sicut* die XVI. Aprilis; mittit commissarium apostolicum visitatorem in provinciam s. Didaci Antonium Marzer, loco Antonii a Gandino a sicariis occisi: *Cum sicut* die VIII. Octobris; in provincias reformatorum Mediolanen. Genuen. Papien. Brixien. s. Antonii Venetiarum et Bononien. Franciscum a Menabio: *Cupientes* die IX. Novembris; item Paulum a Clavaro in provincias s. Francisci, Marchiae, Umbriae, Florentiae et urbis Romae: *Cupientes* die X. Novembris; in provinciam Insulae Candiae Petrum a s. Sosso: *Pastoralis nostri* die IV. Augusti.

XCII. Concedit altare privilegiatum s. Antonii a Padua ecclesiae s. Francisci Carthaginen. in Indiis occiduis: *Omnium saluti* die XIX. Ianuarii; altare s. Mariae de Plumbo ecclesiae eiusdem nominis Bosnensis dioecesis: *Omnium saluti* die XVIII. Iunii; altare ss. crucifixi ecclesiae s. Ioannis Sutiesca Bosnen. dioecesis: *Omnium saluti* die XVIII. Iunii; altare ss. Trinitatis ecclesiae s. Mariae de Salina Bosnen. dioecesis: *Omnium saluti* die XVII. Iulii; altare s. Antonii a Padua ecclesiae s. Francisci Civitatis Regum in regno Peruano: *Omnium saluti* die VIII. Octobris; altare s. Francisci ecclesiae de Kellere Carcagen. dioecesis in Hibernia: *Omnium saluti* die I. Octobris; altare s. Iosephi ecclesiae s. Francisci Mexici ubi erecta est sodalitas s. Iosephi: *Omnium saluti* die XXI. Octobris; altare s. Nicolai ecclesiae s. Iacobi Tyrnauren. *Omnium saluti* die XVI. Octobris. Singula haec concessa fuerunt ecclesiis minorum de observantia. Largitur indulgentias confraternitati s. Rochi erectae in ecclesia de s. Iusto de los Onteros Legionen. dioecesis: *Cum sicut* . . . .

XCIII. Sequentia subiicio ex indiculo bullarii Petri de Alva. Pro monasterio s. Georgii Terrae Prati Florentin. *His quae* calendis Iulii; pro monasterio s. Clarae Taurinen. *Ex iniuncto* IV. nonas Maii; circa monasterium clarissarum Valligione Hispelli: *Ex iniuncto* IV. nonas Iulii; pro monasterio clarissarum Burgi abbatis Grassi Mediolanen. *Ex iniuncto* VI. calendas Augusti; pro coenobio fratrum conventualium Cephaledien. in Sicilia: *His quae* calendis Octobris; pro coenobio fratrum conventualium oppidi Hugen. Leodien. *Ex iniuncto* IV. calendas Octobris; de conventu s. Clarae Trevii Spoletan. *Ex iniuncto* idibus Martii; de renuntiatione sororum tertii ordinis s. Elisabeth Ti-

Digitized by Google

burtin. *His quae* v. idus Februarii; beneficium conceptionis s. Ioannis de Mercato Valentin. *Dignum* xi. calendas Februarii; circa beneficium in ecclesia fratrum conventualium Taurinen. *Dignum* nonis Septembris; beneficium conceptionis in ecclesia b. Mariae Alexandrin. *Dignum* idibus Martii; confraternitas in ecclesia s. Mariae Caesenae: *His quae* nonis Iunii; indulgentia confraternitatis de Aragon. nuncupatae in ecclesia Salamantin. *Salvatoris nostri* pridie calendas Februarii.

XCIV. Vulgatum fuit hoc anno decretum a s. episcoporum ac regularium congregatione de licentia obtinenda a fratribus Romam advenientibus. « Decretum illud quo fratres Romam petere cum generalis et protectoris licentia dumtaxat permissum est, sanctitas sua extendi ad provincialem decrevit ita, ut provincialis ipse ex causa communi totius provinciae dumtaxat facultatem huiusmodi facere valeat, declaravitque poenam privationis vocis activae et passivae contrafacientibus inflictam sanctitati suae reservatam esse, interdicta omnino eorum superiorum singulis, etiam generali ac protectori facultate illam moderandi ac relaxandi ». *Cherubinus in bullario tom. 4. p. 273.*

« Datum Romae die xx. Martii anno mdci ».

XCV. Alterum etiam vulgatum fuit supra litanias decretum « Sanctissimus dominus noster Clemens papa viii. Quoniam multi hoc tempore privati etiam homines praetextu alendae devotionis, novas quotidie litanias evulgant, ut iam prope innumerabiles formae litaniarum circumferantur, et in nonnullis ineptae sententiae, in aliis (quod gravius est) periculosae et errorem sapientes inveniantur, pro solicitudine sua pastorali providere volens, ut animarum devotio Deique ac sanctorum invocatio sine ullius detrimenti spiritualis periculo foveatur ». *Idem ibid. tom. 3. in append. pag. 44.*

« §. 1. Praecipit et mandat, ut retentis antiquissimis et communibus litaniis quae in breviariis, missalibus, pontificalibus ac ritualibus continentur, necnon litaniis de beata Virgine, quae in sacra aede Lauretana decantari solent; quicumque alias litanias edere vel iam editis in ecclesiis sive oratoriis, sive processionibus uti voluerint, eas ad congregationem sacrorum rituum recognoscendas et si opus fuerit, corrigendas mittere teneantur, neque sine licentia et approbatione praedictae congregationis, eas in publicum edere aut publice recitare praesumant, sub poenis (ultra peccatum) arbitrio ordinarii et inquisitoris severe infligendis ».

« §. 2. Praesens decretum factum fuit in generali congregatione sanctae romanae et universalis inquisitionis, habita in palatio apostolico in Monte Quirinali, coram praedicto sanctissimo domino nostro ac illustrissimis ac reverendissimis dominis s. r. ecclesiae cardinalibus adversus haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus, viii. idus Septembris anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi mdci ».

Quintilianus Adrianus notarius.

XCVI. Postremum vulgatum est s. e. cardinalium decretum, quo statuitur ne Galliarum recollecti nec discalceati Hispaniarum Romam advenientes hospitentur apud conventum fratrum reformatorum de Urbe. « Attenta supplicatione

Bullar. Matriten. tom. 1. pag. 419

fratrum recollectorum, discalceatorum et aliorum regularis observantiae s. Francisci ultramontanae familiae nolentium commorari in conventu s. Francisci de Urbe fratrum reformatorum eiusdem ob exiguitatem loci, et incommoditatem negotiandi, facto verbo cum sanctissimo, s. congregatio visitationis apostolicae statuit ac decrevit, praefatos ultramontanos ad Urbem confluentes commorari debere in conventu s. Mariae de Aracoeli, sub obedientia patris procuratoris ordinis aut commissarii curiae, necnon patris guardiani pro tempore, iuxta alias sancita decreta, et nullo modo in praefato conventu s. Francisci de Urbe, ob quietem fratrum reformatorum inibi commorantium, sub poena privationis officii vocisque activae et passivae guardiani et custodis pro tempore illos recipientium ».

« Datum Romae die IV. Novembris MDCI ».

Accursius Fiscalis, et pro-secretarius visitationis et reformationis apostolicae.

Ex diario Pauli Alaleone.

XCVII. Opera et studio Bonaventurae Secusii iam administri generalis ordinis minorum de observantia et patriarchae Constantinopolitani, cum anno elapso initum fuisset pacis foedus inter Henricum IV. Galliarum regem et serenissimum Carolum Emmanuelem Sabaudiae ducem circa iura marchionatus Salusarum et hoc anno absolutum, pro die XXVI. Martii senatus populusque romanus solemnia indicens in ecclesia aracoelitana de Urbe, sacrum Deo litavit Celsus Romanus episcopus Castrensis, praesentibus senatore, conservatoribus et capitibus regionum Urbis.

XCVIII. Aloisius Cittadini Mediolanensis et episcopus Castrensis, qui hanc dioecesim regendam dimiserat, consecravit hoc anno ecclesiam monialium s. Antonii Patavini urbis Mediolanensis, facultate ei collata a Federico Borromaei archiepiscopo cardinali civitatis. In ea ecclesia haec obviat memoria.

ECCLESIA HAEC
SVB TITVLO VISITATIONIS P. V. M.
AC S. ANTONII DE PADVA
A REVERENDISS. D. D.
FRANCISCO EPISCOPO CITTADINO
ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.
FEDERICI BORROMAEI
S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI
A. MEDIOLANEN. ARCHIEP.
CONCESSIONE CONSECRATA EST
DIE PRIMO SEPTEMBRIS MDCI.

Digitized by Google

XCIX. Ad meridiem claustri coenobii s. Spiritus minorum de observantia Ferrariae legitur sequens monumentum.

D. O. M.
CLEMENTE VIII. PONT. OPT. MAX. SEDEN.
MONAST. HAEC PARS NOVITER EXTRVCTA
EX MVNIFICENTIA IOAN. COM. S.
GEORGII ET BLANDRATAE CARD. S. CLEM.
NVNCVPATI AEMILIAE LEG. FERRARIAEQ.
COLLEG. HVIVS COENOBII CVOAM
GERENTE FRATRE STHEPHANO MEDIOLAN.
ANNO A VIRGINEO PARTV MDCI.

C. Extat in evangelii latere arae maioris ecclesiae s. Petri Coelestiui coenobii conventualium oppidi Ripalimosani in provincia s. Angeli epithaphium Iulii Caesaris Riccardi archiepiscopi Barensis ibidem tumulati. *Iulio Caesari Riccardo archiepiscopo Baris amplissimis apostolicae sedis muneribus sub Pio v. Gregorio XIII. Sisto v. et Clemente VIII. pp. mm. in totius fere X. an. orbis partibus egregie functo legatione praesertim ad Carolum ducem Sabaudiae et Henricum IV. Francorum regem difficillimis temporibus praeclare obita ac multis ab haeresi ad fidem catholicam deductis illustrem diu spectatae virtutis et agendi solertiae laudem adepto a Philippo Secundo Hispaniarum rege ad arcana cuncta adhibito Tarantinorum episcopo designato magna sui expectatione relicta e vivis erepto anno MDCI. aetatis suae LIV. Alexander Riccardus episcopus Suessae Lelius iudex magnae curiae et Caesar militum tribunus tanto fratri memoriae symbolum sibi doloris et desiderii monumentum posteris vitae et virtutis signum posuerunt.*

CI. Ob pestis, famis, flagitiosorum hominum depulsionem patrocinio b. Virginis sub invocatione Mariae Gratiarum, quae praecipuo cultu veneratur in ecclesia fratrum minorum Foro-Cornelii in provincia Bononiae assequutam, haec duo obviant monumenta iocisa in sacello ad eius honorem erecto.

Ad latus altaris dexterum.

SACRATISSIMAE VIRGINI GRATIARVM NVNCVPATAE
OB INNVMERAS A FORO CORNELIENSI POPVLO
GRATIAS OBTENTAS MONVMENTVM HOC D.
CVM ENIM POPVLVS HIC ANNO DNI MCDLXVIII.
VICTVS PENVRIA PESTILENTIA GRAVI
DIVTVRNIS BELLIS
PENE CONFICERETVR
SOLEMNI AD EAM FACTA SVPPLICATIONE
EIVS OPE LIBER EVASIT
ANNO ITEM MDXXIX.
DVM EPIDEMIAE MORBVS SAEVIRET
ATQVE PROCESSIONALITER SACRA HAEC ICON
SEXTO NONAS MAII
PER OMNES CIVITATIS VICOS CIRCVMFERRETVR
QVOTQVOT MORBO AFFLICTABANTVR
EIVS PIO CONTVITV CONVALVERVNT.

Digitized by Google

CII. Ad laevam altaris.

DVM INSVPER ANNO MDXCII. PRIDIE IDVS APRILIS
AB IMPROBIS ET FLAGITIOSIS PROPVGIS SICARYS
EADEM VRBS GRAVITER VEXARETVR
FAME AC EODEM EPIDEMICO MORBO GRASSANTIBVS
CVNCTIS EAMDEM PRECANTIBVS
VOTI COMPOTES
EIVSDEM BEATAE VIRGINIS MERITIS REDDITI SVNT
ANNIS PARITER MDXCIX. ET MDC.
MAXIMIS ET ASSIDVIS QVIDEM IMBRIBVS
AERIS INFESTA CONSTITVTIONE
MESSEM PROPE MATVRAM DEVASTANTIBVS
BEATAE VIRGINIS SVFFRAGIIS
COELI TRANQVILLITAS SVPPLICANTIBVS CONFESTIM
CONDONATA EST
ITA VT PERFIDOS QVOQVE RELIGIONIS NOSTRAE HOSTES
SPECTATORES
MIRACVLI EVIDENTIA
IN MAGNAM ADMIRATIONEM TRADVCERET
VNDE PRO TANTIS ACCEPTIS BENEFICIIS
GRATI ANIMI AC DEVOTI QVALECVMQVE TESTIMONIVM
CIVES IMOLENSES
PROPALAM EFFINGI CVRARVNT ANNO MDCI.

Sedulius in diva Virgine Traiectensi p. 166.

CIII. Duo miracula commemorantur. Ioanna puella aonorum duodecim, filia Guilielmi Donder et Elisabethae de Bore Traiectensis, prorsus caeca a sex mensibus, delata a parentibus die secunda paschatis ad solemnem supplicatio-oem habitaio io ecclesia fratrum minorum Traiecti enm imagine b. virginis Mariae, statim visum recepit dixitque matri: *en video divae Virginis imaginem.* Maria Liverani Angeli Vanti uxor, filium mutum, eumdemque ubi ad aetatem pervenit, amentem quoque esse cognoverat. Facto voto filium deducendi ad sepulcrum b. Catharinae Bononiensis, illico loquelam simul et rationem obtinuit. Hoc eodem aooo pius pater Bononiam venit, promissum complens.

Acta ss. ad diem 9. Martii pag. 87.

ARGUMENTUM

Moritur b. Andreas Hibernon. Quorumdam etiam venerabilium fratrum et sororum defunctorum memoria commendatur. Minoritae capucini et conventuales habent generale comitium. Aedes pro fratribus et monialibus parantur. Decedunt viri docti et inclarent. Eliguntur episcopi. Ordo favoribus ditatur.

Mortis suae praescius b. Andreas Hibernon, poenalitates, preces, divina colloquia ac charitatis ferventissimae erga Deum acta, suspiriis ac lacrymis sociata quae adoloscens peragebat, quammaxime accreverat ante aliquot annos. Narravit enim Hieronymo Planes provinciae s. Ioannis Baptistae discalceatorum administro, corporis sarcinam depositurus sui temporis regimine. Valentiam duobus ante sui obitum mensibus missus, proximam item mortem suam praedixit quibusdam mulieribus, piis viris ac sodalibus coenobii illius civitatis. Gandiae conventum repetens, die XIII. Aprilis cellulam suam, dormitoria, ut aiunt, ac coenobii scalas solicite scopis mundavit pro eximia sua pietate qua fervebat erga ss. eucharistiae sacramentum, quo postero die reficiendus erat in suo cubiculo. Cur haec ageret Beatus, fratres ignorabant; cognoverunt tamen non multo post; nam extemplo a morbo graviter correptus, necesse fuit angelorum pane quem multis precibus postulaverat, recreari de mane. Ex tunc ingentia erga dilectum suum amoris edidit ac laetitiae signs. Summa interim animi fortitudine ac patientia aegritudinem sustinuit ad diem usque XVIII. Aprilis, in qua divina munitus unctione, annos numerans LXVIII. pleuritidis morbo innocentem animam efflavit, manibus tenens ac exosculans crucifixi imaginem. *Mondina in eius vita pag. 153. et seq.*

II. Coelum petiisse Beatum mox defunctum vir quidam spectatissimae vitae viginti leucas distans e Gandiae oppido testatus est Ioanni Ximenez confessario Beati; nunquam ille Beatum viderat; ex iis vero quae eidem confessario aperuit, ei in visione monstratum fuisse beatum suspexit. Michael Lopez vicarius parochialis ecclesiae de Retova sacrum celebrans eadem die qua Beatus excesserat, in vivorum memento super calicem vidit quoddam aureum sidus rutilans, quo significabatur, ex audita interius voce, Beati animam splendoribus coruscantem iam ad astra migrasse. Postremo de nocte vigilanti Aloisio Cascolla fratri discalceato apparuit Beatus eique dixit se iam coelesti gloria potitum. *Idem ibid. pag. 163.*

III. Vulgato obitu, undique per contermina loca exciti a Beati sanctitatis fama, intempesta nocte, confluxerunt ad coenobium fratrum omnium ordinum incolae, ingressique Beati cubiculum, quae ad sui usum fuerant, devotionis gratia capiebant. Triduo, ut adveuientium satis fieret, insepultum mansit. Eius parentalia solemni ritu canonici maioris ecclesiae loci celebrarunt; ac Ioannes Ximenez insignis Dei praeco unus ex tribus fuit, qui in Beati laudem e rostris dixit. Inde arcae inclusum, repositum fuit in sacello maiori ecclesiae coenobii s. Rochi eiusdem oppidi. Cum eius corpus aptaretur in eadem arca, cuncta eius membra mollia ac tractabilia erant, odoremque suavissimum spirabant.

IV. Eo insepulto, haec praecipua evenisse miracula tradunt. Guardianus coenobii Oriolensis gravi dolore laterum afflictus, licet adhibitis humanis remediis, nullum levamen experiebatur. Delatus primo mane ad ecclesiam s. Rochi

Gaodiae et orans prope Beati feretrum, statim incolumis evasit, et eum caeteris presbyteris sacra peregit in Beati funeribus. Melchior Lares civis Gandiensis ob eusis ictum in facie acceptum, ioferior maxilla ita disrupta erat, ut cibum sumere nequiret. Ad laudatam ecclesiam se cooferens, eom Beati manum ad partem laesam magno fidei ardore admovisset, statim, spectante populo, sanitatem recuperavit, nullo vulneris vestigio remanente.

V. Sepulto Beati corpore cum multa prodigia per dies evenissent, moti maiores provinciae s. Ioannis Baptistae ipsius Beati virtutum et prodigiorum acta notari mandarunt, privato, ut aiunt, et domestico modo. Cum autem ex testibus fide dignis plura de virtutibus et miraculis Beati comperissent, ideo archiepiscopo Valentino, et episcopis Carthogenae et Oriolensis supplices literas dederunt, ut in eisdem expendendis manus admovere dignarentur, potestate qua pollebant ordinaria. Festioanter ab ipsis confecto Beati processu et ad Urbem misso, Urbanus viii. summus pontifex die viii. Septembris anoo mdcxxiv. commissionem introductionis causae Beati propria manu signavit. Facta subinde ob eminentissimo cardioali de Torres causae ponente sacrae rituum congregationi relatione, eadem s. coogregatio mandavit *posse concedi literas remissoriales*. Easdem literas cum accepissent laudati episcopi et archiepiscopus Valentinus, mox tanto operi maous admovere ex delegata summi pontificis auctoritate.

Eius fides. *Idem ibid. pag. 36.*

VI. Sequentia de beati Andreae virtotibus ipsi notarnot ac primo de fide. Quae enim ob infantia fidei rudimenta hauserat, assidue meditabatur, crebroque proferebat. Ea tamen alta mente recolebat in solemnioribus ecclesiae festivitatibus, in quibus praemissis multis corporis macerationibus, ferventibus precibus, totus in Deo absortus videbatur, ut intueotium animos ad pietatem accenderet. Habens cum fratribus collationes de pueri Iesu praesepe, de eius in templo disputatione, teterrima passione, resurrectione ac ad coelum ascensione ita edicebat, velut si propriis oculis ea intueretur. Scientiae vero dooo a Deo imbutus, mira de divinis eructabat mysteriis. Difficiliora aliquando tum veteris tum novi testamenti oracula, licet latinis literis pene ignarus facili ratione explanabat; ipsique viri docti ad eum confluebant vel consilii gratia, vel ut eum de propositis religionis arcanis responsa promentem audirent. Quoniam vero, teste apostolo, fides sine operibus mortua est, ideo fidem suam multipliei gestarum genere ostendebat. Aestuabat ardentissima charitate erga ss. eucharistiae sacramentum, velut fidei mysterium praestantissimum; sacerdotibus sacrum peragentibus deserviebat devotione summa, eosque alloquebatur flexis genibus. Stipem quaerens, in ecclesias qoas obviabat ingressus, preces Deo miro spiritus fervore fundebat, singulasque per vias beatae Virginis et sanctorum imagines impense submissis genibus colebat.

Eius spes. *Idem ibid pag. 44.*

VII. Cum autem spei obiectum sit terrena despicere et amare coelestia, ideo Beatus opibus quibus prae suae familiae splendore affluebat, valedicens, Deo suo adhaesit iuvenili in aetate inter loicos franciscanae familiae minorum de observantia, vitam ducens in summa egestate, humilitate snique despectu ae abnegatiooe. Hinc a mundanis curis corpore ac corde solutus, divinaque Christi gratia suffultus, ad felicitatem sempiternam coosequendam totis viribus incubuit omni vitae suae tempore. Davidis prophetae oraculo iostructus: *declina a malo et fac bonum*, peccata qoaeque in primis semper cavit etiam laevissima; aliis vero salutario monita, ut ab eis abstinerent, dabat, cuuctosque iosuper alliciens ad Dei famulatum praestaudum. Cum igitur se immaculatum

Digitized by Google

custodierit in via sua, factum est, ut cunctis virtutibus quae ad assequendam speratam felicitatem necessaria sunt, apprime floreret.

VIII. Beatus autem cum omne cogitatum suum in Deo iactasset, neme illum licet in adversis turbatum vidit ac mututum, sed hilari semper vultu cunctis se praebebat occasione data. Ex fluminis Toriae exundatione minabatur ruina conventus s. Ioannis Baptistae Valentiae. Fratres qui aderant ibi timere perculsi, vicinam mortem metuebant. At Beatus ibidem commorans nihil deterritus, eos interim solabatur, dicens, ut Deo fiderent ac expectarent mox paratum a divina bonitate subsidium; quod et evenit, exundatione cessante. Per dies viceuos Gandiae oppidum terrae motibus quassatum, domus etiam firmissimae ac turres ruebant, unde ob mertis metum dispersi incolae per agros, aedes habitatoribus carebant. In eo excidio cum etiam coenobium fratrum in partem corruisset, iidem fratres die ac nocte in horto versabantur, aptatis sibi taguriolis. At Beatus spem vivam habens in Deo, nec cellam nec coenobium dimisit, sed imperturbato prorsus animo assiduis tum manuum tum spiritualium actionibus sine intermissione vacabat. Coenaculi curam gerens, fratribus hyemis tempore summa in egestate constitutis cibaria extempio obtinuit, fusis ad Deum precibus. Alios autem in aliquo infortunio positos levabat, coelestique in facie luce perfusus dicebat: *sperate in Deo, confidite in divina misericordia, quoniam consolabitur vos.*

IX. A puero charitate Dei vulneratus, inculpatam vitam semper duxit inter illius saeculi pericula. Testimonio enim moderatorum suae conscientiae lethali culpa nunquam fuisse inquinatum compertum est. Hanc corporis munditiem accrevit in instituto, ubi minutiora quaeque offendicula devitans, cuncta insimul quae ad charitatem erga Deum fovendam opus erant, alacriter prosequebatur. Cum autem haec charitas orationis studio augeatur, hinc Beatus, licet multis distentus curis, quod labiis praestare aliquando non poterat, corde ac mente dilectum suum dulciter alloquebatur interioris ferventissimae charitatis actibus, lacrymis ac suspiriis. Vitam autem cum Deo absconditam agebat vix expletis officiis sibi ab obedientia concreditis. Tunc enim vel in solitariis sui coenobii locis, vel in hortis, vel in cubiculo relaxabat sui amoris ardorem, tantoque impetu ferebatur in Deum, ut extra se factus, et in aere quandoque elevatus cerneretur, vivido interim splendore circumfusus. Mirabilia haec ei etiam eveniebant, dum pro petenda eleemosyna versabatur in domibus saecularium, ubi solitarius noctu manebat in coelestibus meditandis. *Eius charitas erga Deum. Idem ibid. pag. 53.*

X. Amore interius eximie fervebat erga ss. eucharistiae sacramentum, liquiefiebatque anima eius ante sacram aram provolutus. Crebro per diem et noctem deliciabatur in eo; et cum stipem quaereret, in singulas locorum ecclesias ingrediebatur, vel illis clausis prae foribus stabat, illud adorans ferventer. Eo saepe reficiebatur, at tante cordis sui iubilo ac charitatis aestu, ut ad pietatem excitarent duriora etiam deviorum corda, maxime vero post sacram communionem; videbatur etiam tunc temporis totus in Christo velut absortus. Compassiva itidem teneritudine afficiebatur Iesu Christi agones recolens, iis maxime diebus in quibus ecclesia eiusdem passionis colit memoriam; tunc enim inter amoris colloquia extra se rapiebatur.

XI. Etiam charitatis virtus erga proximum emicuit in Beato. Nemini offensienis verbum intulit, nec cuinscumque famam detraxit. sed potius eam augebat occasione data in omnibus. Singulorum opera commendabat, charitatisque velamine, si cui erant defectus, operiebat et excusabat. Pater pauperum ex corde *Eius charitas erga proximum. Idem ibid. pag. 67.*

Digitized by Google

factus, quo poterat obsequio solicite reficiebat, subtractis etiam ciberiis sibi necessariis. Cunctos qui accedebant ad eum pauperes, hilari vultu summaque excipiebat comitate, in multa patientia sustinens quorumdam opprobria sibi illata. Non solum victum et amictum ex eleemosyna acquisitum eis dabat, verum etiam apud aliquem suum familiarem quempiam commendabat, ut de eo curam in domo sua ageret, in timore Domini erudiret atque in aliquo artis ministerio institueret.

XII. Licet aliquando infirmarii munus obedientiae merito non obiret, praesto tamen erat sodalibus suis infirmis, ut ea quae necessaria erant, ministraret; eis insuper solamen afferebat suavissimis verbis. Ultro sacerdotibus se dabat visitaturis aegrotos extra coenobium. Dum ipsi confessionem eorum audiebant, Beatus in angulo domus prostratus, Deum pro infirmo orabat, ac inde ad eum accedens, vires suas erigebat ad cuncta pro Christi amore toleranda. Suis precibus signoque crucis multi sanitatem obtinuerunt; aliis vero in maxima egestate constitutis, divina sibi assistente providentia, necessaria extemplo suppeditavit.

XIII. Illuxit et eius charitas in bono spirituali proximi. Hortabatur sodales, ut ad perfectionis viam consequendam alacriter contenderent; saeculares vero alloquens, condiebat sua verba piis ad sectandam pietatem adhortationibus, et ad cavenda peccata. Rependebat eleemosynam temporalem ei largitam a christifidelibus, monitis, consiliis ac precibus. Portarii munus explens, qui ad eum confluebant, in doctrina christiana erudiebat, exorans interim eos, ut mandata Dei et ecclesiae servarent. Obstinatorum corda tum mansuetudine, tum rationibus, tum minis divinae iustitiae, tum precibus Deo effusis devincebat. Hinc non pauci poenitentia ducti, ad meliorem frugem convertebantur. Maurorum quibus hoc tempore abundabat Hispaniarum regio, vitae suae etiam periculo, incumbebat conversioni, illorum caecitatem exprobrans ac socordiam. Ut id facilius assequeretur adibat prius ecclesiam Deum oraturus pro eorum conversione. Nullum eorum ad fidei lumen adduxit; plures vero peccatores audientes Beatum mira de divinis rebus proferentem, ad virtutis semitam redierunt.

Eius fortitudo. Idem ibid. pag. 82.

XIV. Ardua ac difficilia semper ad mortem usque sustinuit Beatus pro dilecti sui amore. Fraenum namque quod passionibus animi imposuerat, auxit, corpus suum castigans ac in spiritus servitutem redigens. Assiduis ieiuniis studebat. Nunquam carnes, pisces et lacticinia degustavit, gravi etiam diuturnoque oculorum ac stomachi infirmitate laborans. Si enim hoc tempore obedientiae merito iusculum sumere deberet, tunc in eo vel ferventem vel frigidam aquam immiscebat. Asperrimam instar vestis ferream laminam undique rudi modo perforatam quam ad nudam carnem gestabat, nunquam dimisit, licet distentus in quaeritandis stipibus, quas dorso suo impositas ad coenobium deferebat. Illam dumtaxat dimisit prope sui obitum praesidis iussu. Flagellis itidem cruentis se caedebat saepe per diem ac noctem. Prae divinae maiestatis obsequio in quacumque anni tempestate sive pluviae, sive nives deciderent, nudato semper capite incedebat. Idipsum praestabat urentibus etiam radiis solaribus.

Eius humilitas. Idem ibid. pag. 90.

XV. Spiritu humilitatis et praeditus erat Beatus. Ob sui humilitatem omnium peccatorum maximum se intime credebat; ac saepe genibus flexus suorum peccatorum veniam ab aliis licet non sacerdotibus postulabat, timens se in aliquo defecisse. Plurimum interim affligebatur, si qui eius virtutes commendarent. Viliora ac laboriosiora monasterii munia non solum explebat hilariter, verum etiam alia licet ipsi non concredita. Raro passus est, ut aliq-

rum opera exportarentur eleemosynae ei oblatae, sed iisdem onustus ipsemet ad coenobium, etsi magni essent ponderis, deferebat. Caeteris omissis, doliolum pro continendo vino ab artifice Valentino resarcitum, suis humeris imposuit ac detulit ad coenobium s. Ioannis Baptistae eiusdem civitatis.

XVI. Ad suae humilitatis incrementum aliquando animadversionibus maiorum suorum afficiebatur. Tunc beatus illico humi prostratus, cuncta inclinato capite audiebat; inde praesidis osculatis pedibus, eidem gratias agebat pro dictis. Uni vero guardiano s. Rochi Gandiae qui eum velut superbum corripuerat, dixit Beatus: *frater, nemo me in mundo cognovit melius, quam charitas tua; verum utique est quia ego plenus superbia sum ac petulantia.* Post haec cum ecclesiam peteret, dixit ei sodalis qui facto praesens fuerat: cur tam festinus ad ecclesiam accedis? Cui Beatus: *vado ad ecclesiam gratias acturus Deo pro dono mihi nunc largito ab ipso Deo superioris mei manu*; et apud aram ss. sacramenti trium horarum spatio ferventer oravit.

XVII. Altissima paupertate dives, unicum attritum et consarcinatum habitum semper retinuit; sandalia autem licet pedes vulneratus haberet, nunquam usus est; ea ex obedientia aliquando admisit, ab aliis vero derelicta ac ab eo refecta. Parvum officium beatae Mariae et eiusdem virginis matris imaginem papyraceam, rosarium ac libellum regulae sui instituti secum semper deferebat. In eius cellula quae caeteris deterior erat, quiescebat vel super nudam tabulam, vel super stoream, pro cervicali utens tabola corio operta. Senior factus, ligneum lectulum maiorum iussu contexit aspero panno. Sedili et mensula carebat. Modis omnibus paupertatem cunctis sodalibus velut speciale signum seraphici ordinis commendabat.

Eius altissima paupertas. Idem ibid. pag. 101.

XVIII. Angelica puritate enituit usque ad mortem. Ut vero eam custodiret, pepigit foedus cum oculis suis, ne mulierum vultum aspiceret. Necessitate ductus eas alloquebatur; sed tanta erat sui corporis compositio, ut eas ad verecundiam provocaret. Infirmitatis tempore nunquam passus est a suis mederi, ne ullam sui corporis partem denudatam viderent. Merito igitur angelum verbo, conversatione ac exemplo eum vulgus nuncupabat.

Eius eximia castitas. Idem ibid. pag. 108.

XIX. Dixit quondam Beatus cuidam laico degenti in coenobio discalceatorum Valentiae. qui cogitaverat dimittere laboriosum coquinae munus, ut liberius vacaret divinis rebus: *frater, pone te in manibus obedientiae: obedientia enim est vera oratio, vera devotio et vera quies spiritus in homine religioso.* Hac doctrina edoctus Beatus, cunctis diebus vitae suae inculpate se gessit in obedientiae virtute. Sive enim maioribus, sive aequalibus, sive inferioribus solicite parebat et hilariter. Hinc annis et infirmitate in femore gravatus, hyberno tempore septem milliaria itineris per nives et glacies sui guardiani mandato quem impense venerabatur, confecit. Reversus in coenobium, licet itinere defatigatus, madidus lutoque inquinatus munus portarii ac coenaculi illico suscepit, dicens illi cui vices suas commiserat: *frater, considero, quod charitas tua sit admodum fatigata; da mihi claves, quoniam haud sum itinere lassus.*

Eius obedientia. Idem ibid. pag. 110.

XX. Servi sui obedientiam rependit Deus quibusdam prodigiis, obedientiae merito patratis. Superioris iussu hominem a daemonis potestate liberavit, et coenobii aquam vermibus scatentem, praesidis auctoritate ab eo benedictam, potabilem reddidit. Bartholomaeum Avellam syndicum coenobii s. Andreae Villenae gravi dolore afflictum in brachio, signo crucis sanavit, imposito interim a Beato obedientiae merito parti laesae suo dextero brachio.

Spiritu prophetiae a Deo ornatus. *Idem ibid. pag. 119.*

XXI. Praeter divinae scientiae donum quo ad intelligenda fidei arcana praeditus erat Beatus, habuit etiam prophetiae spiritum; non semel enim et mortalium cogitationes agnovit, et eventura praedixit. Ferdinando Bomben viro nobili Gandiae cogitandi modum quo posset commutare suum parvum beatae Virginis officium cum illo viri Dei, subridens Beatus dixit: *tu vis meum parvum officium?* Stupefactus ille confessus est Beato suam voluntatem. Post binos menses ad Beatum iterum se conferens, ut illum vidit Beatus, extendit manus ad peram suam ubi celatum portabat officium, dicit ei: *nunc accipe officium meum.* Altera die ad coenobium advenit vir petiturus eius cingulum pro muliere sua gravi in periculo ob partus difficultatem constituta. Illum obvians Beatus, tradidit ei cingulum quod non petierat, ut ad suam uxorem deferret. Uxori Petri Rodriquez tradidit baculum suum dicens: *accipe hoc baculum; scio enim quod illud desideras.* Frater Bartholomaeus Massias laicus cupiebat emittere confessionem generalem suae vitae; plurimum tamen afflictabatur, veritus cunctorum suorum peccatorum recordari. Cui Beatus dixit, ut bono esset animo, quia et completam confessionem ageret, et spiritus consolationem consequeretur. Pro eo oravit Beatus, et cuncta ei prospera evenere. Petrus Sanchez Picazo incola Gandiae se commendavit Beato pro salute uxoris suae Hieronymae Sorian apoplexiae morbo correptae. E coenobio discedenti dixit ei Beatus; *frater, confide in Deo; nam cum domum redieris, uxorem tuam inveneris bene valentem.* Quod et verum fuit.

XXII. Aloisia de Valibrera incola urbis Carthagenae cum nuncium accepisset de Maria Anna filia sua Matriti morti proxima, plurimum afflictabatur. Domum suam tunc temporis adveniens Beatus, ut eius moestitiam cognovit, protinus instar orantis, elevatis oculis in coelum ei dixit, ut tristitiam deponeret, quia eius filia bene valens, domum cito repeteret. Domum revera ea incolumis repetiit. Similia praedixit Clarae Rodriquez mulieri Gandiae ad mortem infirmae, quae Beato proficiscenti Valentiam dixerat eam amplius non esset visurus. Tunc Beatus: *filia, spera in Deo; post quindecim dies redeam, et sanam te invenero, gallinam extra lectum comedere.* Rediit Beatus, et ut ei praedixerat, invenit. Praedixit fratri Christophoro Mercader iuveni studiis philosophicis incumbenti quod insignis verbi Dei praeco evaderet; tribus aliis iuvenibus ab eo postulantibus quae eisdem evenirent, respondit: quod cito morerentur, et ita evenit.

Miracula edit in vita. *Idem ibid. pag. 128.*

XXIII. Praecipua miracula notamus ab eo acta ante sui obitum. In primis d. Ioannes Pimentel filius pro-regis Valentiae acuta febri capitisque dolore afflictus, facto super eius caput crucis signo a Beato, extemplo sanatur. Simili signo adhibito in pectore d. Michaelis de Cuenas, Beatus eum illico sanum reddidit molesta qua detinebatur febri. Coenobii Gandiae guardianus imperavit Beato, ut suam benedictionem impartiret Bartholomaeo Massia a viginti diebus veternosa item febri detento. Benedictione expleta, infirmus bene valens, hac illac per coenobium laetus discurrebat. Aquae frigidae potione a Beato iussa Apolloniam Hernardez quartana febri laboranti mox sanam reddidit, licet eam sumere reluctaret. Hieronyma Gay de Camallores tuber quo cruciabatur, habens in facie, a Beato benedicta sanitatem obtinuit, nullo tuberis vestigio apparente. Quaedam alia mulier incola oppidi de Oliva simili morbo in collo afflicta, et a medicis pro derelicta habita, ut parti laesae adhibuit parvam crucem s. Turribii a Beato ei missam, cito bene se habuit, evanescente mox tubere. Maria Diaz incola urbis Carthagenae ischiadis morbo dire afflictabatur. In

domum infirmao vocatus Beatus a Iuliana de Espadagna, super eius caput manus suas imposuit, ac insimul s. Ioannis evangelium recitavit. Ea interim benedicta, e domo discessit. Vix ad aedis gradus advenit Beatus, mulier extemplo exclamavit: *sana sum, sana sum*. Ab eo tempore nunquam mulior a tali infirmitate vexata fuit.

XXIV. Nonnunquam Beati meritis annonam Deus multiplicavit Commorans Beatus apud parochialem aedem oppidi de Palma, d. Ioannes Candela illius ecclesiae praefectus iussit famulo suo ut vinum ex tali doliolo hauriret. Licet ei dixisset famulus, doliolum illud omnino vacuum esse vino, attamen iterum eidem iussit, ut hac in re caute ageret; nam inquit: *cum frater Andreas praesens sit, nulla res deesse potest*. Paruit ille, tantumque vini ex doliolo antea vacuo hausit, ut per plures dies satis superque cunctis suae familiae sufficeret. Similia evenerunt in domo pientissimae familiae Federici Rombao, ad quam advenerat Beatus pro vini eleemosyna procuranda. Cum enim famulae testimonio dolium vino exhaustum esset, invita et ex mandato dominae suae cellam vinariam petens, tantum ex eo vinum elicuit, ut praeter Beato datum, undecim mensium spatio non solum pro suae familiae usu, verum etiam pro aliis eo crebro advenientibus pauperibus satis foret. Saepe interim eisdem coenobii fratribus largiebatur, mirandumque erat dolium eo continendo impar fuisse. Obvians Beatus mulierem panes deferentem recentes, petiit ab ea decem ex illis pro hospitibus sui coenobii nuper accitis. Annuit pia mulier, quae inde domi suae illos enumerans, praeter Beato largitos, alios duos panes, miraculi novitate perculsa, invenit.

XXV. Germanus Ioannae Fuster ad coenobium Gandiae accessit exoraturus Beatum pro ea ad mortem infirma. Statum infirmae audiens Beatus, dixit ei: *vade, frater, quia soror tua nunc bene valet, et ovum edit*. Laetus domum petit, et ingressus sororis cubiculum: *vidisti*, inquit, *frater, vidisti? Nunc discessit ab hoc loco pater frater Andreas qui me visitavit, ac dixit mihi, ut hoc ovum manducarem*. Stupefactus frater: *at quomodo?* ait: *quia nunc loquutus sum cum eo in coenobio, et ibi eum hoc in instanti reliqui?* Bina simul in facto mira evenerunt, et Beati replicatio et mulieris subita sanatio. Similia acciderunt Ioanni Service de Naia Aragonensi, cum graviter aegrotaret in domo fratris sui Iacobi in oppido Gandiae. Nam eo tempore quo Beatus pro infirmo orabat in ecclesia sui coenobii, apparuit insimul eidem Ioanni aegrotanti, quem sanum illico reddidit. Eius adparitiones. *Idem ibid. pag. 180.*

XXVI. Iis aliisque de beati Andreae meritis apostolico processu peractis, et a s. rituum congregatione ad examen adductis, summus pontifex Clemens XIV. die XIII. Iunii sequens vulgari mandavit

DECRETUM.

Maximae semper laudi fuit in Dei ecclesia praeclaris illis viris, qui humilitatis innixi fundamento unice operam virtuti perfectionique evangelicae dantes cum timore et tremore propriam salutem ad obitum usque operari conati sunt. Nihil enim consuevit sic in altum mortales tollere, gloriam atque honorem conciliare ac augere, ut magni in coelorum regno reputarentur sicut virtus humilitatis. Eapropter venerabilis Dei servus Andreas Hibernon *laicus professus ordinis excalceatorum regularis observantiae s. Francisci statim ac religiosum vivendi genus est amplo-* Idem ibid pag. 205.

xatus, profundae humilitati perpetuo incolendae soletter ac constanti animo incubuit. Hinc caeterae in ipso effloruere ex hac radice virtutes, nempe assiduum orandi studium, morum integritas atque innocentia prorsus singularis. Nemini itaque mirum si sancto Paschali Baylon quem contubernalem habuit, opprime ob sanctimoniam fuerit acceptus, et dignus iure meritoque existimetur qui altarium condecoretur honore. Igitur ad huius egregii viri heroica facinora, rite recteque ad sanctuarii lances perpendenda ac comprobanda, post legitimas probationum confectas tabulas, primum in antepraeparatoriis comitiis die XVI. Septembris MDCCLV., postmodum in praeparatoriis die IX. Iulii MDCCLXXI., demum in palatio apostolico quirinali coram sanctissimo domino nostro Clemente XIV. die XXXI. Maii praesentis anni MDCCLXXIV. congregatio generalis rr. s. r. e. cardinalium sacris ritibus praepositorum ac consultorum fuit habita, in qua una voce summoque animorum consensu illius virtutes ad summum perfectionis evangelicae fastigium pervenisse suffragantes omnes declararunt. Verum sanctitas sua animi sui sententiam exponere distulit, ut a spiritu veritatis ex quo omne bonum procedit, uberius ad indicandum lumen exposceret. Hac vero die qua sancti Antonii Patavini commemoratio ab ecclesia celebratur, sacro summa pietate ac religione peracto, accersitis coram se reverendissimis cardinalibus Andrea Corsini causae ponente, et Mario Marefusco s. r. congregationis praefecto necnon r. p. Dominico de s. Petro fidei promotore, meque infrascripto secretario statuit et decrevit: constare de virtutibus theologicis et cardinalibus earumque adnexis ven. servi Dei Andreae Hibernon in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur. *Quod decretum publici iuris fieri et in acta s. r. congregationis referri mandavit hac die XIII. Iunii MDCCLXXIV.*

M. card. Marefuscus praefectus.

Loco ✠ Sigilli

M. Gallo s. r. congreg. secretarius.

Idem ibid. pag. 174. XXVII. Confecti subinde de more fuerunt summi pontificis iussu processus apostolici de miraculis eiusdem Beati, quae nos praecipua inter multa proferimus; nam si de miris et extemplo peractis sanationibus sermo sit, eas fuisse septuaginta quatuor novimus ex summario s. r. congregationi exhibito. Adhuc vivens Beatus promiserat Petro Rodriquez familiari suo, se recordari etiam post mortem tum sui tum parentum suorum. Beati promissum completum fuit. Nam eius filia Iosepha in una manuum afflicta dolore tumoris magni, invocato Beato, manum quam movere haud poterat, dimovit, nullo tumoris vestigio remanente. Post annum iterum in gutture eodem morbo correpta, sana evasit parti laesae admota reliquia Beati. Franciscus laudati Petri Rodriquez ob grave morbum a medicis relictus mortique proximus, valetudinem recuperavit imposito capiti pileo Beati. Eiusdem familiae erat Vincentius qui copiis maritimis addictus, suborta tempestate apud Insulam Ebyssam, una cum sociis submersus fuit. Eius et aliorum velut mortuorum corpora ab aquis educta, arboribus, ut moris est, oppensa fuere, capitibus trium horarum spatio absque vitae signo ad terram conversis. Cum denudaretur Vincentius, velut e somno experrectus dixit: *ubi sum?* Viribus interim aliquantisper resumptis, adstantibus fassus est, illico Beati patrocinium invocasse, cuius sacra pignora gerebat abscondita. Mox autem incolumis effectus, ad coenobium Gandiae advolavit, gratias acturus Beato, qui eum a mortis discrimine liberaverat. Caeteri autem commilitones vitam commutarunt cum morte.

Digitized by Google

XXVIII. Beati invocatione valetudinem variorum morborum quorum vi proxima erat morti, instanter obtinuit Florentia Ibanes. Similia acuta febri exagitati Christophorus Ortiz et Sperantia Mos de Luna impetrarunt a Beato. Reliquiarum Beati tactu liberi evaserunt innumeri vel attracti, vel apoplexia correpti, vel amentes vel surdi, vel apostemate affecti, vel a partus difficultate mulieres, vel oculorum morbo laborantes. Haec duo sequentia prae aliis notamus. Anna Marti ob praeceps dilapsum, quatuor mensium spatio dolores sustinuit disrupti brachii, quin ipsum movere valeret. Humanis remediis posthabitis ad coenobium fratrum accessit, et admovens brachium Beati sepulcro, illico in brachio sanitatem experta est. Morti proxima Anna Aguilbar annorum decem puella, ut ei impositum fuit Beati pallium, mox laeta e lectulo exiliens, dixit praesentibus Beatum sibi apparuisse, ac incolumem eam reddidisse, effigiem corporis Beati interim describens: ipsa enim haud Beatum agnoverat.

XXIX. Miracula quae necessaria erant pro eius beatificatione, expensa primum fuerunt die IV. Decembris anno MDCCLXXXVII. ab eminentissimis consultoribus s. r. e. cardinalibus coram eminentissimo M. card. Corsini causae ponente; die II. Augusti anno MDCCLXXXIX. in palatio quirinali coram eminentissimis consultoribus s. r. congregationis; postremo die VII. Septembris anno MDCCXC. coram summo pontifice Pio VI plenario totius s. r. congregationis voto, quod idem pontifex suo oraculo confirmavit, vulgato die IV. Octobris hoc eodem anno diplomate quod subiicimus, in ecclesia aracoelitana de Urbe, ubi missam celebravit in solemnitate s. p. Francisci. *Idem ibid. pag. 193.*

DECRETUM.

Quamquam Clemens XIV. pont. max. heroicas v. s. Dei ANDREAE HIBERNONIS *fuisse virtutes conceptis iis verbis declaraverat, quibus significaretur, duo tantum miracula ad eius beatificationem requiri: causae tamen postulatores ex pluribus quas in inquisitionum tabulis relata erant, quinque in s. r. congregatione proponenda selegerunt, quae et probationibus firmiora et morborum gravitate splendidiora sibi esse videbantur. Attamen consueta iis accuratione perpensis tum in primo consultorum conventu habito in aedibus r. cardinalis Corsini episcopi Sabinensis causae relatoris pridie nonas Decembris anni* MDCCLXXXVII., *tum in altero habito coram rr. cardinalibus in palatio apostolico quirinali* III. *idus Augusti superioris anni, duo ex propositis miraculis, quae aliquam habere dubitationem videbantur, ab ipsis postulatoribus reiecta sunt: ideoque ad generalem congregationem coram sanctissimo d. n.* PIO PAPA VI. *habitam* VII. *idus superioris mensis, tria tantum miracula sunt oblata: de quibus cum exquisitae essent patrum sententiae, causa ipsis in tuto iam collocata esse visa est. Sed quoniam in gravissimis hisce causis existimatio tantum congregationis sit, unius vero summi pontificis iudicium ac potestas, ipse causam de more ampliavit, ut sapientia illa, per quam potentes decernunt iustitiam diutius invocata, de tanta re, ea qua decet religione iudicaret. Hoc vero rite functus officio, cum iam proposita miracula adprobare constituisset, hodiernum diem memoriae s. Francisci Assisinatis sacrum causae definitioni dixit, ut novum hoc franciscani ordinis alumnus decus cum familiae conditoris honore communicaret, merito ratus, filiorum gloriae partem non exiguam ad parentem pertinere, cuius legi-* *Idem ibid. pag. 205.*

Digitized by Google

bus institutisque ad ipsam consequendam vita latior ac munitior est patefacta. Sanctissimus itaque in templo s. Mariae de Araceli cum rem divinam summa pietate fecisset, adstantibus reverendissimo cardinali Archinto congregationi praefecto, qui vices etiam gessit reverendissimi card. Corsini causae relatoris ab Urbe absentis, meque infrascripto s. r. c. protonotario, loco r. p. eiusdem congregationis secretarii absentis, necnon accito r. p. Carolo Erskins s. fidei promotore rite pronunciavit: constare de tribus miraculis tertii generis a Deo v. s. Dei Andrea Hibernone intercedente patratis; nempe I. instantaneae et absolutae sanationis Mariannae Cano o confirmata tabe. II. instantaneae et perfectae sanationis Andreae Gisbert a diuturna mania. III. instantaneae et absolutae sanationis Mariae Garzise a diuturna plurium annorum caecitate. *Atque hoc decretum palum fieri et in acta mitti imperavit IV. nonas Octobris MDCCXC.*

I. card. Archinto praefectus.

Loco ✠ sigilli

I. de Carpineo s. r. e. protonotarius.

XXX. Insequenti anno XV. calendas Februarii latum fuit alterum decretum, quo summus idem pontifex indulsit procedi posse ad eiusdem servi Dei beatificationem. Eiusdem Beati sunt quidam actus virtutum quos quotidie summa animi pietate, sacrum maxime audiens recitabat, de quibus Mondina in eius vita.

Didacus de Oponte. Martinez lib. I. pag. 87.

XXXI. Maniliae coelestia petivit Didacus de Oponte Hispanus, qui militarem vitam dimittens, minoritis se addixerat in provincia s. Iacobi. Factus sacerdos, ad Insulas Philippinas se contulit anno MDXCIV. cum Aloisio Maldonato, ut illarum gentium salutem procuraret. Licet magnis laboribus attritus, saepe per diem et noctem flagellis se caedebat, revinctus interim aspero cilicio. Dominico die, feria tertia et quinta modico tantum obsonio; aliquando vero etiam post quatriduum reficiebatur. Eodem in coenobio cursum vitae complevit Andreas Muniz sive Gomez Cordubensis, socius laboris et corporis macerationis mox laudati Didaci. Eremicularum more vivens, saepe herbas silvestres comedabat. Pluries in sua provincia s. Gregorii rectoris coenobiorum munus summa sui vigilantia obivit. Apoplexiae morbo correptus, diu mira patientia corporis infirmitates sustinuit.

Andreas Muniz. Idem ibid. pag. 88.

Ioannes Maria a Platea. Tognoletto pag. 134.

XXXII. Scribit Petrus Tognoletto hoc anno inter reformatos provinciae Siciliae pie obiisse in coenobio Plateae Ioannem Mariam ibidem natum, qui ordinem ingressus, licet Deo inserviret in humili laicorum statu, caeteros tamen coetaneos suos vitae sanctimonia excelluit. De eo et agunt Hueber ad diem XIX. Iulii et Bollandus inter praetermissos. Eiusdem instituti fuit Aegidius Agrigentinus item laicus, hoc anno et die X. Decembris, non autem anno MDCIII. et die XXX. eiusdem mensis sicut minus vere narrant Pirrus et Arturus, defunctus in coenobio s. Nicolai Agrigenti. Adhuc iuvenis lacrymarum dono tum in recolenda Christi passione, tum in coelestibus meditandis enituit. Licet a daemonibus quandoque diris verberibus saturatus, ac ad lasciviam variis visionibus sub specie mulieris formosae illectus, eos tamen orationis praesidio devincebat. Breve somnum cilicio velut indutus, stratusque super acervum lapidum carpebat; assiduis interim vacabat precibus, corpusque inedia ac flagellis macerabat. Acre ulcus in uno crurium mira patientia, nullo usus remedio, viginti quatuor annorum spatio sustinuit. Suavi erat eloquio tantaque pollebat memoria, ut licet sola legendi facultate instructus, totius ferme veteris et novi

Acta ss. ad diem 19. Iulii.

Aegidius Agrigentinus. Mazara tom. 10 p. 131. Pirrus not. 3. de eccl. Agrigent. pag. 328. Arturus ad diem 30. Decembris.

testamenti verba recordaretur. In coenobio s. Francisci Transtyberim de Urbe die xxiii. Novembris raptus est Archangelus Savonensis sacerdos, multis a Deo donis ob sui innocentiam vitaeque sanctimoniam decoratus.

Archangelus Savonensis *Monum. prov.*

XXXIII. Apud coenobium s. Francisci Mexici minoritarum de observantia evolavit in coelum die v. Februarii Franciscus Garcia laicus Hispanus ex regno Galitiae, qui in provinciam Mexicanam advenerat cum Francisco Sanchez anno mdxciii. ibidem defuncto. Asperrimam indolem sortitus, crebro illa divini Salvatoris Iesu verba alta mente recolebat: *discite a me, quia mitis sum corde*. Hinc temporis decursu factum est, ut si ei daretur occasio ad iracundiam provocari, tunc mitissimi sui Iesu recordatus, concupiscentiae suae ardorem impigre devincebat. Ne vero corpus adversus spiritum petulanter ageret, flagellis, ieiuniis, vigiliis et precibus edomabat. Interim rigente etiam hyeme breve somnum ad monasterii scalas capiebat. Tumulum nactus est in conventu s. Francisci de Huete provinciae Carthaginensis die xxvi. Iulii Franciscus a Velasco sacerdos, dictus etiam angelus ob suavitatem ac candorem morum. Diu in eodem conventu chori moderatoris munus explevit. Semel in die modica esca contentus erat, flagris se caedebat, cilicioque amiciebatur. Infirmis epidemiae morbo in eadem urbe correptis solicitam curam gerebat, eisdem interim cibaria praebens et sacramenta ministrans. Non semel defunctorum corpora suis humeris imponens, tumulo mandabat. Eadem et ipse lue infectus, e vita migravit Antonius de Serpa item sacerdos in conventu s. Francisci Ulysipone die xxvii. Iunii, annos numerans lxxx. Nunquam carnes et pisces comedit, nec vinum potavit. Modico dumtaxat pane radiis solaribus exposito semel in die reficiebat, in quem tantum diebus solemnioribus aquam calidam infundebat. Attamen ita floridus erat, ut invenis formam praeseferret. Fratrum, saecularium parentumque consortia devitans, etiam eorumdem nomina ignorabat.

Franciscus Garcia *Torquemada tom 3. pag. 587.*

Franciscus a Velasco. *Huelamus cap. 9*

Antonius de Serpa. *Agiolog. Lusitan. ad diem 27. Iunii.*

XXXIV. In coenobio s. Francisci Sperimenti apud Camerinum in provinciae Marchiae raptus est Franciscus Vanni sacerdos, Matilicae ortus, qui diebus suis ita sanctitatis fama inclaruerat, ut ad eius funus ingens populus affluxerit, habitus sui particulas capiens. Iacobus de Frontino item sacerdos decessit in conventu s. Francisci Montis Florentini eiusdem provinciae. Oratione et solitudine mire delectabatur. Obitus sui diem etiam praedixit. Ibidem circa haec tempora dies suos complevit Ioannes Baptista de Frontino, laicus venerandae canitiei, qui carnis aestus edomabat precibus, ieiuniis aliisque poenalitatibus.

Franciscus Vanni. *Monum. prov.*

Iacobus de Frontino. *Monum. prov.*

Ioannes Baptista de Frontino *Monum. prov.*

XXXV. Inter capucinos fratres morte sublatus est Lugduni Spiritus Balmensis Gallo-Ligur, strenuus verbi Dei disseminator in regione Sabaudiae. Ob bellorum incursus tanta inter illas gentes invaluerat morum libertas, ut diebus ab ecclesia vetitis passim carnes ederentur; matrimonia absque parochi praesentia contraherentur; sacra altaris mysteria etiam a sacerdotibus negligerentur; furta, blasphemiae, periuria, fraudes ubique permearent; usurae denique et concubinatus, nullo prohibente, dominarentur. At ipse tum publicis concionibus tum privatis colloquiis iis malis occurrens, brevi post tempore eam regionem a morum corruptione expurgavit. Haereticum etiam ad catholicae ecclesiae sinum adduxit, Lugdunensem provinciam, ubi aliquando et concionatoris munus cum animarum lucro obivit, vicarii provincialis titulo administravit. Praestans erat sui corporis afflictatione, paupertate ac totius observantiae regularis studio. Vulgavit Lugduni anno mdxciii. catechismum pro instructione

Spiritus Balmensis. *De Aremberg tom. 8. pag. 155*

Sbaral. lit. S.

Hilarius a Campolongo. Idem ibid. pag. 712.
Aegidius Enneas. Idem ibid. pag. 475.
Andreas a Villa Ecclesiae. Idem ibid. pag. 362.

iuventutis et plebis in fide catholica. Alia opuscula ab eo scripta iniuria temporum periere. Barcinone decessit Hilarius a Campolongo laicus, vitae innocentia, simplicitate, multisque virtutibus exornatus. In coenobio Calasibetae in Sicilia die sibi a Deipara praenuntiato exuvias deposuit Aegidius Enneus sacerdos, qui cum in florenti aetate altas humilitatis radices egisset, amplos obedientiae, mansuetudinis, paupertatis ac iustitiae fructus collegit. Pluries recreabatur eiusdem b. Virginis apparitionibus ac colloquiis. Multa in vita et post mortem miracula patravit. Inclaruit etiam prophetiae dono. Sassaris in Sardiniae Insula iustorum mortem obtinuit Andreas a Villa Ecclesiae sacerdos. Adhuc iuvenis, praecipuis florebat virtutibus: nam mollem lectulum refugiebat; munuscula pecuniaria ei oblata a parentibus in pauperes distribuebat, ac divinis officiis instar senis quotidie assistebat. In capucinorum instituto tantum mox virtutis incrementum ostendit, ut coelestem potius cum Deo quam cum hominibus vitam agere videretur. In oratione crebro mentis excessibus fruebatur. Iussu Zephyrini Bergomiensis in Sardinia commissarii novitiorum curam gessit. Eis praeibat exemplo potius quam verbo tum in austeritatibus, tum in observantia regulari. In vita miraculorum gratia cohonestatus fuit tum crucis signo tum manus super aegros impositione.

Laurentius Florentinus. Idem ibid. pag. 475.
Curatus Bergomas. Idem ibid. pag. 712.
Benedictus Rhegiensis. Idem ibid. pag. 366.
Angelus Faventinus. Idem ibid. pag. 711.
Elias ab Antico. Idem ibid. pag. 475.
Petrus a Martina. Idem ibid. pag. 825.

XXXVI. Torticbii in provincia Hetruriae eorumdem fratrum obiit Laurentius Florentinus sacerdos, in Dei amore praecipuus multisque virtutibus exornatus. Hoc tempore pie etiam obiit Curatus Bergomas laicus, de quo fertur nudum pauperculum propria tunica contexisse, nec enim neminem turbatum vidisse. Bononiae capitis dolore perculsus raptus est Benedictus Rhegiensis sacerdos, in omnes charitate effusus, sibi tantum austerus. Mira dilectione ferebatur erga beatam Virginem, cuius aspectu aliquando recreatus fuit. Pie obiit Maceratae in provincia Marchiae Angelus Faventinus laicus, in virtute obedientiae prorsus singularis; in eadem provincia migravit e vita Elias ab Antico sacerdos, commendatus prae suae regularis observantiae, patientiae ac perpetuae ferme orationis studio. Spiritum Deo reddidit in Hydruntina provincia Petrus a Martina clericus, qui eum sacerdotali dignitate se indignum iudicaret, ab ea sponte procuranda abstinuit. Vitam duxit inter assiduas corporis macerationes.

Boverius tom. 2. p. 680.

XXXVII. Hoc tempore cum apud Bohemos tum vitae sanctitate, tum divini verbi praedicatione multos a fide devios ad veritatis lumen, ac peccatores ad rectam vivendi normam adduceret Laurentius a Brundusio item capucinus, delectus est vicarius generalis sui instituti in comitio Romae coacto. In procuratoris generalis munere confirmatus est Anselmus Monopolitanus; designati etiam fuerunt definitores generales Illuminatus Panormitanus, Silvester Assisias, Paulus a Caesena et Dionysius Placentinus.

De Pise in annal. capuc. tom. 2. pag. 308.

XXXVIII. Idem Laurentius ad totius sui ordinis regimen assumptus illico cunctis se praebuit eximiae humilitatis exemplar. Omnium enim suorum vilissimum intime se ita credebat, ut sola aliis praeesse humilitate videretur. Toto triennali tempore pedibus lustravit cismontanas et ultramontanas provincias sine aestatis et hyemis discrimine; nivem et glaciem discalceatus saepe calcabat; non raro ieiuniis et vigiliis fractus, praealta montium iuga ascendebat. Hinc cum tot dura et acerba impigre sustinuisset, in varias corporis infirmitates, podagrae praesertim in morbum incessit, a qua in pedibus ac genibus cruciatus, acutissimos dolores patiebatur. Nihilominus aliquando viae tractum ad triginta circiter milliaria peragebat. Coenobia petens, modico cibo sese reficiebat, et

Digitized by Google

subtracta sibi annona ad instaurandas vires exhaustas idonea, non tam famem sedabat, quam ne deficeret, ieiuno corpori consulebat. Selectiora cibaria eidem missa ab optimatibus sibi apponi in mensa permittebat; at illa vix ab eo praelibata inter socios partiebatur; sibi enim austerus, aliis vero valde benignus erat. Post longam peregrinationem ipsa die sui adventus in coenobium, primus omnium ad matutinas preces surgebat.

XXXIX. Praeter exempla virtutum, quae subditis exhibebat, tanta in dicendo vi ac efficacia praeditus erat, ut cum fratres ad viam perfectionis sectandam adhortaretur, ad eamdem similiter capessendam illorum animos inflammaret. Fratres de perfectione vitae acquirenda solicitos, magno amoris suavitate diligebat. Si vero aliquos perfectionis incurios offenderet, tunc animarum profectus zelo inardescens, acris censurae aculeis utebatur, lenitatisque oleum opportune vino aspero temperabat. Interim cuiuscumque dignitatis essent religiosi, eos libere increpabat, si ullis imperfectionibus essent obnoxii.

XXXX. Apud ss. xii. apostolorum de Urbe coenobium minoritae etiam conventuales habuere generale comitium, ubi praesedit pontificis auctoritate: *Cum sicut* die xxii. Maii Alphonsus Vicecomes s. r. e. cardinalis, s. Sixti titulo. Ad totius ordinis regimen assumptus fuit Iosephus Pisculli Melphiensis, quem pontifex in munere confirmavit datis literis: *Cum in capitulo* die xxx. Maii. Procuratorium ordinis officium consequutus est Cornelius Rosa Neapolitanus. *Benoffi de procurat. pag. 36.*

XLI. Christo sponso adhaesit hoc anno in coelis in monasterio s Clarae de Amaranto in provincia Portugalliae Isabella de Salvador, quae mortis suae horam eiusdem monasterii abbatissae praedixerat. Corpus ieiuniis, flagellis ac ferreo cilicio macerabat. Multis tentationibus contra fidei dogmata vexabatur; eas tamen superabat summo recitans fervore apostolorum symbolum. Eodem in monasterio occubuit Anna a s. Ioanne. Prae sui humilitate, viliora semper monasterii munia hilari animo obivit, et ut assiduis precibus de nocte vacaret, super nudam tabulam breve somnum capiebat. Pie etiam ibidem decessit Maria a s. Antonio, quae praeter cilicium cunctis feriis sextis ac totius adventus ac quadragesimae diebus, fune corpus ligabat.

Isabella de Salvador. *Agiologium Lusitan. tom. 2. pag 259.*

Anna a s. Ioanne. *Ibid. pag. 291.*

Maria a s. Antonio. *Ibidem pag. 262.*

XLII. In monasterio s. Clarae Belvisii in provincia Angelorum rapta est Clara a s. Ioanne, nobilibus parentibus nata in oppido de Cariches, mira vitae innocentia exornata. Erga pauperes solicita, partem alimoniae ei paratam pro eis quotidie alendis reservabat. Cum autem una die nihil sibi postulanti eleemosynam haberet, dixit sociae suae, ut mactram inspiceret, si forte panis saltem frustulum inveniret. Ut eam aperuit, septem panes recentes in ea invenit. Illa vero miraculum occultare cupiens exoravit sororem suam, ne factum alicui revelaret. Sancte occubuit in monasterio s. Clarae Montiliae provinciae Granatensis Ioanna a s. Stephano ex comitibus Pacheco urbis Civitatensis, dono lacrymarum ditata in recolenda Christi Domini passione. Apud ecclesiam coenobii s. Francisci Villenae dioecesis Carthaginensis in provincia s. Ioannis Baptistae tumulum accepit Anna a Medina, die ii. Augusti defuncta. Tertii ordinis habitu induta fuit anno decimo aetatis suae. Vitam ex tunc arripuit asperrimam; vigiliis enim, ieiuniis, flagellis ac ciliciis tenella membra in servitutem spiritus redigebat. Varias aegritudines sustinuit invicta patientia. Morti proxima, Iesu Christi imaginem manu accipiens ac oculos in illam coniiciens, expiravit vix absolutis *Iesus Maria* verbis, anno aetatis suae trigesimo tertio.

Clara a s. Ioanne *De Guadalupe pag 398.*

Ioanna a s. Stephano. *De Torres pag. 666.*

Anna a Medina. *Panes parte 1. lib. 2. cap. 40. et 41.*

In eius funere orationem habuit Antonius Sobrinus in Valentino regno commissarius visitator fratrum discalceatorum.

XLIII. Quaedam pro sororibus clarissis excitantur domicilia. Impensis Aloisii de Figueredo instructum est in oppido de Penchel dioecesis Visensis in Portugallia domicilium pro continendis trigintatribus monialibus, assignatis interim reditibus pro earumdem sustentatione: *Expositum* die xiii. Novembris. Abierunt hoc anno e monasterio Salvatoris Eborae, anno mdlxxxix. instructo, moniales clarissae, ut alterum incolerent intra moenia eiusdem urbis. Utrumque aedificium ad perfectionis culmen adductum fuit opibus Catharinae et Messiae de Aguiar germanarum, nobilium et piarum virginum. Pro eisdem sororibus extitit etiam monasterium sub invocatione s. Mariae Angelorum in civitate Vilnensi, quod suis sumptibus a fundamentis instruxit Leo Sapieka magnus cancellarius ducatus Lithuaniae: *Exponi nobis* die xx. Octobris. Haec monasteria parent ordinario loci.

Monast. de Penchel.

Monast. Eborae. *Ann. min. ad ann.* 1589. *n.* 56. *Monum. prov*

Monast. Vilnae.

XLIV. Maria Austriaca archiducissa vidua Caroli ducis Styriae obtinuit a pontifice: *Dilectae* die vi. Iulii, ut monasterium clarissarum Iundenburgense Assumptionis Deiparae titulo in Austriae provincia supprimeretur, ac moniales ad novum ab ipsa Graecii mox erigendum transferret; *at conditiones*, scribit Vigilius Greiderer, *a sororibus positae acceptatae non fuerunt, translatio effectu suo destituta est.* Eadem enim archiducissa Graecii domum pro eisdem ad monasterii formam aptari celeriter curaverat ecclesiamque reparari, quam omnium Sanctorum titulo hoc eodem anno dn nove consecravit Martinus Secoviensis episcopus. Ad hoc incolendum, summi pontificis voluntate, advenere quinque moniales e monasterio Menachii s. Iacobi in Anger, quas ipsa excepit in eadem aede summo animi sui solatio. Prima omnium ibi praesedit abbatissa Maria Segerin electa a Wilelmo Scholnagl provinciae Argentinae minorum de observantia ministro, qui etiam conscientiarum moderatorem constituit p. Simonem Mainhardem. Nondum a monasterii fundatione anno expleto, numerabantur in eo xxxvi. sorores. Idem laudatus pontifex dato anno insequenti diplomate quod ad totius historiae integritatem damus, monasterium subiecit provinciae Argentinae ministro.

Greiderer tom. 1. *p.* 382. *n.* 190.
Monast. Graeci.
Idem ibid. pag 386. *n* 193 *et seq. Ann. min. ad ann.* 1600. *n.* 98.

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabili fratri Hieronymo episcopo Adriensi nostro et apostolicae sedis apud dilectum filium nobilem virum Ferdinandum archiducem Austriae nuntio etc. salutem et apostolicam benedictionem.

Expositum nobis nuper fuit pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Mariae archiducissae Austriae viduae, quod cum superioribus mensibus cum nostra licentia et auctoritate unum monasterium monialium ordinis s. Clarae in oppido nuncupato Graecensi Salisburgensis dioecesis, in situ et ambitu ecclesiae omnium Sanctorum erectum fuerit; quod monasterium eiusque moniales a cura et subiectione tam ordinarii loci quam fratrum minorum exemptas, nobisque et apostolicae sedi immediate subiectas esse voluimus; cumque monialibus aliquot partim ex aliis monasteriis ad praedictum monasterium translatis, partim vero ad habitum noviter assumptis ibi degere incipientibus, animadversum fuerit complures ex huiusmodi immediata apostolicae sedi subiectione ortas et orituras esse difficultates, praesertim ex eo quod moniales ex Bavaria illuc

evocatae per fratres ordinis minorum de observantia regi consueverant; propterea eiusdem monasterii et illius monialium prospero regimini tam ipsius moniales, quam ipsa Maria archiducissa illius fundatrix maxime consultum iri sperans, si eiusmodi monasterii cura et gubernium tam in spiritualibus quam temporalibus eiusdem ordinis fratribus committutur: sed quia Austria in qua praedictum monasterium consistit, pauca illius ordinis monialium monasteria habet, ac fratrum monialium regimen idoneorum copia non ita abundat sicut provincia Argentinae et Bavariae, in qua plura tum monialium recte institutarum quam fratrum ad easdem regendas idoneorum monasteria reperiuntur: idcirco moniales ipsae ex Bavaria ad hoc novum monasterium Graecense translatae, et praefata Maria archiducissa cupiunt idem monasterium fratribus dicti ordinis provinciae Argentinae Bavaricae auctoritate apostolica subiici, et illorum curae ac gubernio committi, nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur piis eiusdem Mariae archiducissae votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ac moniales praefatas specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, illarum singulas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, paternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis diligenter te informes, et si per huiusmodi informationem ea veritate niti compereris (super quo tuam conscientiam oneramus) monasterium praedictum eiusque abbatissam et moniales, ac bona omnia regimini, gubernio, curae, administrationi, visitationi et correctioni dilectorum filiorum provincialis et fratrum praefatae provinciae Argentinae et Bavariae auctoritate nostra perpetuo subiicias ac subiecta esse et fore: necnon per ipsius provinciae Argentinae et Bavariae provincialem et fratres iuxta regularia eiusdem ordinis instituta regenda, administranda et visitanda esse: neque provinciae Austriae et Styriae provincialem et fratres, minusque loci ordinarium aut alios quoscumque, quavis auctoritate et facultate fungentes in eiusmodi monasterii cura, regimine et gubernio sese ullatenus ingerere posse. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari atque definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XIII. Martii anno MDCII. pontificatus nostri anno XII.

M. Vestrius Barbianus.

XLV. Duo pro monialibus clarissis quae capucinae nuncupantur, erecta fuerunt hoc anno monasteria. Alterum excitatum fuit in oppido Lillae dioecesis *Monast. Lilbe.*
Caballicensis in comitatu Venusino, impensis Hieronymi illius urbis episcopi, ea tamen lege, ut instar monialium Romae in monte quirinali degentium vitam ducerent: *Monasterium* die XXVII. Aprilis. Postremum fondatum fuit in op- *Monast. Cassiae. Monum. prov.*
pido Cassiae provinciae Umbriae a quadam domina divite gentis Fresanelli incola loci. Ad hoc moderandum duae moniales translatae fuerunt e monasterio Eugubino eiusdem provinciae ac instituti.

XLVI. Obtinuerunt et capucini aedes suas diversis in locis. In provincia *Ex Michaele a Tugio.*
Lombardiae eis obvenit conventus s. Secundi dioecesis Regii Lepidis; in provincia Mediolani conventus Locarni dioecesis Comensis; in provincia Pedemontana conventus Ripulae dioecesis Taurinensis; in provincia Lucaniae conventus Camerotae dioecesis Policastrensis, et conventus Marsici; in provincia s. An-

geli Apuliae conventus Murguntiae dioecesis Beneventanae; in provincia Neapolitana conventus Suessae: *Expositum* die xii. Novembris; in provincia Helvetica conventus Rappersvvila dioecesis Constantiensis; in provincia Tyrolensi conventus s. Catharinae Brixinonensis: *Cum sicut* die... Summus pontifex eisdem concessit ecclesiam extra urbis moenia positam; titulum vero benificii eidem ecclesiae attributum ac proventus ad quoddam altare cathedralis transferri mandavit. In provincia Normanniae incoluerunt coenobium Alenconii dioecesis Sagiensis; in provincia Britanniae coenobium Cenomani et coenobium Rhedonarum; in provincia Lugduni coenobium Divionis; in provincia Campaniae coenobium Metarum; in provincia Aquitaniae coenobium Burdigalae, et coenobium Castrisaraceni dioecesis Montalbanensis; in provincia Valentiae coenobium Algirae dioecesis Valentiae.

XLVII. Dalmatiae ac Iustinopolis tertii ordinis fratrum claustralium coenobia quae a solo eorumdem fratrum provinciae administro moderabantur, summi pontificis voluntate: *Pro nostri* die ii. Septembris subiecta etiam fuere regimini vicariorum et visitatorum generalium eiusdem instituti instar aliarum provinciarum Italiae. Coenobiorum specimen exhibemus.

Cherubinus in bullar. tom. 3. pag. 139.

PROVINCIAE DALMATIAE CONVENTUS.

Bordonius pag. 462.

1. S. Ioannis Baptistae Iaderae.
2. S. Pauli primi Eremitae Galenae dioecesis Iaderae.
3. S. Mariae Collapsae Ansarensis.
4. S. Mariae Pervichii dioecesis Sebeniei.
5. S. Michaelis Zaglavii in insula de Salo dioecesis Iaderae.
6. S. Francisci Arbae.
7. S. Mariae de Viaro Ossaris insulae Chersi.
8. S. Martini insulae Chersi Vallis s. Hieronymi dioec. Ossarii.
9. S. Nicolai Faresinae insulae Chersi eiusdem dioecesis.
10. S. Mariae de Chavo Veliae insulae dioec. Arbae.
11. S. Mariae Magdalenae Debazaiz insulae Veliae.
12. S. Mariae in Campo dioecesis Parensis.
13. S. Gregorii Istriae seu Iustinopolis *Capo d' Istria.*
14. S. Ioannis Sostipanaz insulae dioec Sebenici.

Conv. de Calcanete. Panes tom. 1. pag. 267.

XLVIII. Hoc anno initium accepit fabrica conventus s. Francisci de Calcanete dioecesis Valentiae fratrum discalceatorum in provincia s. Ioannis Baptistae, incolarum expensis. Item pro eis extitit opibus universitatis coenobium s. Francisci de Huescar ac coenobium s. Bonaventurae de Totana in dioecesi Carthaginensi. Praedium pro eo excitando eis contulerunt equites s. Iacobi; at constructum fuit incolarum eleemosynis. Haec coenobia admisit Hieronymus Planes minister provinciae. Accessit s. Iosephi provinciae conventus Conceptionis prope oppidum de Templeque, erectus communibus expensis Matthaei Garcia Panadero, et Alphonsi Lopez a Villacanes oppidi incolae. Loci possessionem accepit Ioannes ab Angelis provinciae administer. Iuratis ac civibus Messanae in provincia Siciliae indulget pontifex: *Pio dilectorum* die vi. Novembris, ut pro fratribus tertii ordinis claustralium aedem instruant pro continendis duodecim saltem fratribus.

Conv. de Huescar. Idem ibid. pag. 268. Conv. de Totana. Idem ibid. pag. 267.

Conv. de Templeque. Monum. prov.

Conv. Messanae.

XLIX. Vulgavit et hoc anno Henricus iv. Galliarum rex diploma in favorem recollectorum, mandans archiepiscopis et episcopis suae ditionis, ut duo vel saltem unum eisdem in qualibet eorum dioecesi domicilium assignarent.

HENRICUS DEI GRATIA GALLIAE ET NAVARRAE REX

omnibus praesentes literas inspecturis salutem.

Cum magnopere laudemus et approbemus reformationem regularem quam religiosi recollecti ordinis s. Francisci amplexi sunt; ideo ipsis favere, in quantum nobis est, desideramus ad augendam pietatem et religionem in isto nostro regno, et ad idem exemplum imitari impellendas personas ecclesiasticas tam saeculares quam regulares; et quia nobis relatum fuit, quod dicti religiosi recollecti qui de die in diem multiplicantur in nostris provinciis, non possunt invenire loca ad exercitia sua regularia peragenda, quod illis maxime molestum est; notum facimus, quod tanto incommodo et praedictae reformationis augmento subvenire desiderantes, dictis religiosis loca in nostris provinciis convenientia dare decrevimus, ut ibi resideant et sua pietatis exercitia adimplere possint. Quapropter mandamus omnibus regni nostri archiepiscopis et episcopis servandum esse bullas et brevia XXVI. Martii, ac XVI. Septembris MDCI. ss. d. n. papae Clementis VIII. nunc sanctam sedem apostolicam tenentis, ut quilibet in sua dioecesi unum vel duos conventus, sicut iudicabunt necessarium, dictis religiosis recollectis assignent. Iis de causis et aliis bonis et rationabilibus considerationibus ad hoc nos moventibus secundum intentionem dicti nostri ss. papae diximus, declaravimus et ordinavimus; dicimus, declaramus et ordinamus per praesentes manu nostra signatas, ut in posterum dictis religiosis recollectis ordinis s. Francisci unus vel duo conventus secundum necessitatem in quibuslibet istius nostri regni dioecesibus assignentur, etiam in dioecesibus a provincia s. Bonaventurae dependentibus, non obstante quacumque dictae provinciae a nobis obtenta exemptione pro hac causa, et hoc facere mandabitur et iniungetur omnibus archiepiscopis et episcopis, sicut per praesentes mandamus et iniungimus facere absque ulla difficultate vel mora, quia opus bonum et sanctum est ad honorem Dei et ipsius ecclesiae directum, quod omnibus et singulis volumus significari a nostris amatis et fidelibus personis curias parlamentorum regni nostri tenentibus s quolibet in suo districtu, quibus mandamus, ut praesentes literas nostras declarationis, voluntatis et intentionis registrari curent in registris dictarum nostrarum curiarum, et faciant dictos religiosos recollectos gaudere, et posse uti plene et pacifice de omnibus in dictis literis contentis absque ulla perturbatione et impedimento in contrarium, cogentes ad hoc facere et pati quoslibet cogendos. Non obstantibus etc. — *De Gubernatis tom. 2. pag. 409.*

Datum Parisiis die XXVI. Octobris anno Domini MDCII. et regni nostri XIII.

L. Emanatis Henrici IV. literis, Nathanaelis de la Sage commissarii generalis fratrum recollectorum in Galliarum regno opera inita fuit eorumdem custodia, s. Bernardini Senensis titulo, in provincia s. Ludovici. Triginta ex eisdem minoritis de observantia nuperae reformationi se addixerunt in congregatione habita in coenobio Avenionensi, praeside Carolo de comitibus romano episcopo Anconae, Avenionis pro-legato, quorum nomina exhibet in monumento illius provinciae pater Carolus Franciscus de Casaruiga Mediolanensis. — *Ann. min. ad ann. 1601. n. 5.*

Omnium primus ad novam custodiam, duobus tantum s. Crucis Avenionis, *(Conv. Avenionis.)* et Dominae nostrae de Consolatione Arelatis coenobiis instructam, moderandam delectus fuit pater Simeon Riberus. *(Conv. Arelatis.)* Eisdem fratribus obvenit hoc anno coenobium s. Michaelis intra moenia urbis Charitatis, *de la Chariet*, dioecesis Antisiodorensis in custodia s. Dionysii. *(Conv. Charitatis Monum prov.)*

Conv. Faventiae. Flaminius a Parma tom. 3. pag. 100. Conv. Carcerum. Monum. prov. Conv. in opp. s. Flaviani. Monum. prov. Conv. de Parco Lauri. Antonius de Nola in chron. prov. p. 234. Conv. Casertae. Idem ibid. pag. 241. Conv. Bassani. Petrus Antonius Venetus pag. 188.

LI. Obtinuerunt et minoritae reformati sua domicilia. In provincia Bononiensi eis cessit conventus s. Hieronymi Faventiae, primo eorum fratrum delecto praeside Petro Cremonensi; in Umbriae provincia conventus Carcerum s. Francisci prope Assisium; in provincia Romana pro eis erectum fuit coenobium in oppido s. Flaviani dioecesis Nepesinae illius universitatis expensis, in antiqua ecclesia parochiali eius loci, favente cardinali Sfortia terrae domino; in provincia Terrae Laboris eisdem et accessit conventus s. Ioannis de Parco Lauri dioecesis Nolanae, custode Ruphino de Aversa. Sub eodem custode initum fuit coenobium s. Luciae, a Caserta ad duo milliaria positum in loco amoeno, ubi aliquandiu diversatus sum. Antea erecta erat ibidem ecclesia sub invocatione s. Luciae v. et m. in qua beneficium ecclesiasticum obtinuerat Prosper Gisquinto cathedralis ecclesiae primicerus. Donationem loci ab eo actam confirmavit Clemens pontifex. Temporis decursu coenobii fabrica perfectionem accepit. Constructum postremo universitatis Bassani impensis acceperunt coenobium s. Bonaventurae titulo in provincia s. Antonii Venetiarum. Subest dioecesi Vicentinae.

Monum. prov. Conv. Istriae. De Bastia in chron. prov. pag. 176.

LII. Administri generalis mandato, coenobium minorum de observantia s. Francisci Mirandae provinciae Burgensis, adiunctum fuit provinciae Cantabriae; conventus vero s. Francisci Pampelonis, et s. Francisci Sanguessae provinciae Cantabriae uniti fuere provinciae Burgensi. In provincia Corsicae pro eisdem extitit conventus s. Francisci Istriae, aedificatus pro XII. fratribus tum christifidelium tum etiam Herculis et Federici dd. loci facultatibus.

Conv. Belmontis. Brutius pag. 150.

LIII. Coenobium b. Mariae Belmontis prope Valpergiam in provincia s. Thomae hoc anno iidem fratres recipiunt, subinde aedificiis auctum oppidanorum impensis, opera et studio p. Laurentii a Cespitello et p. Angeli Gabrielis a Fossano. Aedem antiquitus incolebant sodales s. Benedicti. Cum autem temporis decursu monachis vacua fuisset et prodigialis b. Virginis imago contemptui haberetur, anno MCCCCIV. eamet b. Virgo apparens Guidoni Astae episcopo diuturno morbo laboranti, commonuit, ut si sanitatem recuperare vellet, duodecim sorores eiusdem instituti eo loci adduceret. Paruit episcopus, et monisles illuc immisit et valetudinem obtinuit. Armorum autem terrore concussae, anno MDC. domum et ecclesiam sacrae virgines dimiserunt.

Conv. Arimini. Flaminius a Parma tom. 2. pag. 499.

LIV. Coenobiorum provinciae Bononiensis albo adiunctum est hoc tempore aliud s. Bernardini titulo in medullitio civitatis Ariminensis positum, quod ab anno MCDLXXX. Sixto IV. probante, erat pro hospitio fratrum eiusdem instituti conventus s. Mariae Gratiarum extra eamdem civitatem. Ecclesia de novo instructa fuit piis largitionibus pientissimi viri Guilielmi Cagnazzi urbis incolae.

Conv. Claustro-Neoburgensis. Greiderer tom. 1. p. 322. n. 103. Idem ibid. pag. 378. n. 185.

LV. Coenobium s. Iacobi Maioris Claustro-Neoburgensis dioecesis Viennensis in provincia Austriae hoc anno maxima ex parte flammis absumptum, non multo post piorum eleemosynis per austriacas ditiones collectis reparatum fuit. Ferdinandus III. imperator certam salis quantitatem pro eo reficiendo designavit. Apud monasterium clarissarum Graecense in eadem provincia incepit esse residentia pro fratribus deservientibus monialibus, erecta a pia liberalitate Mariae Caroli Austriaci archiducis, Styriae, Carinthiae et Carniolae ducis pientissimae coniugis.

Wadd. de script. lit. F. Idem ibid. lit. A.

LVI. Decedunt viri docti. Florenti in aetate vitam commutavit cum morte inter minoritas de observantia Franciscus Tantius Belga, in urbe Burgensi natus. Extitit coenobiorum Dunkerkensis et Duprensis guardianus. Parisiis aliquot annos philosophiam ac theologiam docuit. Scripsit *in libros Magistri sententiarum*. Sublatus est etiam hoc anno Antonius a s. Maria Hispanus,

de qoo ita Waddiogus ex Ioanne a s. Maria io cronaca provinciae s. Iosephi lib. 4. cap. 17. et seq. *Nobilibus parentibus natus Placentiae in Extremadura, ab incunabulis virtutibus ac literis operam dedit; metro et soluta oratione, vulgari ac latina excelluit, doctorque in utroque iure evasit. Romam profectus, illic ob ingenii sagacitatem multis camerae apostolicae muniis praeclare functus est, donec obtento beneficio, in patriam reversus est, ubi pro suo pastorali officio virtutum suarum exemplo multos ad viam salutis direxit; tandem altioris vitae desiderio incitatus, frater minor factus est in conventu s. Mariae de Angelis, qui est primus provinciae s. Gabrielis. Postea anno* MDLXXIII. *minister provincialis electus est. Eius interventu provincia divisa fuit in duas, videlicet s. Ioseph et s. Pauli; in hac moram traxit, et finem vitae mortalis accepit anno* MDCII. *die* XVIII. *Iulii aetatis suae* LXXXI. *quorum quadraginta in religione absque peccati mortalis sorde dicitur transegisse.* Ioannes Marangoous part. I. thesauri parocborum lib. 2. cap. 1. titulo *Beati* eum cohooestavit, sicut et Artorus ad diem XVIII. Iulii. Plura scripsit suis in locis adnotata. Eius *doctrina pro instructione noviliorum* anno MDCXLV. prodiit secundo Vallisoleti. *Sbaralea lit. A. Ann. min. ad ann. 1588. n. 68*

LVII. Bruxellis obiit Ioaones Scalcus Aotuerpiensis ex tertio s. p. Francisci Institoto, singulari pietate ac prudentia exornatus. Commendantur eius opera, nimirum *Xenium evangelicum* anno MDLXXIX. vulgatum, et *orationem lugubrem de Antiochena seditione* anno MDLXXII. impressam apod Guilielmum Antuerpiensem, ad iconomachos Belgicos accommodatam. *Wadd. et Sbaralea lit. I.*

LVIII. Viri doctrina praestantes florebant hoc tempore inter minores de observantia. Bartholomaeus Garcias Ordonez ex provincia Castellae vulgavit Pinciae typis Ludovici Saochez *artem politicam redemptionis rerum pignoratarum in utilitatem principum.* Anno MDXC. Tarracone ediderat *vitam s. Eulaliae Barcinonensis*, titulo *Eulalida*, rhytmis et octavis Castellanis. Matriti apud Michaeleo Serranum prodiit Francisci Ortisii Lucii ionioris ex provincia Castellae *viridarium de IV. novissimis et fine vitae humanae in quatuor tractatus divisum, de morte, iudicio, inferno et gloria.* Fulgentius Manfredus Venetiis typis mandavit opusculum italice scriptum *de dignitate procuratoria s. Marci Venetiarum*, nuncupatum M. Antooio Memmo procuratori s. Marci. Hieronymus Marafiniotus Polistincosis Calaber scripsit *libellum de arte reminiscentiae* per loca et imagioes, ac per notas et figuras io manibus positas. Opus in italicum sermonem transtulit ediditqoe Venetiis apud Ioannem Baptistam Bertoni Theseus Mansuetus Urbinas, canonicus regularis s. Salvatoris. Iacobus Pierius Pistoriensis confessarios ac theologus ducis Hetruriae apud Marracium vulgavit *conciones de immaculata conceptione b. v. Mariae.* Venetiis typis Barctii publici loris fecit *instructorium omnium praelatorum regularium, praecipue vero fratrum minorum* Ioaooes Bobadilla Hispanus ex provincia Castellae. Agit in opere de potestate regularium omniom iuxta Tridentinum coocilium, et privilegiis eis concessis a romanis pontificibus. In coenobio Salicetano eiusdem provinciae mss. adservantur eios *Tridentini concilii expositio, et commentarium in symbolum apostolorum.* Didacus de Vega Toletanus ac eiusdem provinciae edidit opus quatuor tomis distinctum, cui titulus *paradisus gloriae sanctorum*; continet sermones de sanctis totius aoni. Iacobus Blassaeus episcopus Audomarensis habuit hoc anno *orationem* funebrem in morte Ioannis de Ploich episcopi Atrebatensis. Matriti edidit Labrentios a Cuenca Hispanos *homilias varias in evangelia.* Ita-

Sbaralea lit. B. — *Idem lit. F. et Wadd.* — *Sbaralea lit. F.* — *Idem et Wadd. lit H.* — *Iidem lit. I.* — *Iidem lit. I.* — *Iidem lit. D.* — *Sbaralea lit I* — *Wadd. lit. L.*

Sbaralea lit I.
Wadd lit H

lice scripsit ac vulgavit Bononiae Ioannes Aloisius, slii Ludovicus Barbieri ex minoritis reformstis *dialogos VIII. de morte et anima separata*, adiectis *dialogis X. de paradiso et IX. de inferno*. Hieronymus Meyere Antuerpiensis recollectus edidit libellum pium sc egregium Lovanii typis Maaii, titulo *extrema coenatio Filii Dei assertoris nostri domini Iesu Christi carmine iambico digesta.*

Sbaralea lit P.
Idem lit. P
Ann min ad ann 1598. n. 60. ad ann. 1599 n 84
Spondanus ad ann 1602 n 1

LIX. Ex minoritis conventualibus hoc snno Ferrariae per Vietorem Baldinum edidit Petrus Antonius Rosinus *orationem auspicalem de theologiae praestantia dictam ab auetore in gymnasio universitatis Ferrarien. cum electus esset theologus publicus die* XIII. *Novembris* MDCII. Sublatus est hoc anno inter eos Propertius Resta Neapolitanus, a Taleacotio Marsorum oppido dictus. Nos plura de eo diximus, scriptaque eius notavimus. Episcopus Geruntinen. et Cariaten. in Calabria, prae suse doctrinae praestantia Romam a Clemente VIII. accitus congregationi celebris *de auxiliis divinae gratiae* controversiae quae inter dominicanos et iesuitas vigebat, praefectus constituitur. In sui ordinis ss. XII. apostolorum de Urbe basilica tumulum nactus est. Laudata controversia incepit esse coram pontifice hoc snno sub die XX. Martii. Praeter laudatum Propertium Resta, ex minoritis inter XIV. consultores fuerunt Iulius Sanctuccius conventualis episcopus s. Agathae Gothorum, Ioannes de Rada Hispanus procurator generalis minorum de observantia, postea archiepiscopus Tranensis, et Anselmus Monopolitanus procurator item generalis fratrum capucinorum, ac inde s. r. ecclesiae cardinalis.

Ann. min ad ann 1594. n. 86.
Ughel tom. 2. col. 878

LX. E vivis etiam ereptus est hoc snno Petrus Rodulphus Tossinianensis minorita conventualis, qui plura scripsit suis in locis notata, a Venusina ad ecclesiam Senogalliensem translatus. Ferdinandus eius frater sequens monumentum posuit in ecclesia cathedrali Senogalliae, ubi quiescit.

D. O. M.

FR. PETRVS RODVLPHVS TOSSINIANENSIS EX ORD. MIN. CON. QVI PRIMVM SVAE RELIGIONIS MVNERIBVS PERFVNCTVS A SIXTO V. ROMAM VOCATVS AB EODEM EPISCOPVS VENVSINVS FACTVS A GREGORIO XIV. AD ECCLESIAM SENOGALLIEN. TRANSLATVS. CAVIT VT SINGVLIS FERIIS SECVNDIS MISSAE PRO DEFVNCTO EPISCOPO ET SINGVLIS SABBATIS MISSA VNA IN HONOREM CONCEPTIONIS B. VIRGINIS AD ANIMAE SVAE SALVTEM CELEBRETVR. FERDINANDVS F. HARVM MEMORIA RETINENS IVSPATRONATVS INSTITVIT I. IVLII M. DC. II.

Cornelius Amalteus Foroiuliensis eum hoc carmine celebravit.

Edax vetusta atria principum
Arcesque ovantum diruit urbium.
Illa et columnas et colossos
Magos abolet monumenta regum.
At sola virtus perpetuo viget
Magnisque floret laudibus in dies,
Seu luctuoso illa tumultu
Sive rogo Libitina saevit.
Aeterno vivet saeclo Rodulphus,
Simulque vivent docta volumina,
Quae tot beatae gentis acta,
Totque patrum celebrant honores.

Quorum sereno pars micat aethere
Assueta divum colloquio frui
Assueta clari signa Olympi
Sub pedibus propius tueri.
Pars pene totum sparsa per ambitum
Telluris acrem militiam colit,
Semperque palmas ac trophaea
Victo Erebo ad superos reportat.

LXI. Duo ex minoritis de observantia episcopi obiere. Die XVII. Novembris decessit cum sanctitatis opinione Ioannes Izquieredo episcopus Iucatanicae ecclesiae, ad hanc ecclesiam destinatus a Sixto v. pontifice anno MDLXXXVIII. *Torrubia pag XI.* In ara maiori cathedralis ecclesiae s. Salvatoris civitatis Bambae in Insula s. Thomae regni Congi tumulum accepit Michael Baptista Rangel, defunctus die X. Maii. Is fuit primus huius ecclesiae antistes; siquidem ecclesia cathedralis s. Salvatoris Congi divisa fuit ab altera cathedrali ecclesia Insulae s. Thomae a Clemente VIII. an. MDXCVII. Sic de eo scribit Dominicus de Gubernatis: *De Gubernatis de missionibus antiquis pag. 342 n. 36* *Fr. Michael Baptista Rangel n Conymbria e reformata provincia s. Antonii . . . . ex merito singulari electus fuit episcopus. Fuerat in saeculo pro suo rege Lusitano auditor generolis integerrimus in India; deinde saeculo valedicens, in praefata s. Antonii provincia ordinem minorum strictioris observantiae professus; ad religiosae perfectionis apicem per omnes virtutum gradus odspirans, sacris etiam studiis assiduo labore incumbens, tum doctrina tum pietate conspicuus promotus est ad episcopatum. Suscepta ex obedientiae merito consecratione anno praedicto MDLXXXVII. in sua sede pacifice consedit; ubi nullis parcendo laboribus, nullum metuendo discrimen, tum divini verbi efficacia, tum vitae sanctitatis exemplo, tum sanctae correctionis zelo disciplinam ecclesiasticam in clero, dignam christiano viro pietatem atque fidei securitatem in toto regno, sed breviori quinque annorum curriculo, licet aetate gravatus, ut restitueret, nullo non conatu procuravit; regnum fere universum quasi ad verae pietatis formam renovavit, quod antecessoribus suis Insulanae s. Thomae sedi, utplurimum alligatis non fuerat adeo pervium; tandem an. MDCII. die X. Maii post messem plurimam in horreum Domini congregatam, non sine magna sanctitatis opinione requievit in Domino.*

LXII. Episcopalem dignitatem assequutus est die XV. Aprilis Philippus Gesualdi minister generalis ordinis fratrum minorum conventualium pro ecclesia Geruntinen. et Cariaten. in regno Neapolitano, cui indulget pontifex: *Cum nos sub eadem die, ut munus generalis prosequatur usque ad eorum comitium celebrandum.* Hoc eodem vel anno transacto iuxta Farlatum Aurelius Novarinus *Farlati tom. 3 pag. 257.* eiusdem instituti ex archiepiscopatu Ragusino translatus est ad episcopalem ecclesiam s. Marci in Calabria; ex Ughello Ioannes Paulus Palianterius item conventualis factus est episcopus Laquedonen. in eodem regno Neapolitano. Ex minoritis de observantia die XXIII. Ianuarii promotus est ad ecclesiam Milensem in Mari Aegeo Franciscus Ottinati; die XXVI. Augusti ad ecclesiam Almerien. in Baetica Ioannes Portucarrero; ad ecclesiam Dignien. sub archiepiscopatu Ebreduuensi Antonius a Bologna ex Hyacintho Sbaralea.

LXIII. Andreae Cocinensis episcopi ex minoritis de observantia opera, patres societatis Iesu in Ceylanum regnum advenere. Veritatem testatus est Iu-

Digitized by Google

Iuvencius part. 2. pag. 684. vencius ipse iesuita hisce verbis. *Andreas Cocinensis episcopus franciscanus, reluctantes iesuitas in Ceylanum quae inter Maldivias Insulas et Sundicas iacet, introduxit. Cum enim Insulam pro suo munere visitaret, necessarium arbitratus est, in tanta messe adiutores addere franciscanis, qui anno* MDVI. *cum Lusitanis ingressi fuerant. Regi ita visum et Goano archiepiscopo. Venere igitur Columbum Iesuitae. Pars insulae septemtrionalis eis attributa fuit; relicta franciscanis australi parte, concordiae* Witman tom. 5 pag. 89. *maioris causa.* Hoc ipsum et tradit Patritius Witman *istoria universale delle missioni cattoliche;* haud tamen habet nomen laudati episcopi, qui eos in Insulam Ceylani advocavit.

LXIV. Hoc tempore Franciscus Manerba Terrae Sanctae custos supplices literas ad summum pontificem misit, ut praesto esset aerumnis quibus affligebantur fratres Palestinae loca incolentes.

BEATISSIMO PADRE

Paradiso Serafico tomo 1. pag. 170. In quanto allo ingiurie ed affronti, contumelie, e battiture e finalmento le ferite, che li figli di Vostra Beatitudine li religiosi minori patiscono continuamente dalli Turchi ed Arabi; basti il dire che se escono dal convento per visitare i santuarii, non mancano ragazzi che li preseguitano con sassate ed ingiurie, e talvolta alcuni Turchi grandi che li prendono per la barba, e li strascinano. Se stanno ritirati, orando, o celebrando, o attendendo, com'è costume, agli ufficii divini, poche volte si sta senza sentiro clamore alla porta de' Turchi che domandano vino, aceto, zucchero, candele, vestiti, o molte altre cose. Se vanno alla montagna di Giudea, sarà gran cosa che non ritornino al convento malamente percossi: se vanno a Betlemme sono fatti correre per la strada a furia di sassate; e in quel santo convento sono molte volte assediati per lungo tempo dagli Arabi; se vanno alla Galilea non sono sicuri di non essere bastonati. L'andare al fiume Giordano è tanto pericoloso, che a dodici religiosi (cosa veramente che senza lagrime non si puole riferire) dopo molte percosse e ferite gli levarono gli abiti, lasciandogli ignudi, appena poterono ritornare salvi al convento, e furono astretti a camminare in quel modo per tre giorni per quelle valli e per quei monti; se l'ubbidienza l'invia all'Egitto o Soria a predicare ed amministrare i Sagramenti a quei fedeli, la peste li consuma. Sà Dio, Beatissimo Padre, da quante angustie mi vedo attorniato. I Governatori delle città e del regno non finiscono mai di pretendere danari, minacciando anche di levarci la testa, se non li dinno subito quanto chiedono. Lo ponno dimostrare le usure, che così grosse paghiamo, e li torcimenti di quelli due religiosi che tennero in prigione con pesante catena al collo, e lo posso dire ancor'io, che fui presente o partecipai di quel travaglio. Aggiungo che le strade di Sionno piangono, perchè vedendosi solitarie ed abbandonate, non v'è chi gli abbia compassione. Anticamente i cristiani nostri da gran fervore facevano voto alli santi luoghi, e specialmente al s. Sepolcro del nostro redentore Gesù Cristo; ma in questi tempi non vengono pellegrini, che alcuni poveri necessitosi i quali ritornano ai suoi paesi a spese di Terra Santa. Questo è, Beatissimo Padre, lo stato nel quale si trovano li Santi Luoghi per la maggior parte rovinati e profanati. Questo è il modo come la povera famiglia de' Frati Minori vive, provando per la gloria del nome di Cristo innumerabili mali, nell'esteriore guerra e nell'interiore

incessanti timori. Dategli voi, Beatissimo Padre, l' ajuto che desiderano i vostri servi e figli; dategli la consolazione che bramano, ed acciò possano resistere mandate la vostra santa benedizione, la quale sospirano e chieggono tutti prostrati alli piedi di vostra santità.

LXV. Quae moerens accipiens pontifex, fratrem Alexium Bagnola ex provincia Brixiensi Constantinopolim misit ad oratores Galliarum regis ac reipublicae Venetae, ut penes turcarum imperatorem impense agerent pro locorum, personarum Terrae Sanctae, ac peregrinorum eo accedentium incolumitate. Hinc factum est, ut opera potissimum d. Breves regis christianissimi oratoris rata fuerint antiqua privilegia Terrae Sanctae, ac restitutum sacri Calvarii Montis coenobium a Georgianis occupatum.

LXVI. Quaedam statuit summus pontifex. Iubet ministro observantium provinciae regni Peruani, ut aliquot fratres concedat Petro Fernandez de Quiros pro disseminando verbo Dei in nuperas regiones detectas: *Cum ad messem* die IX. Martii; eligit extra capitulum Angelum de Fugnano in ministrum provinciae observantium Bononiae: *De tua fide* die I. Februarii, subiicit ordinario monasterium clarissarum Virdunen. in Gallia: *Expositum* die XV. Februarii; iubet ut non admittatur aliqua puella in monasterio s. Clarae Malacitan. nisi accedat maior pars suffragiorum monialium: *Vestro nomine* die XIII. Aprilis; moderatur constitutiones Sixti V. quoad receptionem et professionem religiosorum: *In suprema* die II. Aprilis; subiicit ordinario monasterium s. Clarae Nanneten. *Cupientes* die XVII. Iulii; similia iussit et die XIII. Decembris: *Alias*; declarat ut fratres reformatos instar aliorum fratrum franciscalium mendicantium ordinis regulam observent: *Ex iniuncto* die VII. Septembris; iubet, ne mutuentur vasa et paramenta sacra ecclesiae s. Mariae Novae Neapolis, quae spectant ad oratorium s. Mariae Gratiarum, et s. Iacobi a Marchia, et ut decretum semel in anno in publica mensa legatur: *In his* die VI. Septembris; iubet episcopo Alerien. observantiam decretorum, quae lata fuerunt in Insula Corsicae quoad monasteria monialium et regularium a Leone monaco Cassinen. et ab Antonio Marzer minorita de observantia: *Mittimus* die XII. Septembris; iubet ne aliis mutuentur vasa, ornamenta ac paramenta sacra ab oratorio infirmariae fratrum de observantia coenobii s. Francisci de Vinea Venetiarum: *Cupientes* die XIII. Septembris; subiicit episcopo Civitatis s. Fidei in Indiis monasterium clarissarum oppidi de Tunsa: *Quae pro* die VI. Novembris; subiicit episcopo Clusino monasterium s. Clarae Sarsiani: *Cupientes* die XIII. Decembris; iterum restituit breviarium romanum: *Cum in ecclesia* die X. Maii; postremo aliqua statuit pro capucinis circa administrationem sacramenti poenitentiae: *Alias* die III. Februarii

Calorra in chron. prov. Syriae p. 500. Ann. min. ad ann. 1603 n. 8.

LXVII. Indulget summus pontifex Martino Ignatio de Loyola episcopo Assumptionis de Cile, ut socios ex minoritis discalceatis sibi assumat pro bono ecclesiae suae: *Cum sicut* die XIV. Ianuarii; ut in monasterio conceptionistarum extra urbem Burgensem possint verbum Dei praedicare alii etiam regulares ac presbyteri saeculares: *Cum sicut* die XVIII. Martii; ut Maria de Corduba marchionissa de Stepe semel in mense ingredi possit in monasterium eiusdem oppidi, cum monialibus manducare ac cum eis conversare: *Alias* die XVI. Martii; ut Florentia de Resurrectione, et Elisabetha a s. Clara remaneant in monasterio Incarnationis Mexici nuper fundato, ad quod advenerant e monasterio Conceptionis eiusdem civitatis: *Cum sicut* die XXVII. Martii; ut Paulus Mainardi conventualis transeat ad cisterciensium institutum: *Exponi* die XXVI.

Martii; ut Franciscus Gonzaga episcopus Mantuanus praesideat comitio fratrum carmelitarum in eadem civitate mox habendo: *Cum sicut* die xviii. Aprilis ut confratres sodalitatis tertii ordinis capucinorum Agrigentin. aliquot ss. reliquias ab hypogeis extra Urbem extrahere valeant: *Cum sicut* die xxii. Aprilis; ut semel in mense Margarita Daries ingredi possit in monasterium clarissarum Mossiliae: *Spirituali* die xxvii. Novembris; ut Guiomara de Vigliena permanere possit in habitu saeculari in monasterio clarissarum de Scalbais dioecesis Ulyssiponen. *Exponi* die xvii. Decembris; applicat pium legatum pro perficiendo coenobio fratrum reformatorum de Urbe in loco s. Francisci Transtyberim: *Cum sicut* die xxvi. Novembris; indulget ut in Gallia fratres recollecti novitios recipere valeant extra custodiale capitulum: *Ordinis vestri* die v. Septembris; quasdam facultates tribuit archiepiscopo Antibaren. pro christifidelibus Albaniae: *Spirituali* die xxii. Octobris; gratulatur Ignatio Bononien. capucino de fructu evangelico Algerii collecto: *Libenter* die xxiv. Augusti; confirmat privilegia congregationis tertii ordinis Begardorum, sive Zepperen. nuncupatae, in Belgio erectae: *Decet* die iv. Iunii. Ab anno MCCLXXXVII. iuxta Dominicum de Gubernatis, vel iuxta Lucam Waddingum ab anno MCCXCV. eadem congregatio fuit instituta. De ea agit cl. Bergier in ditionario theologico lit. *Begardi.* Instituit commissarium apostolicum visitatorem provinciarum Germaniae Franciscum a Montenigro: *Ut munus* die xxvii. Iunii, et Iosephum Navariensem in quasdam custodias reformatorum: *Cupientes* die xxx. Augusti.

De Gubernatis tom. 2. pag. 227. Wadd. ad an. 1295. n. 19.

LXVIII. Declarat privilegiatum altare s. Francisci in ecclesia s. Michaelis in Villa de Vardal Bosnensis dioecesis: *Omnium saluti* die v. Iulii; transfert altare privilegiatum concessum a Gregorio XIII. ecclesiae s. Mariae de Constantinopoli Terrae Massafrae dioecesis Motulen. ad aliam ecclesiam s. Cathaldi eiusdem ordinis ac oppidi in altare s. Francisci de Paula ac s. Didaci: *Alias* die xxix. Octobris; item transfert altare privilegiatum s. Spiritus ab eodem pontifice concessum ad altare ss. Angelorum in ecclesia s. Severi Neapolis: *Alias* die ix. Martii. Haec indulta concessa fuere minoritis de observantia.

LXIX. Largitur indulgentias confraternitati conceptionis erectae in ecclesia s. Mariae del Passo Terrae Malao dioecesis Barensis fratrum minorum de observantia: *Cum sicut* die xxx. Maii; confraternitati tertiariorum capucinorum erectae in ecclesia s. Mariae Itrioe Agrigentin. dioecesis: *Cum sicut* die xiv. Augusti; archiconfraternitati ss. Stigmatum de Urbe: *Cum in ecclesia* die ii. Augusti; confraternitati s. Matthaei erectae Neapoli in ecclesia eiusdem tituli fratrum conventualium: *Cum sicut* die vii. Septembris; confraternitati s. Francisci erectae in loco s. Victoriae Arten. dioecesis: *Cum sicut* die . . . . ; confraternitati s. Francisci erectae in ecclesia s. Mariae Gratiarum Castri, sive Marsciani dioecesis Perusin. *Cum sicut* die xvii. Maii; confraternitati s. Bernardini erectae in ecclesia s. Francisci Cherii dioecesis Taurinen. *Cum sicut* die xxii. Maii; confraternitati sub invocatione disciplinantium s. Bernardini erectae in ecclesia s. Bernardini Burgi Saturii dioecesis Brixinonensis: *Cum sicut* die iv. Iunii; confraternitati conceptionis erectae in ecclesia Terrae de Bussia di Valsolto Mediolanen. dioecesis: *Cum sicut* die iv. Iunii; sub eadem die largitur indulgentias confraternitati ss. corporis Christi erectae in ecclesia parochiali s. Francisci loci de Mogio Mediolanen. dioecesis: *Cum sicut*; congregationi s. Ioannis evangelistae erectae in ecclesia monasterii conceptionis Limae: *Cum sicut*; confraternitati sub titulo disciplinantium s. Bernardini erectae in ecclesia eiusdem nominis in Villa de Foglino dioecesis Savanen. *Cum sicut*;

confraternitati s. Gotardi erectae io ecclesia cooventualium s. Angeli Terrae Asilii Tarvisin. dioecesis: *Cum sicut*; coofraternitati s. Mariae de Pietate erectae in ecclesia observantium s. Francisci Hispalen. *Cum sicut*; confraternitati s. Verae Crucis erectae in ecclesia s. Francisci observantium de Quito in Indiis Occiduis: *Cum sicut*; confraternitati s. Bernardini erectae in ecclesia Geczano dioecesis Novarien. *Cum sicut*; confraternitati conceptionis erectae in cathedrali ecclesia Elveu. *Cum sicut* die XVIII. Decembris; confraternitati s. Rochi erectae in ecclesia eiusdem tituli in Terra s. Iacobi oppidi de Castilleia nullius dioecesis: *Cum sicut* die I. Decembris. In Ecclesia s. Angeli Cremonae minoritarum de observantia provinciae Mediolanensis die V. Iulii Bartholomaeus a Salutio insignis verbi Doi praeco instituit confratrum sodalitatem sacrorum Stigmatum s. Francisci. In eorumdem fratrum oraterio adservatur authographum ab eo scriptom, reliquiario occlusum in quo nomen eius aliorumque sodalium legitur. Idem sodalitium et Ferrariae, dum ibidem magoo animarum fructo e rostris dicebat, erexit in ecclesia coenobii s. Spiritus eiusdem urbis. *Flaminius a Parma tom. 1 pag. 357.* *Idem ibid. pag. 452*

LXX. Die XV. Octobris summi pontificis iussu, apud coenobium Omnium SS. Florentiae minorum de observantia, auctore b. Hyppolito Galatini Florentino, positus est primus lapis pro coostrocoda aede congregatioois doctrinae christianae sub invocatione s. p. Francisci. Is enim eximia devotione prosequebatur b. Franciscum, cuios auxilio non semel a praesenti discrimine ereptus fuit. Eam congregationem salutaribus institutionibus idem Dei servus communivit pro uniuscumque status cooditione, praesertim pro pueris erudiendis in bonis moribus et christianis legibus. Ita Baldocci Nigetti in eius vita anno MDCXXIII. edita.

LXXI. Sequentia diplomata notamus ex Petro de Alva in iodiculo sui bullarii. Privilegia pro conveotu s. Francisci de Assisio: *In apostolicae dignitatis* nonis Septembris; unio beneficii in coovento s. Francisci Leopolien. *Pastoralis officii* pridie idus Octobris; beneficium saeculare io ecclesia s. Clarae Licien. *Dignum* V. calendas Septembris; pro monasterio s. Hieronymi et s. Crucis Cortenen. *His quae* nonis Maii; beneficialis in convento s. Syberii Nicostraten. *Ex commisso* XIII. calendas Septembris; pro mooasterio monialium de las Gordillas Abulen. *Ex iniuncto* V. calendas Iulii; confraternitas conceptionis in oppido Cribillen. Caesaraugustan. *De salute* XIII. calendas Septembris; beneficium conceptionis in ecclesia s. Nazarii Lucalaren. *Dignum* VII. calendas Octobris; beneficium conceptionis in oppido de Onctingent. Valentin. *Dignum* V. calendas Martii; coofraternitas in conventu Terrae Fighivae Valdauri Fesulan. *De salute gregis* pridie calendas Augusti; beneficium conceptionis io ecclesia loci de Zarzosa de la Sierra Concheo. *Vitae et morum* VII. calendas Septembris; aliud beneficium pro eamet ecclesia: *Vitae et morum* sub eadem die; beneficium in conventu oppidi de Aranda: *Vitae et morum* idibus Septembris; pro beneficio io conventu Casertae: *Inter caetera* idibus Septembris.

LXXII. Vulgatum fuit decretom a coogregatione reformationis apostolicae Clementis VIII. pontificis voluntate, circa formam recipiendi novitios regularium ad habitum et professionem: « SS. in Christo pater et dominus noster Clemens divina providentia papa VIII. pro regularis disciplinae restitutiooe, singulis regularium ordinibus, quibusdam exceptis, prohibuit ne ad regularem habitum novitios in posterum reciperent receptosve ad professionem admitterent, quo- *Cherubinus in bull tom. 3 pag. 130.*

usque in aliquibus cuiusvis ordinis monasteriis seu conventibus in quibus novitiatus pro recipiendis et educandis novitiis designarentur et approbarentur, ad eius quam professi sunt, regulae praescriptum, vitam moresque restituerent et componerent ».

« 1. Certior deinde factus quosdam omnium fere ordinum conventus seu monasteria ad pristinam illam regularem vivendi formam ac disciplinam quam diutius desideraverat, fuisse redacta, in eisdem monosteriis et conventibus, ut novitiatus erigi novitiique recipi possent, sub certis tamen legibus ac ea praesertim ut licentia a congregatione reformationis apostolicae prius obtenta esset, concessit, et ad illa designavit et approbavit ».

« 2. Nunc volens, ut ea quae pro novitiorum receptione et institutione, de mandato sanctitatis suae praescripta fuerunt, in posterum accuratius et exactius observentur, ultra formam traditam in constitutionibus fel. rec. Sixti papae v. et etiam sanctitatis suae super receptionem novitiorum decrevit ac praesentis decreti virtute mandavit ne in conventibus seu monasteriis ad novitios recipiendos de sanctitatis suae seu dictae congregationis reformationis licentia hactenus designatis et approbatis seu in posterum designandis et approbandis ».

« 3. Novitii ad habitum recipi nullatenus possint vel admitti, nisi prius ab ipsa congregatione vel a propriis locorum ordinariis in quorum dioecesi novitiatus existuut, in quibus novitii recipiendi fuerint, expresse et nominatim novitii ipsi recipiendi approbati fuerint; et ut recipi et admitti possint, licentiam in scriptis, gratis tamen in omnibus etiam quoad scripturam concedendam, obtinuerint. Monet autem sanctitas sua eosdem ordinarios omnem curam et diligentiam adhibere, ut circa aetatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam et mores, caeterasque qualitates in ipsis novitiis requisitas, observentur institutiones pro illis recipiendis ab eadem congregatione reformationis factae et publicatae. Neque aliter nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant. Ordinariorum ipsorum conscientiam onerando si quempiam approbaverint vel admitti permiserint qui non sit idoneus, et iuxta constitutiones et institutiones praedictas approbandus et admittendus ».

« 4. Firmis nihilominus remanentibus poenis omnibus contra superiores quorumcumque ordinum, qui in admittendis ad habitum et professionem novitiis, formam constitutionum et institutionum praedictarum non servaverint, aut novitium aliquem quantumvis idoneum approbatum, in quovis alio convento seu monasterio, praeterquam in hactenus a sua sanctitate vel a dicta congregatione designatis et approbatis, seu in posterum designandis et approbandis, vel ultra numerum in eorum singulis praescriptum seu praescribendum receperint vel admiserint, seu alias praemissis quovis modo contrafecerint. Irritum ex nunc etc. Non obstantibus etc. ».

« Datum Romae apud s. Petrum die xix. Maii mdcii. pontificatus eiusdem s. d. n. anno xi ».

Idem ibid. pag. 133. LXXIII. Circa organa et paramenta sacra in ecclesiis fratrum reformatorum hoc decretum tulerunt iidem dd. reformatores apostolici: « SS. dominus noster Clemens papa viii. etc. Facta ei per rr. dd. reformatores apostolicos relatione memorialis fratris Pauli de Clavasio visitatoris fratrum minorum s. Francisci de strictiori observantia reformatorum nuncupot. provinciarum Romae, Tusciae, Marchiae etc. super dubio: an dicti reformati possint in eorum ecclesiis habere organa, paramenta et vasa ecclesiastica pretiosa et excessiva, stante bulla eiusdem ss. d. nostri quae illos obligat ad observationem regulae s. Francisci iuxta decla-

rationem Nicolai III. et Clementis V.; sanctitas sua declaravit et declarat, quod in ecclesiis quas nunc habent et quas in posterum dicti reformati aedificabunt, vel quovis modo obtinebunt in quibus non sunt huiusmodi organa, paramenta et vasa, non possint ea de novo facere, nec etiam si piorum eleemosynis, donatione vel quovis alio titulo offeruntur seu fierent, illa acceptare, sed teneantur observare regulam cum declarationibus Nicolai III. et Clementis V. et VII. In ecclesiis vero quas nunc habent et acceptabunt, sive fratrum de familia sive quavis alia concessione obtinebunt, in quibus essent huiusmodi organa, paramenta et vasa eisdem ecclesiis applicata, sanctitas sua concedit, quod sine scrupulo aliquo et conscientiae onere possint ea tenere et illis uti donec duraverint ».

« Datum Romae ut supra die dominico v. Maii MDCII ».

LXXIV. Recruduit et hoc anno inter procuratores generales fratrum minorum conventualium et minorum de observantia dissidium circa praecedentiam in cappella, ut aiunt, pontificia. Re delata ad pontificem, controversia decreto s. r. congregationis finem accepit: « Viso memoriali pro procuratore generali ordinis minorum s. Francisci de observantia ss. domino nostro porrecto, et a sanctitate sua congregationi s. rituum transmisso super praecedentia eidem procuratori in cappella sanctissimi ante procuratorem generalem eiusdem ordinis conventualium competenti, ac decreto alias sub die XXVI. Novembris MDXCIII. ad eiusdem procuratoris de observantia favorem facto, congregatio die XXV. Ianuarii anno MDCII. stetit in decisis, factaque eidem ss. domino nostro iuxta eiusdem sanctissimi rescriptum de praemissis relatione, sanctitas sua dicta decreta approbavit et ab iis ad quos spectat observari mandavit ».

De Gubernatis tom. 1. pag. 402.

Ann. min. ad ann. 1593. num 107.

LXXV. Prodiit et hoc alterum congregationis cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum circa celebrationem missarum, conciones, processiones et visitationes ecclesiarum regularium hoc anno editum typis cameralibus. « Congregatio concilii censuit decretum capitis XII. sessionis XXV. de regularibus ita esse intelligendum, ut regularium ritus diebus festis semper permaneat quoad missas celebrandas, et caetera divina officia tam publice quam privatim ab ipsis regularibus in eorum ecclesiis persolvenda. Nec circa haec ab episcopis quoquomodo quicquam in contrarium eisdem regularibus praecipi posse; quod si de facto praeceperint, regulares neutiquam ipsis episcopis obedire teneri. Verum quoad conciones et lectiones, quas iidem regulares ad populum habuerint, debere se conformare evangeliis et epistolis quibus clerus saecularis utitur illis diebus festis ».

Ex compendio bullarii Cherubini tom 3. pag. 46.

2. « Congregatio item concilii censuit regulares, quae absque licentia episcopi praedicaverint in ecclesiis quae suorum ordinum non sunt, *tametsi decreto eiusdem concilii* cap. XXI. sess. V. *contrafecerint*, non posse tamen puniri ab episcopo, sed tantum a suis superioribus regularibus. »

3. « Congregatio concilii etiam censuit, regulares monasterii ultra medium milliare a civitate distantes non posse ab episcopo compelli accedere ad processiones ».

4. « Congregatio itidem concilii censuit episcopos aut alios locorum ordinarios vigore cuiusvis decreti eiusdem concilii, nullam habere facultatem quovis tempore in monasteriis, domibus et ecclesiis regularium exemptorum, quibus non imminet cura animorum personarum saecularium, visitandi sacristiam, paramenta, vasa sacra, altaria et caetera huiusmodi, aut etiam tabernaculum seu pyxidem in qua ss. eucharistiae sacramentum asservatur ».

Idem ibid. pag. 138. LXXVI. Postremum vulgatum fuit decretum sacrae congregationis contra haereticam pravitatem. « Sanctissimus d. n. Clemens papa VIII. etc. Auditis votis patrum theologorum, et re cum illustr. et reverendiss. dominis cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus mature ac diligenter considerata ».

1. « Hanc propositionem, scilicet licere per literas sive per internuncium, confessario absenti, peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit, »

2. « praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur; quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit aut de ea etiam disputative tractaverit, nisi forsan impugnando vel ad praxim directe seu indirecte deduxerit, praeter excommunicationem latae sententiae quam ipso facto incurrant, et a qua non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio quocumque etiam dignitate fulgente, etiam s. r. e. maiori poenitentiario, nisi pro tempore existente romano pontifice absolvi, aliis etiam poenis arbitrio infligendis, subiaceat ».

« In generali congregatione sanctae romanae et universalis inquisitionis habita in palatio apostolico in monte quirinali die XX. mensis Iunii MDCII ».

Quintilianus Adrianus notarius.

LXXVII. In ecclesia Aracoelitana de Urbe obviat sequens monumentum erectum super oratorium s. Gregorii ad latus dexterum arae maioris.

PETRO . CARDINALI . ALDOBRANDINO . S. R. E. CAMERARIO
CIVI . DOMI
FORISQ. CLARISS . QVOD . CLEMENTIS . VIII. PONT. MAX.
SAPIENTIA . EIVS
LEGATIONVM . DVCTV . ATQVE . INDVSTRIA . BIS . DISCESSVM
AB . ARMIS
DVCATV . FERRARIEN . IN . POTESTATE . S. R. E. RECEPTO
ET . PACE . INTER
SVMMOS . PRINCIPES . CONSTITUTA . PVBLICAE . SECVRITATIS . ET
INCOMPARABILIS . VIRTVTIS . MONVMENTVM . POSVIT
S. P. Q. R.
M. DC. II.

LXXVIII. Die II. Ianuarii, ut scribit Paulus Alaleona, in eodem templo aracoelitano peracta fuerunt parentalia solemnia a senatu populoque romano pro Ioanne Francisco Aldobrandino, praesentibus aliquot archiepiscopis, episcopis, senatu, conservatoribus Urbis aliisque innumeris. Super sacellum olim s. Franciscae Romanae, nunc s. Francisci Solani ex altera parte laeva posita fuit haec memoria, quam vario modo retulit Waddingus. *Ann. min. ad ann. 1251. n. 63.*

IO. FRANCISCO ALDOBRANDINO ECCLESIASTICAE MILITIAE
SVMMA CVM POTESTATE PRAEPOSITO CLEMENTIS VIII. IVSSV
CVIVS FRATRIS FILIAM HABEBAT IN MATRIMONIO
LATROCINIIS
PAVCOS INTRA DIES LATIO TOTO DEPVLSIS LEGATIONE

AD PHILIPPVM
II. HISPANIAE REGEM MAXIMIS POPVLI CHRISTIANI
DE REBVS AEQVE
SAPIENTER AC FELICIT. OBITA HVNGARIA CROATIAQVE
TVRCARVM
F. FAVCIBVS HAVD SEMEL EREPTA EXPVGNATO STRIGONIO
PAPA ET
VICEGRADO RECEPTIS DEMVM IN OBSIDIONE CANISSAE
PARI CVM
PIETATIS AC FORTITVDINIS LAVDE VITA FVNCTO
AN. D. M. DCII.
S. P. R.
DVCI CLARISS. CIVI OPTIME MERITO
PP.

LXXIX. In conventu s. Mariae Veteris Andriae in provincia s. Nicolai Barensis mortalitatis exuvias deposuit hoc anno Ioannes Franciscus Maeulinus commissarius generalis cismontanae familiae, quem fratres illius coenobii cohonestarunt sequenti monumento. *De Fasano pag. 24.*

REVMVS P. FRANCISCVS MACVLINVS
ORDIN. MINOR. REGVLAR. OBSERVANTIAE
TOTIVS CISMONTANAE FAMILIAE
COMMISSARIVS GENLIS
IN SAECVLO I. V. THEOLOGVS EXIMIVS
VIR INTEGERRIMAE VITAE
QVI VT RELIGIONIS VISITANDAE MVNVS OBIRET
ANDRIAM CONTENDIT NATVS LVSTRA DECEM
LABORE TAMEN CONFECTVS ET AERVMNIS
SVPEROS PETIIT X. KAL. AVGVSTI ANNO DOMINI MDCII.
OSSIBVS ET CINERI HIC MONVMENTA PII
MAXIMIS CVM LACRYMIS POSVERE FRATRES.

LXXX. In conventu s. Francisci Brisighellae patriae suae Bononiensis provinciae erectum fuit et alterum enius gesta narrantur. *Flaminius a Parma tom. 1. pag. 119*

D. O. M.
REVERENDISSIMO P. F. IO. FRANCISCO MACVLINO BRISIGHEL.
QVI DIMIDIVM AETATIS IN SAECVLO ALEXAN. NOMINE
DIMIDIVMQ. IN RELIG. TRADVXIT
VTROMQ. DOCTRINA ET PROBITATE CONSPICVVS
HIC ANN. XIX. AGENS VT. IV. DOC. CREATVS
ANN. XXII. GVBER. EFFEC. EST NOCERAE ROCCHAE
CONTRATAE SPELLI
ANN. AVT. XXVI. AGENS RELIG. FRATR. MIN. OBS INGRES.
PRIMVM STVDENDO ITA EXCELLVIT
VT IN LECT. PHILO. THEO. ET IN CONCIONATOREM
EXIM. EVASERIT
INDE AGENDO EATENVS SE EXTVLIT.
VT IN DIFF. PROV. ELECT. HINC COMMISS. PROV.

Digitized by Google

MEDIOLAN, TVM
COMMISS. APOST. PROV. IANVAE DEINDE CVSTOS PROV.
IN COMITIIS GENERALIBVS TVM ROMAE TVM VALLIS
OLETANAE
VBI ETIAM DIFFI. GENERAL. DESIGNATVS FVERIT
SEQVEN. ANN. SAFFRAGIIS OMNIBVS MINIST. PROV. BONON.
FVERIT COMPROBAT.
TANDEM ROM. IN COMITIIS GENERALIB. ANN. MDC.
COMMISS. GENERALIS INSTITVTVS
DVM FVNGIT. MVNERE
MENSIB. DVOB. SVP. BIEN. VALETVD. CORREP. ANDRIAE
IN APVLIA
QVEMADM. RELIGIOSISS. VIXERAT CHRISTIANISS.
MORIT.
DIE XXIII. IVL. ANN. MDCII. AETAT. LII.
PATRII INGENII PERSPICACITATE
MENTIS INTEGRITATE MOR. SVAVITAT.
OMNIBVS PROBATO
P. F. AVREL. ARIMIN. COENOBII HVIVS GVAR.
DISCIP. FIDELISS. ET AMAN.
HANC GRATI ANIMI SIGNIFICAT. P.
DIE X. MEN. ANN. MDCII.

Gasparini tom. unicus pag 344.

LXXXI. In choro monialium clarissarum corporis Christi Pisauri obviat et monumentum Guidi Ubaldi ducis Urbini eiusque uxoris Victoriae Farnesiae.

D. O. M.
GVIDO VBALDVS MONFELTRIVS DE RVERE
VRBINI DVX QVINTVS
SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE PHILIPPI HISPANIARVM REGIS
VENETAEQVE REIPVBLICAE
EXERCITVVM PRAEFECTVS ET IMPERATOR
MAGNITVDINE ANIMI LIBERALITATE AC REGNANDI SCIENTIA
NEMINI SECVNDVS
DE CHRISTIANA RELIGIONE DE ITALIA DE CVNCTIS
BENEMERITVS
SEXAGENARIO MAIOR
AB HOMINIBVS EXCESSIT
M. D. LXXIIII.
CVIVS VXOR VICTORIA FARNESIA
PRINCIPVM
FILIA SOROR PARENS
OB HEROICAS VIRTVTES OMNI IMPERIO DIGNIOR
ET MORTALIVM LAVDIBVS LONGE SVPERIOR
ANNO AETATIS SVAE OCTVAGESIMO TERTIO
HVMANAEQVE SALVTIS M. DC. II.
EX HAC VITA AD IMMORTALEM COMMIGRAVIT
ET CVM GVIDO VBALDO CONIVGE QVEM VNICE DILEXIT
HIC HVMATVR.

ARGUMENTUM

Missiones fratrum minorum in Iaponiam, in Brasiliam et Angolam. Minoritae de observantia habent generalem ordinis congregationem. Erigitur provincia s. Francisci de Zacatecas. Excitantur aedes pro fratribus et sororibus. Martyres, confessores ac virgines pie decedunt. Florent viri docti, et sanctitate et divini verbi eloquio emicat s. Franciscus Solanus. Instituuntur episcopi et ordo privilegiis cumulatur.

HOc anno cum relatum fuisset Manillae a Petro de Burgillos ex discalceatorum familia qui post mortem Hieronymi a Iesu e Iaponia eo advenerat, Daifuzamam imperatorem veniam dedisse fratribus discalceatis Christi fidem in suis ditionibus publice annuntiare, ecclesias ac coenabia excitare, non pauci etiam diversorum ordinum zelo dilatandae fidei percupidi in Iaponiam se ultro contulere. Ex fratrum praedicatorum instituto quinque fuere, qui Sumatrae regnum petiere, omnium praeside Francisco Morales, conventus Maniliae moderatore. Ex eremitania s. Augustini duo advenere in Firandi regnum. Qui sequuntur ex discalceatorum familia numerantur, nimirum Augustinus Rodriquez, olim socius laboris, non vero martyrii bb. Petri Baptistae et aliorum commilitonum, Ioannes de Niguera, Petrus Baptista, Alphonsus a Matre Dei, Ioannes Matritensis, Ioannes Baptista de Moya sacerdotes; Franciscus de Avellaneda, et Andreas de Cruce laici sive conversi. Imperatoris voluntate quatuor ex eis se contulerunt in regnum de Quanto, et ad urbem de Yendo, ubi pro eis et pro infirmis erexere domicilia. Augustinus autem Rodriquez cum sociis Meacum convalavit, ac aedem a Cosimo Ioya Iaponensi ei oblatam in coenobii formam aptavit. Fuximi subinde et coenobium instructum fuit. Petrus interim de Burgillos in Urbe Sacay coenobiolum fundavit, et iterum Meaci instauravit pro infirmis valetudinarium, olim erectum a b. Petro Baptista protomartyre. Hoc eodem anno alii duo fratres accesserunt, nimirum Didacus Bermeus, et Ludovicus Sotelus, Hispali nobili genere natus. Caetera ad annum MDCVII., ubi de coenobiorum erectione agemus. *Martinez lib. 3. pag. 132. Ann. min. ad ann. 1601. n. 81.*

II. Apud Brasiliae regiones, praesertim in Parahiba, multis ab hinc annis franciscani fratres Lusitani operam navabant in fidei cultura; hoc autem anno Antonius a Stella, duce Didaco Botetho pro-rege Brasiliae, omnium primus divinum evangelii lumen intulit inter paganos Pytiguares, ad omnia facinora perpetranda ita pronos, ut nec incolae tuti essent ab eorum feritate. Christianorum nomine hostes infensi, nullum inter eos habitare patiebantur; si quos vero noverant armis aggressos, crudeli modo necabant. At Antonius nullis periculis deterritus, praestanti animi sui comitate inter eos diversatus, cum de coelesti Christi doctrina verba facere coepisset, eisque aeternam felicitatem polliceretur consequendam, si vulgatae fidei firmissime adhaererent, multi deposita feritate festinanter sacramentum baptismatis sibi concedi postulabant. Tunc ille erectis tribus doctrinalibus domiciliis, aliorum etiam suorum ope, eunctos qui affluebant, erudiens in christiana doctrina, sacrum subinde baptisma eisdem ministrabat. *Annal. min ad ann. 1584 n. 1.* *Monum. prov.*

III. Etiam Angolae in Africa quae est regni Congiani meridionalis pars, salutem infidelium operati sunt iidem franciscani; non vero primi; siquidem ante annum MDLX. cistercienses, deinde iesuitae eo se contulere, qui residen-

tias instruxerunt, et laboribus suis multos ad catholicae ecclesiae sinum adducere. Quo vero anno franciscani ex Congi regno in Angolam intraverint, ignoratur; unice tamen scimus hoc anno in urbe s. Pauli Insulae Laondae coenobium sub invocatione s. Iosephi erexisse Balthassarem de Marialva sodalem tertii ordinis regularis s. Francisci ex provincia Lusitaniae. Rem ita narrat p. Dominicus de Gubernatis: *Laonda insula est parva, sed optima ad ostium Zayri fluvii inter Congum et Angolam a Lusitanis conquisita ubi celebrem s. Pauli civitatem cum arce munitissima construxerunt, a Bataris usurpatam, sed fortius a Lusitanis recuperatam. Cum ergo minoritae qui sanctum Iesu Christi evangelium tot laboribus seminaverant in Congo, iam ad amplissimas Indiarum provincias evocati, non possint omnibus in locis pro causae gravitate intendere, rogati sunt eorum consodales patres franciscani de tertio s. Francisci ordine regulares, ut in partem laborum suis consodalibus succederent; ex quo ad evangelicas missiones ex utroque latere discurrentes, non modo insulanis indigenis, sed et Angolae et Congi habitatoribus fierent in salutem animarum.*

De Gubernatis de miss. pag. 245.

IV. *Anno* MDCIII. *pater Balthassar de Marialva a suo provinciali patre Ludovico de Marialva per literas patentes commissarius ad haec specialiter deputatus, cum urbis magistratu de construendo coenobio transegit; quod citius oblatis eleemosynis a fundamento ad tectum reddidit omnibus numeris absolutum, sanctissimo patriarchae Ioseph immaculatae virginis Deiparae sponso consecratum et utraque supellectili templum ipsum domumque sufficienter instruxit. Dum autem opus ad quod assumpti fuerant, maximo fructu et illarum gentium consolatione prosequuntur, proh dolor! invidens facto profectui humani generis hostis, ut indefessos Christi operarios a vineae cultura depelleret, Batavos haereticos adduxit paulopost, qui civitate armis occupata, conventum istum prae reliquis aedificiis ad fundamentum usque reduxerunt in cineres. Sed quae contra Deum sapientia? Recuperata citius per Lusitanorum fortitudinem insula simul ac civitate, pater Ioannes a Pietate eiusdem ordinis et provinciae tertiariorum e Portugallia in Laondam evocatus, ultroniis Insularum et aliorum populorum eleemosynis adiutus, sub d. Salvatore Correa de Saa urbis gubernatore, conventum non modo ex integro restauravit, sed et in elegantiorem a prima formam adduxit. P. guardianus huius loci consiliis omnibus gubernatoris ex edicto regio teneretur assistere. Religiosi accolae quamvis insulanorum spiritualia obsequia nulla praetermittant, in Congum tamen et in Angolam missiones non inanes incessanter exercendo, fructus considerabiles quotannis in horreum Domini congregare non cessant.*

Chronol. seraph. tom. I. pag. 517.

V. Die XVI. Maii in coenobio Aracoelitano de Urbe celebrata fuit congregatio generalis ordinis, Francisco de Sousa totius ordinis supremo moderatore. Loco Francisci Maculini anno praeterito defuncti, commissarii generalis cismontanae familiae munus obtinuit Franciscus de Belgioioso ex s. Didaci provincia. Mandato summi pontificis Ioannes de Rada confirmatur generalis procurator ordinis; commissarius vero curiae delectus est Franciscus de Palumbaria ex romana provincia. Definitores generales instituti fuere Gratianus de Altamura vicarius generalis praeteritus et provinciae s. Nicolai pater; Irenaeus Brasavola provinciae Bononiae custos; Evangelista de Gabbiano Mediolanensis provinciae minister; Ioseph Syracusanus Siciliae provinciae pater et lector ca-

Digitized by Google

norum in coenobio Aracoelitano; Franciscus Aretinus provinciae Florentiae pater; Marianus Polonus provinciae Poloniae custos; guardianus conventus Montis Sion totiusque Terrae Sanctae commissarius Caesareus de Trino provinciae Romanae definitor, qui eo se contulit cum XLVII. sodalibus. Multa mala perpessus est, ingentemque pecuniam solvit Turcarum imperatori, ut loca sacra tueretur, ac ne fratres ludibrio incolarum amplius exponerentur. Guardianus postremo conventus Constantinopolitani institutus est Cherubinus a Macerata provinciae Marchiae. *Calerra in chron prov. pag. 551.*

VI. In hoc comitio latae fuerunt sequentes leges a commissario generali Francisco de Belgioioso. 1. « Nemo superiorum retineat fratrem itinerantem tamquam de familia in loco suo ».

2. « Non collocentur de familia in conventibus insignioribus illi qui per triennium iam in eis commorati fuerint, nisi ob officium, aut infirmitatem, aut senectutem ».

3. « Patres graves carcere digni ob aliquod delictum mittantur in exilium ad scandalum vitandum ».

4. « Alii fratres in exilium missi redeant in suas provincias, et subeant poenam reclusionis in conventu secundum tempus exilii remissi; nec exire inde possint nisi de licentia superioris ratione necessitatis ».

5. « Ministri nequeant mittere fratres extra provinciam, nisi pro ipsius provinciae negotiis ».

6. « Commissarii visitatores seligantur a provinciis vicinioribus, et infra tres menses munus suum absolvant ».

7. « Non determinent causas graves per sententiam definitivam nisi de consensu definitorum, quos inter si fuerit aliquis suspectus, in eius locum suppleatur alius pater provinciae ».

8. « Post primam lectionem in refectorio, unusquisque tam confessarius quam praedicator, et pater provinciae loco secundae lectionis solvendum proponat casum aliquem conscientiae, et ubi quinque ex ipsis non fuerint, legatur liber aliquis tractans de casibus conscientiae ».

9. « Commissarius generalis instituat in qualibet provincia duos examinatores praedicatorum invenum et confessariorum. Confessarii instituendi sint aetatis ad minus XXX. annorum ».

10. « Puniantur tamquam conspiratores et mulctentur poena privationis actuum legitimorum in perpetuum illi qui non denuntiaverint visitatori delicta quae sunt denuntianda, nisi apud eumdem visitatorem protestentur se velle recurrere ad alium superiorem ».

11. « Nulla fiant a fratribus capitulariter congregatis vel alio modo se habentibus instrumenta publica, in quibus transfertur dominium cappellae seu sepulturae ».

12. « Nemo fratrum mittat vel recipiat epistolam sine licentia superioris localis, qui possit legere tum eam quae mittitur, tum eam quae recipitur. Contrafacientes prima vice comedant in pane et aqua; secunda faciant disciplinam; tertia procedatur ulterius puniendo iuvenes et laicos caputio probationis, caeteros reclusione in conventu iuxta qualitatem personae ».

13. « Nemo tamen facultatem habeat legendi epistolas fratrum ad superiores et superiorum ad fratres ».

14. « Puniantur veluti quietis perturbatores ii qui convicti fuerint falsas literas et falsa memorialia scripsisse ».

15. « Apostata quamprimum appulerit ad conventum aliquem, absolvatur ab excommunicatione in forma canonica, facta in publico refectorio per manum superioris disciplina; et remittatur per duos socios fratres de conventu in conventum, donec assignetur superiori illius loci a quo apostatavit ».

16. « Nemo, praetextu obtinendae absolutionis a poenitentiaria apostolica, Romam veniat; sed qui ea indiget, eam procuret secreto per suum confessarium ».

17. « Nullus inferior praelatis generalibus possit incorporare fratrem in aliena provincia, ne ad id quidem suffraganda auctoritate quamvis amplissima quae data sit visitatoribus ».

18. « Transacto semestri a causa terminata et poena inflicta, processus comburantur. Attamen una copia authentica sententiae ponatur in regesto provinciae servanda in archivo; altera sit apud ministrum provinciae ».

19. « Officium custodis duret a capitulo in quo fuerit electus usque ad capitulum in quo alter eligetur, primumve locum teneat inter definitores ».

20. « Minister nequeat concedere fratribus licentiam equitandi, nisi per testimonium guardiani et maioris partis discretorum ei constet de vera necessitate ».

21. « Absente ministro, guardianus cum consensu omnium discretorum, nemine discrepante, eamdem licentiam tribuere queat ».

22. « Qui equitaverit sine licentia, faciat disciplinam in publico ».

23. « Nemo iter peragens bursarium secum deferat sub poena privationis actuum legitimorum. Si sine bursario absolute iter peragi non possit, observentur eaedem conditiones quae sunt ad equitandum necessariae ».

VII. Quoniam vero in mox laudato comitio quaedam coenobia delecta fuerunt pro studiis ab adolescentibus ibi absolvendis, ideo summus pontifex pro recte instituenda atque fovenda re literaria sequentem vulgavit constitutionem.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Ex reg. secr. brev. in mense Iunio pag. 394.

Decet romanum pontificem ea quae pro ordinandis et conservandis sacrarum literarum studiis in regularium ordinibus provide sunt ordinata, qua firmiora subsistant, apostolicae confirmationis cummunire, prout in Domino salubriter conspicitur expedire. Cum itaque sicut accepimus, in congregatione generali fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia nuncupat. novissime habita, infrascripta decreta de ordinandis conservandisque studiis inter alia edita fuerint in hanc formam videlicet: sacrarum humanarumque literarum ac bonarum artium studia, quae suapte natura si fuerint cum pietate coniuncta, sanctam sibi vindicant honestatem, et ecclesiae Dei et religioni nostrae commoditati et ornamento fuerunt semper, eo siquidem pacto veniunt instituenda et confovenda, ut sperati fructus sua quoque tempore uberius colligantur. Quamobrem principe loco ordinatur, ut in quacumque provincia studia grammatices, philosophiae et theologiae tam ad incipientium quam etiam ad proficientium frugem debite instituantur in provincialibus capitulis. Et ut omnis quae hactenus tantum opus temeraverat, confusio repellatur, de industria

provisum est ad commodius necessitatibus studiorum generalium succurendum, eam quae sequitur locorum selectionem et provinciarum compartitionem servari debere; videlicet in conventu s. Petri Montis Aurei Urbis studium instituitur generale pro fratribus Romanae provinciae totiusque Germaniae et Poloniae. In conventu s. Mariae Novae Neapolis pro studentibus provinciarum Terrae Laboris, Principatus, Basilicatae et Apuliae. In conventu s. Mariae Angelorum Panormi pro provinciis Siciliae, Calabriae et SS. Septem Martyrum. In conventu Perusiae pro fratribus provinciae s. Francisci et Marchiae. In conventu Aquilae pro studentibus provinciarum s. Bernardini, s. Angeli, Ragusiae et Albaniae. In conventu Vineae Venetiarum pro provinciis s. Antonii, Dalmatiae et Candiae. In conventu Placentiae pro fratribus provinciarum Bononiae, Bosniae Argentinae et Croatiae. In conventu Omnium Sanctorum Florentiae pro studentibus provinciarum Florentiae et Tusciae in proximo provinciali capitulo uniendarum et Corsicae. In conventu Annuntiatae Ianuae pro eadem provincia et s. Didaci. In conventu s. Angeli civitatis Mediolani pro eadem provincia et Brixiae. Qui quidem ordo locorum, provinciarum atque studentium ita servetur omnino, ut neque a quoquam nobis inferiore, quacumque de causa valeat commutari; in quo utique forma omnia compleantur in spatio quatuor mensium. Item in quolibet studio instituantur tres lectores, quorum unus leget primum sententiarum; alter secundum et tertium; tertius vero leget materias morales quartum sententiarum concernentes. Item lectores illi qui sacram theologiam per annos duodecim legerint, privilegiis omnibus gaudeant iuxta tractatum capituli generalis Vallisoleti, quod specialiter confirmatur, et servetur prout in familia ultramontana servatur. Quod si continuate et sine interpellatione legerint, sufficiat legisse per decennium. Qua de re supradicti lectores teneantur continuate omnino legere, absque interpellatione adventus et quadragesimae, vel alterius temporis nuni. Quod si quacumque occasione lectionum intermissionem huiusmodi admiserint, annum illum inter caeteros pro privilegiis supradictis consequendis nolumus computari. Item die dominico cuiuslibet hebdomadae sustineantur conclusiones lectionum, quas audiverint in tribus hebdomadibus ab uno studentium, conformiter autem materiei de qua tractatum est: praesidens autem erit idem ipse lector, qui eamdem legerit materiam. Item in principio cuiuslibet bimestris unus quilibet lectorum horum sustinebit conclusiones generales super materia de qua ipse legerit, et nullo prorsus pacto super materia alia, praesidente eodem qui lectiones habuerit lectore. Item studentes in toto tempore sui cursus trium annorum theologiae continuato iam nullo pacto institui possint guardiani, nec praedicare; quapropter obedientias omnes in scriptis hactenus ad id datas invalidamus et irritamus. Item in ipso studii conventu nullus habeat facultatem dandi licentiam exeundi de conventu alicui studentium propter negotia particularia, nec etiam conventus, nisi tantum eundum foret in comitiva processionum mortuarii vel similium. Et quando necessitas adeo urgens esset quod non posset rationabiliter denegari, quo quidem casu pater guardianus solum vel eius vicarius poterunt studentem secum ducere; quare nemo alius quotusquisque facultatem habeat studentem aliquem pro socia assumere ad eundum extra conventum; et qui contrafecerit, suo officio privatus intelligatur. Item quaelibet provincia

studentibus suis provideat de omnibus sibi necessariis conformiter ordinationi quam super id facient praelati generales: quod quidem eisdem provincialibus sub poenis praecipitur indiciturque gravissimis. Item superiores nullo obstabunt pacto, quin studentes commodis et privilegiis gaudeant, quae per statuta generalia conceduntur eisdem. Nolumus autem, quod sub tali praetextu, quando a superiore aliquid eis fuerit ordinatum, licet contra ipsorum veniret immunitates obedientiam perficere detrectent, sed neque lectores ipsi quoquam pacto circa haec supplicati audeant repuguare, sed poterunt postea apud ministrum provincialem deferre querelam, ut localis superior condigna mulctetur poena, nisi eo casu quo urgentissima suaserit causa. Id ipsum quoque servetur in studiis artium logicae et philosophiae tam circa lectores et literaria exercitia, quam circa eundum extra conventum; et tollatur prorsus abusus eligendi sibi in socium aliquem iuvenem sub praetextu docendi eumdem in aliquo conventu, sed omnino instituantur formalia studia, sicuti in constitutionibus continetur. Nos, ut huiusmodi decreta perpetua, ut decet, firmitate subsistant, opportune providere volentes, eadem decreta super inserta auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, ac apostolicae firmitatis robore communimus, eaque ab omnibus ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolate observari debere praecipimus et mandamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die XXVI. Iunii MDCIII. pontificatus nostri anno XII.

M. Vestrius Barbianus.

VIII. Fratres minores de observantia incolentes coenobia regionis de Zacathecas petierunt hoc anno a summo pontifice, ut eorumdem custodia sub invocatione s. Francisci viginti conventibus instructa ac Mexicanae provinciae subiecta, provinciae dignitatem obtineret. Petitis benevole indulsit pontifex dato diplomate: *Ex iniuncto* die x. Aprilis. Anno insequenti ad eam moderandam assumptus fuit omnium primus provinciae administer Alphonsus Caro. Coenobiorum album exscripsimus ex monumentis saeculi XVII. labentis.

Torquemada tom. 3. pag. 342

PROVINCIAE S. FRANCISCI DE ZACATHECAS CONVENTUS.

1. S. Francisci in civitate de Zacathecas.
2. S. Antonii de Guadiana
3. S. Francisci de Calchivite
4. S. Matthaei del Sombrerete
5. S. Stephani del Saltillo
6. S. Ioannis de Mezquital
7. Ss. Apostolorum de Toscia
8. S. Francisci del Mezquita
9. S. Andreae Montisregis
10. Conceptionis del Rio
11. B. Mariae de Guazamota
12. S. Iacobi de Chimaltitlan
13. S. Hieronymi de Camotlan
14. S. Didaci de Canatlan
15. S. Bernardini de Milpilla
16. S. Gregorii de Zerralvo
17. S. . . . . in villa de Cadereita
18. S. . . . . in villa Nominis Dei
19. S. Mariae de las Charcas
20. S. Ioannis del Rio
21. S. Ludovici de Colotlan
22. S. Sebastiani del Venado
23. S. Barbarae
24. S. Franc. del Mezquital
25. Conceptionis de Sierra de Pinos
26. Conceptionis de Cuencame
27. Assumptionis de Haxcala
28. S. Francisci de Conchez
29. S. Ioannis de Naxtu
30. Purificationis de Huexuquilla
31. S. Bernardini de Atotonilco
32. S. Iacobi de Babonoiagua
33. S. Iosephi de Parral

Digitized by Google

Eamdem provinciam habuisse etiam monasterium clarissarum scribit laudatus Torquemada; at locum ubi fuit erectum non exhibet.

IX. Hieronymus cardinalis Matthaeus ordinis patronus, pontificis placitu, Tusciae provinciam quae ab anno MDXCI. divisa fuerat in Senarum et Tusciae provincias, iterum in unam coaluit decreto suo die XXI. Maii vulgato hisce verbis: *Nos Hieronymus cardinalis Matthaeius fratrum ordinis minorum de observantia protector attestamur ss. d. n. Clementem VIII. hodie vivae vocis oraculo suum praestitisse assensum, ut eorumdem fratrum provinciae de Florentia et Tuscia insimul uniantur. Non obstantibus etc. Datum Romae in palatio nostro die XXI. Maii MDCIII. Hieronymus cardinalis Matthaeius.* Primum utrinsque unitae provinciae administrum accepit Senis electum Octavianum Spatanium de Incisa.

Terrinca pag 56. et seq.

X. In urbe Tarine Americae meridionalis quae subest reipublicae Bolivianae, anno MDLXXIV. fundata amoeno in loco ab Aloisio de Fuentes nobili Matritensi iussu Francisci Toledo pro-rege Peruvianae regionis, positum fuit coenobium pro fratribus de observantia. Summus pontifex Innocentius XI. anno MDCLXXVII. ibidem eorumdem fratrum collegium designavit pro Christi fide disseminanda in locis etiam conterminis. Licet primo tempore pauci essent evangelii praecones, quinquaginta tamen annorum spatio triginta quinque millia infideles ad fidei veritatem adduxerunt in provinciis de Tecuman, Salta, Chicas, Sanctae Crucis de la Sierra, Paz, Cueicito et Araquipa. Idipsum et nunc magno animarum foenore praestant fratres Itali qui in eo degunt. Haec novimus ex monumento nobis misso *il collegio propugandistico de' pp. min. osservanti di Taira nella repubblica di Bolivia* a p. Zephyrino Taurinensi illarum partium missionario apostolico. *Torino ann.* 1853.

Conv. Tarinae.

XI. Antonius e Civitate Regum electus hoc anno minister provinciae s. Iosephi de Iucatan observantium voluit ut tres vulgo dictae *vicariae* anno elapso institutae in territorio Meridae, inter provinciae coenobia adscriberentur, quarum nomina sunt vicaria de Hopitchen, de Zemul et de Zinameche.

Lopez in chron. prov. pag. 423.
Conv. de Hopitchen.
Conv. de Zemul.
Conv. de Zinameche.

XII. In provincia Algarbiorum incepit esse pro eisdem coenobium sub invocatione s. Antonii Patavini, erectum extra moenia oppidi de Crato dioecesis Conimbricensis penes oratorium s. Christophoro m. dicatum. Locus eis datus fuit ab equitibus s. Ioannis Militensis. Incolitur a XVI. fratribus.

Conv. de Crató.
Monum. prov.

XIII. Redit, opera Georgii Konopacki castellani Culmensis, ad fratres observantes provinciae Poloniae conventus Novensis, ab eis ob bella et haereses derelictus; conventus vero Thorunensis qui spectabat ad Saxoniae provinciam, hoc tempore licet haereticorum furore vacuus, adscriptus est eidem provinciae Poloniae. Rata haec habuit summus pontifex: *Religiosorum* die XXVI. Iulii. In eadem provincia piorum opibus instructum fuit lapidibus coenobium s. Mariae Angelorum Constensis, antea ligneis operibus erectum.

Conv. Novensis
Conv. Thorunensis
Conv. Constensis.
Monum. prov.

XIV. Eisdem obvenit in provincia s. Bernardini conventus prope oppidum Colliscorvini Civitatis Pinnensis, fundatus pro octo sodalibus in parochiali ecclesia s. Paterniani oppidanorum impensis. Fundationis causam dedit Franciscus a Civitate Pinnensi laicus franciscanus, qui eo frequenter adveniens, vitae sanctitate et miraculorum gloria cunctos oppidanos in sui admirationem attraxerat. In provincia s. Nicolai obtinuerunt coenobium s. Antonii abbatis in suburbiis oppidi Fasani nullius dioecesis, sub iurisdictione temporali equitum s. Antonii Ierosolymitani, instructum in praedio assignato a clero saeculari publicis impensis. Incolitur a XII. fratribus. In eius ecclesia erecta est sodalitas

Conv. Colliscorvini.
Archivio in memor. 24. Iulii 1771.
Conv. de Fasano.
De Fasano pag. 18.

Conv. Rocchae Gloriosae.

immaculatae Conceptionis. Indulget summus pontifex Antonio de Afflictis Caraffae patrono in temporalibus Baroniae Rocchae Gloriosae Policastren. dioecesis in provincia Basilicata, ut prope idem oppidum in ecclesia s. Mercurii Veteris, olim monialium ordinis cisterciensis, excitet pro fratribus de observantia coenobium: *Ex iniuncto* die xxiii. Ianuarii. Coenobium praesefert nomen s. Francisci.

Panes pag. 36.

XV. Hieronymus Planes minister provinciae discalceatorum s. Ioannis Baptistae ob aeris inclementiam dimisit coenobium Dominae nostrae de Pietate de Sollana, quod subinde incoluere fratres s. Mariae de Mercede redemptionis captivorum.

Ioannes a s. Maria. tom. 2. pag. 499.
Conv. de Palencia.
Conv. de Toro.
Conv. de Tordesillas.

XVI. Aloisii de Hinnoiosa provinciae discalceatorum s. Pauli administri opera, ac solicitudine pientissimi ducis de Lerma, occuparunt iidem fratres coenobia s. Annae de Palencia, s. Mariae de Toro ac s. Mariae de Tordesillas.

Conv. Cryptarum.
Conv. Castellanetae.
Conv. Montis Varalli.

XVII. Indulget pontifex ut pro fratribus reformatis provinciae Marchiae possit aedificari coenobium apud oppidum Cryptarum ad Mare dioecesis Firmanae: *Vestri ordinis* die ix. Martii. S. Mariae Montium nomen obtinuit. Idem pontifex: *Alias* die xvii. Februarii immittit eosdem fratres in conventum observantium s. Francisci prope civitatem Castellanetae dioecesis Neritonen. in provincia s. Nicolai; eisdem indulget: *Expositum* die xvi. Iunii, ut extinguant et impendant quaedam legata, olim minoritis de observantia concessa, pro reficiendo coenobio. Misso a pontifice Federico cardinali Borromaeo archiepiscopo Mediolanensi visitatore apostolico conventus et locorum Montis Varalli: *Cum sicut* die xv. Maii, aliisque ad eum datis a pontifice literis: *Ex iniuncto* die xv. Novembris voluit ut laudatum coenobium inhabitatum ab observantibus, fratribus reformatis concederetur. Custode eorumdem reformatorum in provincia Romana Silvestro a Radda, obvenit eis et coenobium s. Antonii Montis Reatis.

Conv. Reatis *Monum. prov.*

Conv. Parisiis. *Monum. prov.*
Conv. Digniensis. *Monum. prov.*

XVIII. Summi pontificis voluntate: *Cum sicut* die vii. Septembris initum fuit hoc anno pro fratribus recollectis coenobium in suburbio urbis Parisiensis sub invocatione ss. Annuntiationis Deiparae. Alterum etiam pro eis inchoatum fuit in civitate Digniensi, s. Ludovici titulo. Fundationem promovit d. de Fauçon urbis praeses et iudex. Ecclesiam solemniter consecravit Antonius Bologne loci episcopus.

Conv. Hispalensis.

XIX. Fratribus de tertio ordine translatis e coenobio s. Ioannis della Miraille intra territorium loci de Bollulos, ad alterum s. Mariae de Consolatione Hispalensis indulget pontifex: *Quae pro* die xxv. Iulii, ut reditus et proventus ad novam aedem transferre valerent.

Ex Michaele a Tugio

XX. Capucini fratres obtinuerunt in provincia Marchiae conventum Pergulae; in provincia Lombardiae conventum Novellariae dioecesis Regii Lepidis; in provincia Brixiae conventum Vastoni dioecesis Brixiensis; in provincia s. Angeli Apuliae conventum Angloni dioecesis Triventinae; in provincia Panormitana conventum Careni dioecesis Mazariensis; in provincia Parisiensi conventum Bellovaci; in provincia s. Bonaventurae conventum Cabillonis; in provincia Tolosana conventum Granatae dioecesis Tolosanae, et conventum Vauri; in provincia Alsaciae conventum Ensishemi; in provincia Insulensi conventum Meninarum Tornacensis dioecesis. Data eisdem etiam fuit venia excitandi coenobium in urbe Constantiae: *Iam pridem* die xv. Maii.

XXI. Monialium et aedes diversis in locis erectae fuerunt. Approbat summus pontifex: *Cum sicut* die xvii. Februarii fundationem monasterii claris-

Digitized by Google

sarum peractam in urbe Panama Peruviani regni expensis ordinarii loci, eique moniales subiicit. Extitit in oppido Tunsae dioecesis Civitatis s. Fidei novi regni Granatensis in Indiis occiduis monasterium conceptionistarum, constructum opibus Beatricis et Catharinae germanarum, Mariae de los Rios earum consanguineae ac Didaci Vaca de Mayorga presbyteri illius civitatis: *Ex iniuncto* die IX. Septembris. Ab eisdem etiam dotatum fuit XII. mille ducatis. Eo interim ingressae, professionem emiserunt, sanctam vitam ducentes in omnium asperitatum genere. Monasterium subest archiepiscopo s. Fidei. In urbe Mexici erectum fuit et hoc anno monasterium conceptionistarum a duabus nobilibus virginibus eiusdem civitatis parentibus orbatis, nimirum Maria Bazan et Anna de Alberuoz: *Expositum nobis* die XXVI. Aprilis. Ad hoc moderandum translatae fuerunt e monasterio Reginae Coeli eiusdem instituti ac civitatis Bernardina de Trinitate, Anna de Incarnatione et Bernardina de Conceptione. Paret archiepiscopo loci.

Monast. Panama. Monast. Tunsae. Monast. Mexici.

XXII. Concedit summus pontifex: *Spirituali* die XX. Augusti Mariae de Suavedra mulieri viduae urbis Salamanticae, ut in aede sua construere valeat pro clarissis monialibus domicilium, debita tamen clausura munitum. Hoc anno moniales tertii ordinis monasterii s. Michaelis in oppido de Carrion dioecesis Palentiae, quae ab anno MDXXX. inservierant valetudinario pauperum infirmorum eiusdem oppidi, excitatae a domino Gonzalvo Gallo loci incola, eorum curam, licet aegre, dimiserunt et clausurae legibus sese addixerunt. In eo numerantur XXXVI. sorores, quae subsunt ministro provinciae Immaculatae Conceptionis. Aymarae principissae Butorae, et Ioannae ac Aloisiae germanis de Settimis marchionissis de Giaruntana indulget pontifex: *Ex iniuncto* ..., ut sub mitiori regula s. Clarae excitent Panormi ss. stigmatum s. p. Francisci sacrarum virginum collegium, sub cura tamen archiepiscopi, editis novis constitutionibus pro bono eius regimine. Duo pro capucinis sororibus hoc item tempore constructa fuere monasteria: alterum in urbe Parisiensi: *Debitum* III. idus Septembris; postremum in Terra Tessani dioecesis Cusentinae, impensis coniugum Scipionis Cappelli et Lucretiae Pasqualis: *Expositum* die VI. Novembris.

Monast. Salamanticae. Monast. de Carrion. *Monum. prov.* Monast. Panormi. Monast. Parisien. Monast. Tessani.

XXIII. Apud Insulam Floridam martyr occubuit quidam sacerdos ignoti nominis, in loco de Tolomato provinciae Gulensis; agmine enim facto cuiusdam Cacique consilio aedem de nocte invadentes apostatae, caput eius amputarunt ac hastae impositum per vias ad ludibrium circumtulerunt. Item Blasius de Monte post sacrum vix expletum verberibus ab eisdem apostatis sauciatus, animam Deo reddidit in loco Topiqui eiusdem Insulae, sepulcrum nactus in oratorio aedis suae. Dum in loco de Opa Franciscus de Velascola ex provincia Cantabriae indigenis laudatae Insulae verbum Dei annuntiabat, duo catholicae fidei hostes in eum irruentes, opprobriis ac plagis afflixerunt, ac sub eorum manibus illustre martyrium consummavit. Eodem in loco Franciscus Abulensis ab eisdem incolis suo habitu primum exutus fuit; mox toto corpore vulneratus, teterrimo in carcere occluditur, ubi inter ingentes frigoris et inediae poenalitates per annum permansit. Solutus a vinculis, ad excolendos agros destinatur; postremo exilio mulctatus, mittitur ab Insulae gubernatore in efferatas Chichimecarum regiones. Quomodo autem vitam expleverit incompertum nobis est.

Anonymus m. *Torquemada tom. 3. pag. 351* Blasius de Monte m. *Idem ibidem.* Franciscus de Velascola m. *Idem ibid. pag. 353.* Franciscus Abulensis m. *Idem ibidem*

XXIV. Martyrium subiit et hoc anno Franciscus Ziranus vel Cirianus ex minoritis conventualibus, ex Sasa in Sardiniae Insula oriundus. Cum enim Phi-

Franciscus Cirianus m.

Baretius part. 4. p. 1277. Calorra pag. 249.

lippus iii. Hispaniarum rex ablegasset oratorem suum ad regem Cuco in Africa insignem virum Matthaeum de Aguirre eiusque socium Franciscum Ferrer fratres de observantia provinciae Maioricarum, hac nactus occasione laudatus Cirianus in comitem se dedit eidem Matthaeo, redempturus sperans cognatum ac consodalem suum Franciscum Serra Algerii in captivitate detentum ab annis teruidenis. Algerium appulsus, dum pro libertate sodalis sui studiosam navabat operam, idem Matthaeus aliquot epistolas od eum misit cuiusdam christiani viri favore; at hic cum eisdem literis deprehensus et pro exploratore habitus, unco ferreo appensus, necatur. Tunc etiam quidam Salvator Lusitanus igne crematus fuit; alii vero octo christifideles stipitibus affixi, vitam cum morte commutarunt.

XXV. Hoc licet in excidio, idem Cirianus singulari divino auxilio sodalem suum aliosque quatuor christianos a vinculis solvit, secumque adduxit in regnum Cuco, Algerii conterminum. Cupiens autem idem rex ardua quaeque tum ad sui regiminis, tum ad fidei christianae conservationem spectantia cum Philippo iii. Hispaniarum principe agere negotia, ad eum misit Cirianum fiducialibus literis instructum. Die igitur prima Ianuarii iter aggressus, ad litus maris Algerii a copiis regis comprehenditur, catena ferrea collo stringitur et manibus post terga ligatis, ad urbem sputis, opprobriis ac verberibus per viam saturatus, quasi opimam praedam assequuti, adducitur. Principis iussu carceri mox mancipatur, mortis lege interim contra christianos vulgata, si aliqui eorum ad eum convenirent. At Franciscus Serra mortis sententiam parvipendens, sodalem cognatum suum Cirianum, dum Mauri veneris die Mosquitae de more intersunt, semel et iterum invisit. Cum autem ei horrifica morte se finem cito habiturum nunciaret, mox ille dixit: *utinam mea morte Mauri, agnito errore, ad Deum converterentur!* Ex tunc nocte ac die agonem suum precibus et lacrymis Domino commendabat.

XXVI. Dies accesserat xviii. eiusdem mensis, in quo mortis nuncium in carcere accepit, qua a rege mandabatur, ut vivus crudeliter excoriaretur, et pellis paleis referta super urbis portam od cunctorum terrorem exponeretur. Haec audiens vir Dei, oculis manibusque mox in coelum levatis, laetus lacrymisque profusus in haec verba prorupit: *gratias agamus Domino Deo nostro, qui me indignum servum elegit.* Eius constantiam demirati satellites, verborum lenitate ac promissis a sancto proposito eum dimovere conabantur; at ille cuncta terrena despiciens, Iesum Christum verum Deum esse, Mahometem vero deperditum hominem vesanumque prophetam libere annuntiabat. Tunc sua tunica exutus, indusioque amplo et albo indutus, e carcere educitur et ad supplicii locum vinctus ferrea catena adducitur, iam procedente praecone, qui mortis sententiam buccina sic evulgabat: *hic christianus regis sententia vivus decoriatur, utpote explorator regis Hispaniarum et regis Cuco, et raptor captivorum christianorum Algerii degentium.*

XXVII. Dum duobus palis alligabatur et crudeliter excoriabatur ad modum crucis primo in humeris ac inde in capite, magnus Christi athleta elata voce illud trium puerorum canticum *benedicite omnia opera Domini Domino* et Deiparae virginis *litanias* dulciter decantavit ad finem usque. Cum autem pellis umbilico unice adhaereret, pro maiori tunc viri Dei cruciatu illam carnifices fortiter detraxerunt. Tum Franciscus illis prolatis: *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* sanctam Deo animam reddidit.

XXVIII. Eo temporis momento suborta tempestate, Mauri timore correpti festinanter fugam ceperunt. Tunc Franciscus Serra aliique christifideles eius

Digitized by Google

corpus capientes, in coemeterio tumularunt, inscriptis in plumbi lamina nomine, tempore ac sui martyrii loco. Eo redierunt interim Mauri; at cum eius corpus non invenissent, ipsius pellem paleis refertam et ad modum crucifixi extensam super urbis portam palo apposuerunt, quam tandem ventorum vi deiectam, christiani devote colligentes, uti pretiosam reliquiam conservarunt.

XXIX. Lego in monumento provinciae Maioricarum minorum de observantia scripto anno MDCLXXX. laudatum Matthaeum de Aguirre et Franciscum Ferrer missos a Philippo III. Hispaniarum rege in Africam ad principem Cuco, hoc eodem tempore propter fidei propagationem infidelium manibus occubuisse. Haec ignota fuerunt Waddingo et Sbaraleae in eorum martyrum syllabo. Felicem suae vitae cursum absolvit die IV. Iunii Ioannes a Tuderto in Umbria natus, at filius provinciae s. Salvatoris Hungariae, qui a furentibus haereticis Transylvanis multa pro fide Christi tormenta perpessus, capitis tandem abscissione meruit coronam martyrii obtinere. Martyris gesta descripsit Alphonsus da Requescens commissarius generalis Germaniae, Hungariae et Bohemiae.

Matthaeus de Aguirre et Franciscus Ferrer mm.

Ioannes a Tuderto m. *Daza lib. 4. cap. 51.*

XXX. Ob fidei defensionem martyrium subiere in provincia s. Gregorii Insularum Philippinarum Didacus a Magdalena sacerdos, et Bonaventura del Rincon laicus, aggressi a militibus Sinensibus in doctrinali domo de los Bannoa conventus de Nagcarlau. Eorum corpora ab eisdem militibus latenter occlusa in antro montis, post aliquot dies suavi odoris indicio integra atque ulentia fuerunt inventa.

Didacus a Magdalena, et Bonaventura del Rincon mm. *Martinez lib. 1. pag 36.*

XXXI. In coenobio s. Francisci Mexici provinciae s. Evangelii raptus est die VIII. Augusti Ferdinandus de Valle, qui defuncta uxore, anno aetatis suae XL. minoriticum de observantia institutum ingressus, viliora quoque coenobii munia summa animi alacritate obibat. Die ac nocte orationi instabat, maxime vero eo tempore quo fuit oculis captus; tanto enim spiritus fervore coelestibus se dabat, ut aspicientes in admirationem raperet. In provincia Portugalliae quievit die XX. Iunii anno aetatis XC. Andreas de Rosa: corpus macerabat vigiliis, ieiuniis ac poenalitatibus; herbis silvestribus pro victu utebatur; singulis vero noctibus se caedebat ad sanguinis usque effusionem. Viginti annorum spatio, annuentibus maioribus, eremiticam vitam duxit in oratorio Dominae nostrae de Amparo. Tanta humilitate exornabatur, ut omnium peccatorum maximum intime se reputaret, ac verbis profiteretur. Ut pestifera lue affectis in urbe Ulysipone omni charitatis officio opitularetur, eodem contracto morbo decesserunt Petrus a s. Paulo provinciae custos, Gaspar de Monte Sion et Gaspar item de Spiritu sancto sacerdotes.

Ferdinandus de Valle. *Torquemada tom. 3. pag. 592*

Andreas de Rosa. *Agiologium Lusitan. ad diem 20. Iunii.*

Ibid. tom. 1 p. 224.

XXXII. Coelestia petivit et hoc anno Martinus de Carascosa et Cabresas, natus in oppido Valdemeca dioecesis Conchensis in provincia Carthaginensi. Licet humanioribus literis haud ignarus, voluit tamen humilitatis merito inter franciscanos laicos cooptari. In instituto maximis virtutibus floruit, paupertate nimirum, mortificatione et castimonia; lectulo nunquam cubavit imo nec habuit; in ieiuniis assiduus erat dirisque flagris se quotidie caedebat. Laboriosa monasterii munia semper exegit; attamen orationi ac contemplationi divinarum rerum iugiter vacabat ita, ut non semel extra se coelesti lumine aliquando perfusus videretur. Supernis interim revelationibus a Deo ditatus, aliqua praedixit futura. Ut caetera sileamus, die et anno MDXCVI. quo Anglicani haeretici gladio et igne depopulabantur Urbem Gaditanam, dixit Martinus fratribus suis Conchae degentibus: *mittamus, patres, preces nostras ad Deum pro fratribus nostris, quia maximis circumvallantur periculis.*

Martinus de Carascosa. *Huelamus in eius vita.*

Innotuit subinde, quod ipsi Anglicani eadem die multa mala ea in urbe intulerunt sacerdotibus, ecclesias spoliarunt et sacras imagines profanationi exposuerunt. Sanitatum ac miraculorum item gratia exornabatur; unde factum est, ut eum velut hominem Deo charum et sanctum undique praedicarent omnes. Cum in domo germanae suae in oppido de Thebar versaretur, a valido morbo correptus, ibidem finem vitae sancte complevit. Vix defuncto, incolae loci ad tutandum eius corpus ne raperetur a Conchensibus, eo vigiles posuerunt. At cum Andreas Pacheco episcopus Conchensis cavisset sub lata excommunicationis sententia accolis de Thobar, ut Martini corpus redderent Conchensibus, sibi retentis praecordiis et duobus pedum digitis, res tandem inter eos composita fuit. Concham inter omnium gaudia delatum, sepositum fuit penes aram seraphici Parentis, ubi per dies miraculis coruscabat. Totius facti memoriam posteris demandavit Didacus de Valenzuela notarius apostolicus episcopalis curiae Conchensis.

Franciscus a Senogallia. Monum. prov

XXXIII. In coenobio s. Francisci Murrovallium in provincia Picena extremum diem clausit Franciscus a Senogallia sacerdos, multis virtutibus cumulatus. Cum tholus novae ecclesiae instrueretur, dixit sodali suo Angelo a Montebarochios laico alique viro adsportantibus lapides ut e loco abirent, ne fortuito a cadentibus lapidibus obruerentur. Vix enim abierunt, tholus repente corruit. Post sui obitum miraculis corruscasse tradunt. A fistula evasit libera d. Dorothea Porfiri, ut vir eius Thomas Callabrale loci incola brachium servi Dei mox defuncti admovit illius parti laesae. In conventu s. Francisci Aesii eiusdem

Iacobus ab Aesio. *Monum. prov.*

provinciae obiit Iacobus sacerdos ex fratrum reformatorum familia, ea in civitate natus. Vir fuit benignus, pacificus et altissima paupertate ita dives, ut nihil praeter tunicam qua tegebatur, consarcinatam haberet.

Dominicus de Monte Leone. *Masara tom. 3. p. 118.*

XXXIV. Dormitionis requiem accepit die viii. Martii in conventu s. Mariae de Iesu Nicosiae in provincia Siciliae Dominicus de Monte Leone Calaber. Adolescens Panormum in Sicilia adveniens, in comitio ibidem habito a capucinis, eorumdem instituto nomen dedit et inter eos permansit septem annorum spatio. At a valida daemonis tentatione vexatus, habitum dimisit et in Calabriam defugiens, uxorem duxit nomine Porphiriam, mulierem inertem, contentiosam, petulantem moribusque perditam. Tres filios sibi natos solis capiendis anguillis laboriose nutriebat. Hinc ex omni parte misere afflictus, tandem post multas effusas ab eo preces facta est super eum manus Domini; nam a gravissimo morbo correptus, sibi visus est ad particulare iudicium vocari. Triduo immotus velutque exanimis permansit. Coram Iesu Christo iudice rubeis vestibus amicto ac pene innumero angelorum agmine adductus, daemones aderant iram magnam habentes, qui divinam implorabant iustitiam, ut eis traderet agonizantis animam tot tantisque sceleribus et impietatibus gravatam. Horrendus pavor de aeternae suae damnationis sententia angustiabat miserrimum, nec illi affulgebat evadendi iudicii spes ulla. Ex inoc adstitit archangelus Michael in adiutorium sibi, accusatores daemones coercens sensibilique voce Dominicum interim monens, ut ad divinam misericordiam confugeret. Tanti patroni verbis in spem obtinendae veniae erectus, illam invocavit ex animo dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*; et ita adversum sibi iudicium conversum est in misericordiam. Mox vocem audivit dicentem sibi: *quadraginta quatuor anni adaucti tibi sunt pro poenitentiae termino computando.*

XXXV. Romam inde advoniens cum unico filio sibi superstite, facinora sua apud pontificem tunc temporis Pium iv. nomine, aperuit profusus lacrymis,

ut eorundam indulgentiam consequeretur. Commotus pontifex, ad Urbis summum poenitentiarium mandavit, eique tamen iussit, ut defuncta muliere, in unum ex probatis regularibus institutis ingrederetur, iterum emissa professione. Ex eo tempore magis magisque corpus attrivit cuiusvis generis poenalitatibus. Defuncta inde Panormi muliere, aliquando famuli officia obivit apud observantes s. Mariae de Iesu Nicosiae, quibus non semel anteactae vitae crimina summo animi dolore narrabat, ac saepe angelico pane se devote reficiebat. Multas post preces tandem obtinuit, ut cooptaretur inter conversos fratres. Transactis duobus probationis annis ad professionem admissus, vitam arripuit tam asperrimam, ut cunctis foret perfectionis exemplar. Varias daemonia molestias aequo animo tulit; aliquando enim diris flagellationibus ab eo affictabatur; aliquando vero per monasterii scalas praeceps proiiciebatur.

XXXVI. Anno MDLXXXIV. cum familia coenobii Nicosiae nuperae reformationis leges accepisset, easdem et ipse prosequutus, inter eos reformatos fratres reliquum vitae suae tempus consumpsit. In instituto assiduis meditationibus, precibus, macerationibus ac lacrymis ita se dedit, ut frequenter extra se raperetur, coelestibus apparitionibus ac visitationibus recrearetur, prophetiae et sanationum gratia multipliciter coruscaret; ac sapientiae dono in aperiendis difficilioribus sacrarum Literarum sententiis emineret. Factus denique divinae misericordiae spectaculum, in eodem coenobio sancte occubuit die VIII. Martii annos LXXXV. numerans.

XXXVII. Eiusdem instituti fuit Matthaeus Agrigentinus clericus, die XXV. Novembris defunctus in coenobio s. Nicolai laudatae civitatis, qui prae sua eximia humilitate sacerdotali dignitati haud passus est initiari. Enituit corporis macerationibus et miraculorum gloria. *Matthaeus Agrigentinus. Tognoletto pag. 433.*

XXXVIII. Aliquot pii viri hoc tempore defuncti gloriam auxerunt discalceatorum ordini. Die V. Augusti rapuit Deus in conventu s. Michaelis archangeli de Victoria Plicensis in provincia s. Iosephi Iuniperus laicus, natus in oppido de Castanal dioecesis Placentinae, propinquus venerabilis fratris Alphonsi de Esperilla. Duobus annis moderatorem habuit suae conscientiae s. Petrum de Alcantara in conventu Arenarum, a quo poenalitatum et virtutum specimina cumulatissime hauserat. Singularis erat simplicitatis, innocentiae et humilitatis. Licet nescius legere ac scribere, proferebat tamen coelestia ita sapienter, ut doctioribus ipsis admirationem afferret; multi autem ceu patrem spiritualem, et puritatis animae ac corporis magistrum venerabantur, et ab eo salutis monita expostulabant. Cum a daemonibus variis tentationibus vexaretur, tunc festinus ecclesiam petebat, et flexis genibus ante aram ss. sacramenti ita eos alloquebatur: *hic, hic ego vos volo venite, venite*. Quibus dicens daemonum astus devincebat. *Iuniperus de Castan. Ioannes a s. Maria part. 2 pag. 590.*

XXXIX. Lucem aspexit Valentiae in Hispania die XVI. Februarii anno MDLX. Antonius a s. Ioseph honestis parentibus. A prima aetate vitae candore, timore Domini christianisque moribus clarere coepit, et eximio ingenio excultus, in scientiis naturalibus et divinis ita profecit, ut coetaneos suos longe antecelleret. In frequentissima academia Valentina per annos amplius viginti philosophiam ac theologiam explanavit, et animarum salvandarum zelo accensus, concionatoria munus insimul explebat. A sanctitatis fama fratrum discalceatorum conventus s. Ioannis Baptistae de Ripa prope Valentiam illectus, mundo valedicere statuit ac inter eos cooptari. Verum cum per dies tepere coepisset, a concepto consilio decessit. Haec per revelationem innotuit fratri Antonio Sobrino discal- *Antonius a s. Ioseph. Idem part. 2. lib. 4. cap. 24.*

cato viro admodum pio, sacrum in ecclesia coenobii facienti, qui ad ipsum epistolam scribens, ad pristinum propositum revocavit. Itaque die sacro beatae Virginis purificationi cum in ea urbe concionem haberet, et plura de ani et mundi contemptu deque Christi imitatione praeclara dixisset, finito sermone sic auditores alloquutus est: *nunc usque, charissimi, verbis et lingua loquutus sum vobis; sed hodie sub vesperas opere et effectu me oportet praedicare in ecclesia fratrum discalceatorum s. Ioannis Baptistae de Ripa, ubi, favente Deo, habitum seraphici patris s. Francisci suscipiam.* Collacrymarunt haec audientes perculsi omnes; et ad ecclesiam post meridiem accedentes proceres, optimates et illius universitatis auditores, illum sacro habitu indutum viderunt.

XL. Mirum dictu est, quanta animi contensione ac alacritate bravium regularis perfectionis inceperit et prosequutus fuerit totius vitae suae tempore; nam adhuc in ordine tyro, suae spiritualis structurae fundamentum, posuit humilitatem, cui adiecit macerationis opera multiplicia, hilarem obedientiam, modestiam, morum gravitatem regularumque observantiam. Concionatoris officium illico ei demandarunt sui maiores. Primam concionem habuit in dominica quinquagesimae, ac inde e rostris dixit totius quadragesimalis tempore. Suorum sermonum ita erat exordium: *mors, gaudium, infernus, vitium et virtutes. Emitte Domine ad istos homines radium de coelo, non igneum, ut eos comburat et perdat; sed lucidum, ut illos illuminet ad te cognoscendum. Amen.* Post sui professionem verbum Dei annuntiavit tum Valentiae tum apud Villam Regalem, tum apud contermina oppida et civitates; at tanto cum animarum foenore, ut vix enarrari possit. Laboribus fractus sanctisque sacramentis refectus, vix expletis a sui professione novem mensibus, animam efflavit die xxiv. Octobris, illa crebro repetens dulcissima nomina, *Iesus, Maria, Ioseph.*

XLI. Aliqua eius scripta praelo commissa fuerunt. In primis vulgata fuit eius *salutatio* in honorem ss. patriarchae Ioseph ita expressa: *Ave Ioseph plene gratia, et Spiritu sancto; Dominus tecum; benedictus tu inter homines, sicut benedicta sponsa tua inter mulieres, quia Iesus benedictus fructus ventris Mariae, etiam tuus habitus est. Ora pro nobis, o pater Christi et sponse Virginis, ut qui tibi in hac vita subditus esse valuit, meritis suis nunc et in hora mortis nobis propitius esse dignetur. Amen.* Eamdem salutationem devote recitantibus quadraginta dierum indulgentiam concessit venerabilis Ioannes de Ribera archiepiscopus Valentinus et patriarcha Antiochenus. Aliam salutationem, piasque litanias scripsit et vulgavit in honorem seraphici patris s. Francisci. Postremum opus typis commisit hispano idiomate scriptum: *de redemptione imaginis crucifixi s. Theclae, quae honoratur in ecclesia monialium s. Iosephi Valentiae.* Haec ignota fuerunt Waddingo et Sbaraleae. *Monum. prov.*

XLII. In conventu s. Antonii Patavini Aiorae eiusdem provinciae sanctitatis fama clarus dies complevit suos Antonius a Mexia sacerdos. Flagrabat charitate erga Deum et proximum; sibi austerus erat, aliis autem benevolus, maxime erga infirmos, quibus opitulabatur omni qua poterat, solicitudine. Saniem manantem ex tumore cuiusdam sodalis aliquando potavit mortificationis gratia. *Antonius a Mexia. Panes part. 1. lib. 2. cap. 47.*

XLIII. Plures inter capucinos fratres pie occubuerunt. Gandavi in provincia Belgii dum peste laborantibus succurrerent, eodem morbo correpti, decesse-

runt Evangelista Mechliniensis, Gregorius Bruxellensis sacerdotes, et Augustinus Antuerpiensis laicus. Piceleoni in provincia s. Ludovici guardiani munus gerens obiit Marius eo in oppido natus, iam illius provinciae commissarius generalis ac vicarius. Simplex habitus multis praesegminibus contextus, cella rebus omnibus, praeterquam breviario ac Christi Domini cruce vacua, angustus lectulus levi palea stratus, animus ab omni rerum cupiditate alienus altissimam eius paupertatem testabantur. In coelestibus meditandis maiorem diei ac noctis partem impendebat. Multa a beata Virgine beneficia obtinuit. Aegidius e Portu s. Mariae Hetruscus martyrii desiderio incensus, varias regiones, ut si ipsi liceret pro Christo sanguinem fundere, perlustravit. Primum Ierosolymam petiit, ubi per duodeviginti menses diversatus, in sancto Sepulcri sacello orationi et ieiuniis vacavit. Adiit inde Constantinopolim, latinis ac graecis schismaticis concionaturos; plures ex illis ad ecclesiae unitatem adduxit; alios vero in fidei confessione confirmavit. In Graeciam postreme profectus tum docendo tum exhortando, tum sacramenta ministrando magnam sibi existimationem comparavit. Spe martyrii frustratus, Valentiam advenit, ac postea Segoviam missus, laetali quadam epiphora extemplo corripitur. Cum chirurgus incisionem aggredi formidaret, ei dixit Aegidius: *scinde, fili, scinde: quid dolores reformidas? hoc passionis et doloris tempus est: nihil intempestivum agis, cum ad dolores vocas.* Biduo post inter hymnos et psalmos Deo animam reddidit.

Evangelista Mechliniensis. Gregorius Bruxellensis. Augustinus Antuerpiensis. *De Aremberg tom. 2. pag.* 715. 486. 487.

Marius a Piceleone. *Idem ibid. pag.* 102.

Aegidius a Portu s. Mariae. *Idem ibid. pag.* 422.

XLIV. In Genuensi provincia vix emissa professione decessit Basilius Genuensis clericus, vitae innocentia commendatus. Augustae Taurinorum multis meritis cumulatus vitae finem accepit Franciscus Novariensis sacerdos, tanta sensuum mortificatione praeditus, ut membra crebris verberibus, corpus somni et necessariorum multorum detractione, ac quidquid carnem sapere videretur, acerbe ad mortem usque persequutus fuerit. Sacra agens mysteria, non semel inter ipsius manus Christus Dominus sub infantuli forma visus fuit. Vita eius abscondita cum Christo patefacta fuit post eius mortem, miraculis eius intercessione patratis. Mediolani coelestia petivit Dionysius in ea urbe natus ex nobili Pusselerum familia. Pietate, eloquii suavitate ac prudentia magnatum odia et simultates extinxit, et multos foedis criminibus implicatos ad bonam frugem adduxit. Obiit Cardani in eadem provincia Peregrinus a Bontia laicus, qui cum coquinae munus ageret, orationi in die assumptionis Deiparae intentus, nihil familiae in prandium paraverat. Instante refectionis hora, ad beatae Virginis opem aufugiit et illico pulsato coenobii ostio, cibaria diversa angelorum ministerio ad fores invenit.

Basilius Genuensis. *Idem ibid. pag.* 525.

Franciscus Novariensis. *Idem ibid. pag* 203.

Dionysius Mediolanensis. *Idem ibid. pag.* 406.

Peregrinus a Bontia. *Idem ibid. pag.* 718.

XLV. In Mediolanensi provincia beato fine quievit Cherubinus a Castro s. Petri sacerdos, vir simplex ac sine dolo adhuc ab infantia. Assiduis nocte ac die divinis contemplationibus et orationi vacabat, ex quibus tam praeclarum a Deo donum hauserat, ut et futura praenosceret et cordium occulta nonnunquam penetraret. Plures infirmos crucis signo sanavit. Vix a sacerdote prolatis illis verbis: *subvenite sancti Dei: occurrite angeli etc.* animam Deo reddidit Stephanus Tifernas Metaurensis sacerdos ex provincia Marchiae, ad pietatem et ad carnis macerationem ab adolescentia pronus. In instituto tanta charitate in Deum fervebat, ut a lacrymis haud continere se posset in precibus fundendis. Aegrotos non paucos adhibito crucis signo incolumes reddidit. In conventu s. Iosephi prope Aquilam provinciae s. Bernardini obiit Vincentius a Theramo sacerdos, a pueritia simplicitatis, orationis erga ss. eucharistiae sacra-

Cherubinus a Castro s. Petri. *Idem ibid. pag.* 470.

Stephanus a Tiferno Metaurensi. *Idem ibid. pag* 483.

Vincentius a Theramo. *Idem ibid. pag.* 477.

mentum virtutibus cumulatus. Mira de Deo proferebat, ac non semel in oratione divino lumine in facie circumfusus extra se rapiebatur. Hinc factum est, ut prae suarum virtutum frequentia tantam animi tranquillitatem consequutus sit, ut in arduis agendis nec laborem nec sensus repugnantiam perciperet. De eo et scribit Nicolaus Palma *Storia ecclesiastica e civile di Teramo* tom. v. pag. 36. Lutetiae decessit Gerardus Venetus sacerdos ex provincia s. Angeli, commendatus ob suam austeritatem, orationem ac charitatem. A feria quinta in coena Domini ad dominicam usque resurrectionis nihil omnino degustabat.

Gerardus Venetus. Idem ibid. pag. 480.

Bonaventura Aletinus. Idem ibidem.

XLVI. Sanctis operibus dives occubuit in conventu Hydrunti Bonaventura Aletinus sacerdos; ea fuit abstinentia, ut duos hebdomadae dies panis et aquae usu transigens, caeteros quotidianis fere ieiuniis consecraret. In Lucaniae provincia multa sanctimonia clarus obiit Angelus a Montecorvino item sacerdos; in oratione raptus et ecstases patiebatur, miroque splendore aliquando perfusus. Palisteni in provincia Calabriae in quadam beatae Virginis imagine oculos defigens et inter sanctae crucis amplexum obiit Antonius a Francica item sacerdos. Emicuit in eo morum honestas, simplicitas, sensuum mortificatio, paupertatis zelus ac totius observantia regularis disciplinae. Praenuntiato sui obitus die Panormi decessit Vincentius a Conilione laicus. Saepe meruit beatissimae Virginis colloquio frui. Motucae in Sicilia cursum vitae absolvit Bonaventura Netinus item laicus, cultor eximius humilitatis, obedientiae, simplicitatis ac silentii. Crebro etiam quaestuarii munus explens, charitate erga Deum accensus, in haec verba erumpebat: *Iesu mi, Iesu mi.*

Angelus a Montecorvino. Idem ibid. pag. 367.

Antonius a Francica. Idem ibid. pag. 473.

Vincentius a Conilione. Idem ibid. pag. 714.

Bonaventura Netinus. Idem ibid. pag. 716.

XLVII. Coelesti sponso adhaeserunt hoc eodem anno aliquot sacrae virgines. In monasterio s. Clarae Scalbais in provincia Lusitaniae, vivissima luce in capite circumfusa sancte occubuit Birgitta a Matre Dei. Semper in ore habebat illud Apocalypsis cap. xv. *beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Eximia vitae innocentia commendabatur. Die ix. Februarii in monasterio s. Clarae Tranconsi in eadem provincia dies complevit suos Bernardina ab Ascensione, quae alta mente recolens Iesu Christi passionem, prae nimio compassionis aestu crucem saepe amplexata, velut cum ipso crucifixa videbatur. Aliqua prophetico spiritu enunciavit. Suis precibus obtinuit a Deo annonam sororibus in summa egestate positis.

Birgitta a Matre Dei. De Esperanza tom. 1. pag. 551.

Bernardina ab Ascensione. Agiologium Lusitan. ad diem 9. Februarii.

XLVIII. In monasterio s. Clarae de Estella in provincia Burgensi rapta est Maria de Vidaurrete, quae ab anno aetatis quinto eo ingressa, usque ad sui obitum multis virtutibus floruit. Nunquam ad locutorium accessit, nec oculos unquam in hominum faciem intendit. Ante sui mortem excessum mentis passa, meruit, licet multis interiectis parietibus, in ipso valetudinario monasterii missam audire ac sacerdotem videre in ecclesia sacrum peragentem. Factum narravit sorori suae, cui etiam dixit, quo coloris ornamento indutus erat sacerdos, et quo rerum apparatu instructum erat altare. Ad Dominum abiit in monasterio s. Clarae de Arnedo Maria Agnes in Flandria nata, quae in hanc urbem adveniens, spreto honesto connubio, in eodem monasterio professionem emisit, sanctisque operibus cumulata, magnam apud sorores suae virtutis famam reliquit. Post annos quinquaginta tumulo reserato, eius corpus suavem odorem spiravit.

Maria de Vidaurrete. Monum. prov.

Maria Agnes. Ibidem.

XLIX. Die xii. Octobris vix petita a sacerdote benedictione obdormivit in Domino in monasterio s. Clarae Giennii in provincia Granatensi Maria Narvaez, filia Aloisii de Narvaez equitis s. Iacobi, annos LXXXII. numerans. Carnis pe-

Maria Narvaez. De Torres pag. 519.

Digitized by Google

tulantiam nunquam expertam fuisse tradunt. Semel et iterum abbatissae munus inculpate obivit in eodem monasterio. In civitate Oriolana in provincia s. Ioannis Baptistae obiit die xxix. Maii Ioanna a Zerdana, quae habitu tertii ordinis induta, vitam duxit angelicam, carnem interim macerans ieiuniis et asperitatibus. In rebus coelestibus recolendis miris ecstasibus afficiebatur. Spiritu prophetino etiam inclaruit. De Gregoria Romana haec lego apud Fortunatum Hueber ad diem xii. Maii: *Romae anno* MDCIII. *Gregoria quaedam Romana tertii ordinis s. Francisci cum caeteris virtutibus tum maxime perfectae obedientiae, inaudito exemplo claruit. Enimvero cum aliquando per tredecim annos paralytica decumberet, et per occasionem a venerabili matre Anna iuberetur quantocyus surgere, et apertam ianuam claudere, velociter prosiliit, ianuam clausit, obedivit et ad lectulum suum sine paralysi remeavit. Deinde cum singulis sacramentis ordinata ad mortem proxime declinaret, et confessarius eidem differendam mortem mandaret usque ad festum s. Gregorii Magni ecclesiae doctoris, patroni sui singularissimi, eum cum coelesti tripudio ad aeternam retributionem comitaturi; quantocyus obedivit, et quasi in voluntate sua mortis arbitrium consisteret, vitam usque ad tertium diem reassumpsit, et tunc a suo s. patrono felicissima morte in coelos abducta evolavit.*

Ioanna a Zerdana *Monum. prov.*

Gregoria Romana.

L. Matriti penes regium clarissarum discalceatarum monasterium superna petivit Maria Maximiliani II. Caesaris uxor, Caroli V. imperatoris Romano Germanici ac Hispaniarum regis filia, quae anno MDLXXVI. iacturam coniugis sui passa, anno MDLXXX. una cum filia sua Margarita in Hispaniam advenit. Matriti commorans, sororibus de tertio s. Francisci instituto sese adscripsit, constructoque sibi domicilio penes laudatum monasterium, ibi multis floruit virtutibus. Gravi morbo correpta, magno desiderio in manibus filiae suae Margaritae decedendi exarsit. Voti sui compos effecta, inter eius ulnas pientissime decessit die XXVI. Februarii. Vix expiravit, super cubiculi tectum insedit globus igneus miri splendoris. Eius corpus vili amictum habitu absque pompa, ut petierat, sepositum fuit in peristylio iuxta cellam filiae suae Margaritae. Post annos XII. regis iussu elatum et in sarcophago iaspido contexto occlusum, in novum oratorium illatum fuit. Anno MDCXXXII. ex eodem oratorio in monasterii chorum translatum, corruptionis expers ac flexilo, ut antea, apparuit.

Maria Maximiliani Caesaris uxor. *Greiderer tom. 1. p. 476. n. 362.*

LI. Inter minores conventuales occubuit Dionysius a Costacciaro Picenae provinciae, vir doctus et fervidus verbi Dei praeco, de quo traditur concionibus suis ecclesiae Christi genuisse rabbinum Iechiel Pisaurensem, in philosophia, medicina et in hebraeorum theologia doctissimum. Annos amplius XXV. officium inquisitoris generalis contra haereticam pravitatem gessit in urbe Florentina. Reliquit mss. *conciones quadragesimales, ac per annum, sermones et orationes varias.* Minoritae de observantia luxerunt in coenobio s. Francisci Valentiae Christophorum Morenum, natum in oppido Moxent dioecesis Valentinae. Sui obitus tempus ignorarunt Waddingus et Sbaralea; nobis id innotuit ex monumento ipsius provinciae anno MDCLXXX. misso a chronologo laudatae provinciae p. Christophoro Mercader ad capitulum generale Romae coactum. Defuncta matre, cum gravi morbo laboraret, a patre in solitudinem ductus ibique derelictus, a germana sua traditus fuit cuidam pastori caprae lacte nutriendus. Ineunte aetate primis literis imbutus, sub Hieronymianorum disciplina militavit; tantumque in eo instituto profecit, ut Romam missus fuerit tracturus gravia negotia sui monasterii. Diu in Urbe diversatus, minoritis

Sbaralea ibi. D.

Digitized by Google

se addixit in coenobio s. Mariae de Aracoeli. Inde in Hispaniam veniens in Complutensi academia studiorum curriculum emisit cunctorum audientium plausu. In provincia Valentiae moram traxit, in qua cum multarum virtutum exemplar se praeberet, a Philippo II. Hispaniarum rege delectus fuit confessarius regalis monasterii clarissarum Matritensis. Munus subinde accepit ministri provinciae Valentiae, quam summa cum laude rexit. Praeter ea quae notavimus, scripsit etiam *iornadas para el cielo* ad Philippum II. Hispaniarum regem. Opus eusum fuit Matriti anno MDCXVI. in 4.; et Compluti anno MDLXIX. typis Ioannis Iniquez vulgatum fuit eius *itinerarium in coelum* in quatuor itinera distinctum, nimirum *de vera contritione* cum XLII. exemplis; *de confessione sacramentali* cum XLIV. exemplis; *de satisfactione* cum XXXVI. exemplis; et *de eucharistiae sacramento eiusque mirandis* cum LVIII. exemplis. Extat mss. eius *liber de claris s. Francisci familiae viris.*

Sbaralea lit. C. Ann. min. ad ann. 1588. num. 67.

LII. P. Lucas Waddingus minus vere inter minoritas adscribit Thomam Zerula auctorem operis cui titulus *praxis sacramenti poenitentiae*; nam fuit episcopus Minorensis in Picentinis, anno MDXCVII. assumptus et hoc praesenti anno defunctus. Iacobus Carolus Lusitanus edidit Parisiis commentarium *in psalm. CVIII.* Eumdem commentarium hoc eodem anno vulgatum fuisse et Mantuae scribit laudatus Waddingus. Parisiis prodiit *epitomen disputationum de controversiis christianae fidei Roberti Bellarmini* a Ioanne Baptista Desvois Gallo compositum. Gabriel de Ribera Hispanus provinciae s. Gabrielis scripsit hispano idiomate *conciones quadragesimales a dominica septuagesimae usque ad pascha*, scilicet *pro singulis dominicis, quartis et sextis feriis quibus sacro illo tempore sermones haberi solent ad populum in Hispania*, Salmanticae editas hoc anno et iterum anno MDCV. Hoc eodem tempore ibidem typis mandavit *secundum quadragesimale*. Ioannes de Zamora provinciae Carthaginensis Hispanus edidit a se scriptum Burgis typis Ioannis Baptistae Varesii *coeremoniale romanum* a Clemente VIII. specialiter adprobatum. Ex eadem provincia Ioannes Serranus Alcazarensis praelo mandavit *repertorium historiarum Gallicarum*. His addenda venit Maria Sallent Hispana, in urbe Burgiensi dioecesis Tyrasonensis piis honestisque parentibus nata, et clarissarum illius monasterii abbatissa, quae Valentiae apud Franciscum Mestre vulgavit metrice *vitam seraphicae matris* s. *Clarae virginis.*

Wadd. et Sbaralea lit. T. — *Idem lit. I.* — *Sbaralea lit. I. Wadd. lit. G.* — *Wadd. et Sbaralea lit. I.* — *Iidem ibidem.* — *Sbaralea lit. M*

LIII. Florebat inter minores conventuales mathematicis disciplinis Laurentius Forestanus alumnus Pisciensis conventus in Hetruria. Eam facultatem publice pluribus in locis Hetruriae et Venetiis docuit summa cum laude. Hinc Venetiis typis Georgii Varisei edidit opus hetrusco sermone inscriptum: *praxis arithmeticae et geometriae.* Gratissimus extitit magnis Hetruriae ducibus Ferdinando I. ac Cosimo II.

Sbaralea lit. L.

LIV. Episcopalem dignitatem obtinuit hoc anno inter observantes Matthaeus de Oveto electus archiepiscopus Dublinensis in Hibernia, postea translatus ad ecclesiam Auriensem in Hispania; Matthaeus de Burgos obtinuit ecclesiam episcopalem Pampelonensem; Ioannes Spinosa ecclesiam episcopalem s. Iacobi Cilen. in America. Ferdinandus Davila ab anno MDXCIV. episcopus Rhethymnensis in Creta transfertur ad ecclesiam Asculanam in Apulia. Sequens monumentum posuit in cathedrali templo Francisco Bonfilii decessori suo.

Ann. min. ad ann. 1234. n. 46. — *Ughel tom. 8. col. 236.*

D. O. M.

FRANCISCO BONFILIO ORD. MIN. CONV. S. FRANCISCI EX MAGISTRO GENERALI EPISCOPVS ASCVLANORVM F. FERDINANDVS DAVILA ORD. MINORVM DE OBSERV. S. T. L. ORDINIS AMICO PRAEDEC. P.

LV. Promotus est die x. Septembris ad episcopalem ecclesiam Segniae in provincia Romana Antonius Guerresco ex minoritis conventualibus; die i. Octobris ad ecclesiam Bituntinam in regno Neapolitano Hieronymus Pallanterius eiusdem instituti, unus ex xiv. consultoribus congregationis de auxiliis divinae gratiae. Ecclesiam Curzolen. et Stagnen. in Dalmatia obtinuit Antonius Guemesius iuxta Sbaraleo. Inter eos munus inquisitoris generalis contra haereticam pravitatem pro civitate Florentiae obtinuit Laelius Medicaeus: *Cum per obitum* die xx. Septembris; pro urbe Senarum Felix Pranzinus; pro urbe Pisana Franciscus Maurus a Montegranario. Protectoris capucinorum officium accepit: *Cum per obitum* die x. Ianuarii Franciscus de Ioiosa cardinalis ac archiepiscopus Tolosanus.

LVI. Franciscus a Sousa totius ordinis supremus administer non paucas perlustravit provincias ad decorem sui instituti promovendum. In coenobio s. Crucis Oeniponti in provincia Tyrolensi commorans, instante Maximiliano archiduce, ab eo conventu Italos amovit, plenoque iure subiecit ministro illius provinciae. Interim Friborgi convocato provinciali comitio, cum ob maiora ordinis negotia nec provinciam visitare nec comitio praesidere potuisset, loco sui Bernardinum Rast delegit. Praesedit tamen aliis coactis in Saxonia, Hungaria ac in caeteris Austriacae ditionis provinciis. *Greiderer tom. 2. pag. 9. n. 13.*

LVII. In Bohemiam adveniens, aedem pro suis a Rodnipho ii. imperatore lubentissime obtinuit in urbe Pragensi, non tamen eam sub invocatione s. Ambrosii a qua anno mcdlxviii. Hussitarum furore pulsi fuerunt minoritae, sed alteram titulo s. Mariae ad Nives in eadem nova civitate positam. De ea sic habet Vigilius Greiderer: *Hic locus est ipsissimus, in quo Carolus iv. Bohemiae rex anno mcccxlvii. pro carmelitis calceatis amplissimum monasterium cum magnifica ecclesia, uti rudera produnt, construi fecit. Hanc munificentiam Wenceslaus vi. eius filius an. mccclxxxiv. ratam habuit, et an. mcdxviii. certas areas huic monasterio concessit. Ziskiana cohorte anno mcdxxi. monasterium cum ecclesia dissolvente, curam loci huius sub ruinis ingemiscentis, in arena, vulgo na Pisku dicti, celsiss. ac reverendiss. arch. ep. Pragensis Martinus Mohelnitzki, alias Medek suscepit, et ab anno mdlxxxii. posuit pro hoc territorio rectorem et inspectorem r. d. Martinum Naratium, praepositum in Zderas ad ss. Petrum et Paulum ap. in monasterio s. sepulcri Domini custodem, qui simul nominabatur prior s. Mariae Nivensis. Eum r. d. Baborowsky, r. d. Gregorius Link praepositus eiusdem monasterii hoc in munere excipiebant; quibus adiunxit celsiss. princeps et arch. ep. commissarios saeculares, qui in civilibus causis xviii. disponerent et tuerentur iura huius territorii exempti, vulgo neben-Recht bey M. Schnee. Haec cura cessavit an. mdciii., territorio hoc fratribus minoribus de observantia consignato. Anno mdciv. Rodulphus ii. augustissimus Caesar in praesentia d. Zdenko, Adalberti Popelii a Lobkowitz supremi regni Bohemiae cancellarii et aliorum catholicorum procerum eiusdem regni primum lapidem terrae immisit, et conventum sua et istorum largissima manu restaurare coepit.* Idem Rodulphus anno mdcvi. sequens diploma de cessione huius conventus facta fratribus de observantia vulgavit. *Idem tom. 1. pag. 606. num. 51. Conv. Pragae.*

RODULPHUS II.

divina favente clementia electus Romanorum imperator etc.

Ad humiles et devotas preces venerabilis et religiosi fratris Francisci a Sousa Hispani totius ordinis minorum s. Francisci de observantia generalis ministri, eidem ordini s. Francisci ac pro eo memorato generali ministro, interveniente auctoritate loci ordinarii quondam reverendissimi in Christo patris Zbigmaei Bergka arch. episcopi Pragensis, consiliarii principis et fidelis nostri dilecti (per quem iussu et mandato nostro praedictus frater Franciscus Sousa nomine ordinis sui in realem, actualem et corporalem possessionem praedictae ecclesiae et monasterii s. Mariae ad Nives, cum iuribus et pertinentiis eiusdem iam ante biennium solemniter introductus est) non per errorem ae improvide, sed animo deliberato sano procerum, baronum, aliorumque fidelium nostrorum regni Bohemiae officialium, accedente consilio, auctoritate imperiali, tamquam rex Bohemiae, eum omnibus domibus, viridariis et iuribus universis ad idem monasterium quomodolibet ab antiquo pertinentibus, dedimus, concessimus, assignavimus, prout vigore praesentium damus, concedimus et assignamus: ita ut inibi eiusdem ordinis fratres habitent, et iuxta s. r. ecclesiam ipsiusque ordinis ritum et institutum Domino Deo perpetuo sine cuiusvis perturbatione et molestatione alacriter et fructuose famulentur, nec non piis eorum exercitiis et sacrificiis publicis, et privatis concionibus et spectatae virtutis exemplum populum doceant, et errantes ad verae salutis fideique viam revocare et reducere studeant. Atque idem monasterium, templum, sacellum cum areis et omnibus fundis, domibus, limitibus et quaecumque antehac idem monasterium iure donationis, emptionis, fundationis vel quacumque legitima ratione pertinuerint, cum omnibus privilegiis, templi clenodiis et aliis quibuscumque pertinentiis, nihil excipiendo perinde, atque si singula hic nominatim expressa positaque essent, libere, plene, quiete ac integre in posterum et perpetuis temporibus possideant, pioram eleemosynis restaurent, absque ulla exceptione libere utantur, fruantur, liberum etiam regressum ad omnia, si quae aliquando ab eodem monasterio quocumque illegitimo modo contra ius monasterii, et libertatem ecclesiasticam vendita, oppignorata, distracta, alienata, male usurpata, iniusto titulo occupata vel ad profanos usus conversa, detentaque reperientur, habeant, omni contradictione semota vindicent, acquirant ac possideant. Proinde omnibus et singulis quae praesenti nostrae fundationi, confirmationi et constitutioni et approbationi obstant, seu obstare in futurum possent, ex plenitudine nostrae imperialis et regiae potestatis per praesentes derogamus et derogatum volumus, supplentes omnes et quoscumque tam iuris quam facti defectus, si qui in praemissis omnibus et singulis intervenissent, aut allegari possent quovis modo vel de consuetudine vel de iure. Et propterea requirimus serenissimos ac charissimos haeredes ac successores nostros reges Bohemiae, eis gratiose, paterne committentes ut praesentem hanc fundationem nostram fideliter et diligenter manuteneant, observent et scire curent, ut haec desideratum a nobis effectum et executionem semper habeant et consequantur. Mandamus quoque supremis officialibus et assessoribus iudicii regni nostri Bohemiae et omnibus subditis nostris cuiuscumque status, ordinis et praeeminentiae fuerint; In primis vero

magistratibus, consulibus, senatui et incolis civitatis novae Pragensis aliarumque civitatum Pragensium praesentibus et futuris, ne supradictum monasterium b. Mariae od Nives eum omnibus suis, quomodocumque ad id pertinentibus sive in personis sive in rebus molestent, nec a quoquam alio supra his omnibus turbari aut quocumque modo molestari permittant, verum iuxta hanc nostram donationem et confirmationem nostro nomine efficaciter tueantur et defendant. Nulli ergo hominum quorumcumque collegiorum, communitatum et locorum liceat hanc nostrae fundationis, donationis, decreti et voluntatis, privilegiorum et confirmationis paginam violare seu infringere, aut ei quovis ausu temerario in iudicio vel extra contraire; si quis autem vel si qui autem contrarium facere attentaverint seu attentare praesumpserint, praeter gravem nostram indignationem aliasque poenas pro nostrae, haeredumque et successorum nostrorum Bohemiae regum mulcta infligendas centum marcharum auri puri (quum pro dimidio fisco nostro regio Bohemico, residuam vero partem ad recuperationem et structuram ecclesiae et monasterii eiusdem applicari volumus) se noverint irremisibiliter incursuros; in quorum omnium plenum et inviolabile robur, et testimonium perpetuo valiturum, diploma hoc nostrum manu nostra imperiali et regia subscriptum et sigilli nostri appensione munitum super his omnibus fieri et praedictis fratribus assignari iussimus.

Datum in arce nostra Pragensi xv. Martii anno mdcvi. regnorum nostrorum Romani xxxi. Ungarici xxxiv. et Bohemici xxxi.

L. S. RODULPHUS

Zdenko Adamus Poppl de Lobkowiz
s. r. Bohemiae cancellarius.

LVIII. Cum autem summus pontifex petitis fratrum Belgicarum provinciarum indulsisset: *Pro iniuncti* die ii. Iulii, ut vivendi normam fratribus reformatis Italiae primum ac inde recollectis Galliarum traditam et ipsi in eorum coenobiis peragerent, in Belgium idem minister generalis mense Novembri contendens, aggressam reformationem, comitiis praecipue provincialibus quibus praesto erat ubique, sedulo fovit. Hoc tempore Romam accesserat p. Didacus de Veia Hispanus, qui nomine Ioannis a s. Maria iam ministri provinciae s. Iosephi fratrum discalceatorum vicarium generalem de suis ac ab ipsis eligendum ardenti conatu coram pontifice habere conabat, reservata dumtaxat supremo ordinis ministro confirmationis dependentia. Monitus ipse generalis de hoc negotio a Ioanne de Rada eximio viro ac procuratore generali in curia Romana, ut benevolum se redderet discalceatis fratribus eorumque animum emolliret, datis Pragae sub die xii. Novembris literis, delegit laudatum Ioannem a s. Maria commissarium generalem visitatorem suarum provinciarum s. Iosephi, s. Ioannis Baptistae et s. Pauli, quem tamen anno insequenti ab eodem munere amovit. Ut vero querelas ad pontificem delatas efficaciter dilueret, officii sui illaesam dignitatem ordinisque unitatem tueretur, aliis Pragae sub eadem die vulgatis epistolis tanto viro dignis, gravia adduxit incommoda, quod in uno minorum ordine tot debeant reperiri capita, quot ab eo enatae reformationes. Insuper et alias ad eos misit literas paterni quidem amoris, aequarumque querelarum plenas, novitates istas non a bono sed a levitatis spiritu processisse demonstrans. At frustra: ipsi enim pro consequendo generali vicario summa animi contentione summum pontificem urgebant. Verum de hac re anno sequenti.

Idem tom. 2 pag. 291.

Matritense in bull. tom. 1. pag. 301.

De Gubernatis tom. 3 pag. 292.

LIX. Dum haec agebat in Belgicis provinciis minister generalis, s. Franciscus Solanus multa pro Dei gloria animarumque salute sustinebat apud Peruvianas regiones. Ut autem Deus eius sanctitatis famam illustriorem redderet, prophetiae ac cordium scrutationis dono exornavit. « Orationis fons, *ita Navarrus in eius vita*, profundissimus est, a quo amoenissimi scaturiunt rivuli, et quasi a foecundissima causa multiplices effectus binc profecto oriebatur illa coelestis luminis participatio, qua servi Dei illustrata mens futuros eventus in tenebrosa contingentiae caligine videbat, et inscrutabilia humani cordis arcana penetrabat, quaque magnum praedicationibus suis aestimationis pondus addebat. Suppetunt equidem innumera illius revelatae cognitionis exempla, quorum praecipua et magis utilia hic enumerare sufficiet ».

Acta ss. ad diem 24. Iulii.

LX. « Cum, ut supra diximus, e Limana civitate officia sibi oblata detrectaturus Truxillum se recepisset, et in illo conventu delatum sibi guardiani munus aegre gestaret, die xii. Novembris mdciii. s. Didaco sacra, sermonem ad populum habens, praeostensam sibi divinitus eiusdem civitatis destructionem ac ruinam quindecim, antequam eveniret, annis praenuntiavit; addiditque quod quantumvis ea (in qua loquebatur ecclesia) terraemotus violentia concuteretur, ac super pulpitum in quo concionabatur, parietum ruentium moles decideret, hoc tamen intactum nullomodo confringeretur. Quae omnia iuxta eius verbum impleta sunt; mensis namque Februarii die xiv. an. mdcxviii. octavo videlicet post eius obitum, horribili terraemotu loci illius aedificia et templa solo aequata sunt, ac sub eorum ruinis magna hominum copia sepulta; ipsa autem (in qua haec prophetaverat) cathedra absque detrimento perstitit, et sub eadem bona quaedam et inops vetula periculum et mortem evasit ».

LXI. « Haec etiam dum praedicaret vir sanctus, Didacum Sanciom et Mariam Ortegam coniuges ut fugerent a ventura ira admonuit; qui sermonibus eius obedientes in civitatem Limanam se receperunt; ubi cum aliquando p. Didacus Cariel observans recollectus praefatae Mariae ob aerumnas quas Limae patiebatur, reditum Truxillum suaderat, respondit illa, se a s. p. Solano olim fuisse edoctam, quod si tempore terraemotus infallibiliter futuri illic moraretur, sub ruinis foret misere sepelienda. Quae quidem servi Dei prophetia etiam in hac parte completa fuit, cum infelix illa mulier Truxillo paullo ante terraemotum reversa, sub decidente macerie suffocata remansit ».

LXII. « Periculosi partus doloribus ad gravissimos agonis conflictus domina Maria de Sylva Georgii Maurici de Lara ordinis s. Iacobi equitis, et in regia audientia de la Plata auditoris uxor devenerat; desperabatur a medicis de exitu prolis, cui nulla nisi sectionis via patebat. At quoniam ea mortis periculum afferre solet, ideo ad quemcumque tam duri remedii eventum, sacramentorum receptione parturiens mulier disponitur. Quae illa moesto corde recogitans, sibi ante quatuor menses a p. Francisco Solano dictum meminit ut ipsam cum pariendi tempus instaret, ad se vocaret, quia magnum ex sua praesentia erat receptura subsidium. Rogatus itaque vir Dei, paratum crudelis sectionis remedium statim dissuasit, ipsam protinus pulchrum masculum parituram affirmans; interim augebantur praegnantis dolores, caligare coeperunt oculi, et sensuum officia deperdi ita, ut crederetur ab omnibus in mortis agone versari ».

LXIII. « Aderat inter alios secretarius maior regiminis Peruviani, qui in ultimum medelae experimentum moribundam chorda p. Solani circumdari voluit: vix illam sacer funis contigit, cum statim ad se reverti viresque re-

annere visa est. Tunc praefatus secretarius et servus Dei in aliud proximius cubiculum recedentes, ibi brevi spatio temporis transacto, liberatam a partu puerperam et egregiam peperisse feminam ab omnibus et ab ipsa ostetrice acceperunt. Vir autem Dei, quem infallibilis veritas eventum certa praedictione docuerat, deceptos omnes in sexu prolis respondit: *observent*, inquit, *diligenter quia masculus est et Francisci nomine decorandus*. Inspecto ergo foetu, pulcher et decorus filius esse comperitur, ac in sacro baptismatis lavacro ob servi Dei reverentiam Francisci nomen accepit. Quamquam autem mater illa plurimos in temporis decursu genuerit filios, iste tamen omnibus vita longiore superstes fuit ».

LXIV. « P. Ludovicus de Ayala societatis Iesu religiosus cum adhuc in saeculo degeret, se aliquando vitam regularem amplexurum a viro Dei Francisco audivit. Cuius et aliud spiritus prophetici irrefragabile signum habuit, dum laboranti mortali aegritudine et a medicis desperato ipsius parente Ferrerio de Ayala, cum servi Dei precibus commendaturus ad conventum s. Mariae Angelorum accessit. Nam ab oratione, cui ab omni humana conversatione segregatus a quibusdam diebus vacabat, se ipso desistens vir sanctus, ad se conveniri praevidens, ad ostium monasterii perrexit et solita vultus laetitia alterius verba praeveniens, bis repetiit: *valde aegrotat pater tuus: haec tamen infirmitas non est ad mortem*. Effectus praeter humanam spem subsequutus, eius promissum confirmavit ».

LXV. « Similiter et p. Andreae de Fizaguirra ordinis b. Mariae de Mercede religioso ad se pro vicario generali dictae religionis aegrotante, precibus commendando venienti occurrit in claustro Franciscus, eumque praeveniens, ait: *dic patri vicario generali, ne Deum tentet, sed protinus e lecto consurgat*. Insuper plurimos casus ipsemet p. Andreas praedixit, qui eum omnes successive evenerint, propheticum servi Dei spiritum contestantur ».

LXVI. « Filius Mariae ab Ortega induendo sacrae religionis augustinianae habitu admissus, iam corona monachali signandus, et veste regulari erat insigniendus: quo audito, mater ad conventum s. Francisci accurrit, et p. Solano conqueritur, quod filius iam pridem ordini minorum a se consecratus, modo augustiniana tunica vestiretur. Cui b. pater respondit: *religiosus quidem puer erit; non tamen in s. Augustini familia*. Domum ad haec reversa mulier, adolescentem ab incepto proposito mutatum invenit, qui postea franciscanum ingressus ordinem, frater Lucas Sancius est appellatus ».

LXVII. « Dum semel per Limanae civitatis vias praedicaturus exiisset simul cum copiosa plebis multitudine accessit quaedam serva Nigra semestrem puellulum gerens: ad quam conversus vir Dei et infantulum alloquutus, ait: *parve angele mori antequam peccare*. Has licet incertae significationis voces excepit serva parens, et lacrymabunda domum reversa est: fletus causam quaerenti patronae respondit: *se certum filioli interitum dolere, quem vir Dei Solanus praedixerat moriturum*. Et revera notatum est, quod cum aegrotare coepit Franciscus, infirmatus est puer, et tridno post eius mortem e vivis decessit ».

LXVIII. « Ambulanti per claustrum conventus Limensis homini depravato et vitiorum corruptione multorum contaminato, obvium se fecit vir sanctus, eumque monuit, ut a via pessima ad salutis semitam media poenitentia converteretur, quoniam futuri erant dies eius pauci et finis interitus imminebat.

Perterritus admonitione peccator compunctus est et ab iis quibus sibi dicta retulerat amicis, eodem anno febre quartana occubuisse memoratur ».

LXIX. « Aegrotavit aliquando pericula aegritudine uxor Georgii Lopez; parentes vero infirmae in maritum male affecti, se omnem ea defuncta sublaturos esse (quam attulerat) dotem minabantur. Afflicti hominis casum edoctus Franciscus, ipsum admonuit, ne frustra moerore consumeretur; nascituram quidem eam in brevi ex uxore filiam, quae ab huiusmodi formidine ipsum liberaret; coniugem autem, Deo sic ordinante, morituram. Veritatem assertionis eventus subsecutus probavit ».

LXX. « Domina Ioanna de Sylva p. Bonaventurae a Salinis et Corduba mater, gravibus infirmitatibus iam pridem afflicta et lecto detenta, a viro Dei visitari solebat. Quadam vero die ad vesperam p. Ioannes Sebastianus a. Iesu provincialis eamdem invisens, post proposita consolationis verba et salutis monita in angulum cubiculi cum servo Dei Francisco secessit: qui cum invicem demisse confabularentur, et infirma tranquille quiesceret, subito infremens spiritu vir Sanctus ad lectulum properavit, et aegrotam, ut daemonis suggestionem quam tunc patiebatur detegeret, interpellavit ».

LXXI. « Cui illa respondit, satanam modo in mentem ipsius inducere velle perversam cogitationem, graviora scilicet ipsam iam pati in cubili, quam Christus sit passus in cruce, et acerbiores sicut et diuturniores esse eiusdem dolores, quam Salvatoris cruciatus; in quo cum divinitas humanae naturae roboraverit infirmitatem, et trium horarum spatium tormentis acrioribus dederit finem, non erat, cur illius aerumnae suis conferrentur. Admirati sunt circumstantes hostis tartarei fraudes; sed ad spiritum viri Dei invisibilia penetrantem magis obstupuerunt; qui quam nec verbis, nec signis, nec motibus infirmae noverat tentationem, didicerat revelatione. Eamdem ad ultimum vitae periodum tandem perductam, consiliis et orationibus sublevaturus invisit: quae cum ob vehementiam dolorum sopita iacere teneretur, statim vultu laetitia perfuso super lectulum sedere incepit. Accessit ad eam vir Dei, et divino lumine quod novi contigisset agnoscens, stupentibus ob casum aliis, eam verbis dulcissimis monuit, quatenus ob gloriam Dei et circumstantium utilitatem, visionem quam viderat et nova quae coelestis nuntius attulerat, enarraret. Cui illa morem gerens, ait, se angeli sui custodis benigno potitam aspectu ac eius didicisse colloquio, condonata sibi fuisse peccata, et in brevi se carne solvendam, ac ab eodem in regno beatitudinis transferendam; et in his dictis inter exiguum tempus suaviter expiravit. Ex quo manifeste liquet, viram Dei aut mundis purgatisque oculis angelicam detexisse praesentiam, aut quod corporalis acies lucis non poterat, prophetici spiritus intelligentia retulisse ».

LXXII. « Frater Bernardus Arias minor laicus, dum annum probationis ageret, graves circa vocationem religiosam patiebatur tentationes; cumque aliquando viro Dei celebranti ministraret, urgentissimum daemonis de repetenda saeculo et habitu abiiciendo sensit impulsum. Hinc inimici suggestionem divino lumine perspiciens sanctus sacerdos, occasiona lotionis manuum ministro vicinior factus, voce dimissa ne a circumstantibus audiretor, ait: *nolis frater, vestem exuere, nec diabolicae voci obedias; cave ne te decipiat*. Obstupuit ad haec tentatus novitius, et sibi prius ignotum patrem coepit imposterum ut prophetam reputare, eiusque monitis acquiescens, in sancta vocatione perseveravit ».

LXXIII. « Quidam Limanum conventum ingressus, ut religiosum sibi familiarem inviseret, dum vocatum in claustro expectat, a viro Dei convenitur, et an amicum quaereret, interrogatur. Qui de ebsro sibi religioso illum sciscitari existimans, annuendo respondit. At pius pater se non de temporali amico, sed de vero et aeterno animarum dilecto Christo (quem hic graviter offenderat) se loquutum affirmans, hominem solicite monuit, ut a peccatis abstineret ac proximam peccandi cum tali muliere fugeret occasionem, meretricem illam omnino desereret, ac ne illa nocte ob paratum ei mortis laqueum in urbem exiret. His verbis emollitus et stupefactus peccator, ad promptam confessionem inductus est; quae quia repentina nimia defectu praeparationis videbatur, institit Franciscus se in suam curam eius dispositionem suscepit ».

LXXIV. « Dum ergo ille cellam servi Dei ingressus conscientiae reatus confiteretur, hic adeo distincte omnia delicta ei reducebat in memoriam, quasi de praesente et vidente cuncta patrasset. Tandem cum poenitens nihil ulterius latere putaret, addidit prudens confessarius, unum adhuc esse cordis vulnus ignotum; illo vero e contra asserente, iterum adiecit: nunquid recordaris huiusmodi puellae, quam in perpetuae iacturae discrimen adducis? Sic igitur confessione completa, imposterum a pessima mulieris conversatione abstinuit. Memor autem integri vaticinii nocte illa e domo egredi non est ausus; et recte quidem; nam postea quidam alius, qui eamdem meretricem affectu intensissimo deripiabat, ipse ingenue dixit: quod si praefata nocte od domum mulieris accessiset, proculdubio pugione confodiendus, in ipsis (quas idem ei paraverat) insidiis periisset. Haec omnia homo illo ex peccatore iustus, et ideo accusator sui factus, ad Dei gloriam necnon ad tanti patris honorem iuridice declaravit ».

LXXV. « Cum Gregorius Lopez secretum odium erga quemdam in corde foveret, a viro Dei in confessione audiri poposcit. Cui ille: *esto*, *sed prius vade reconciliari proximo tuo, quem iniuriis affecisti*. Obstupefactus homo paruit, et venia ab eo quem laeserat, impetrata, ad salutarem poenitentiam cum summa animi sui consolatione receptus est. Cum etiam mulier quaedam Maria de Valera aliquando se servi Dei precibus commendaret, respondit illi vir sanctus: *depone odium ex corde et inimicitiam qua Deum offendis, extingue, et tunc pro certo habeas, quod te divina misericordia multis cumulabit beneficiis*. His verbis compuncta mulier secretam quam paternae haereditatis occasione in fratrem suum germanum conceperat aversionem, in amorem et pacem convertit, ac postmodum plurimis a Deo gratiis iuxta prophetae verbum donata est ».

LXXVI. « Solebat venerabilis pater tam crebro se distinctae cuiusdam viri gravis occulta cordis arcana manifestare, ut ille non semel ab eius colloquio et occursu fugeret, ne latentes conscientiae reatus sibi declararet. Inter alia autem quadam die cum tentationis violentia superatus, impuram mulierem conveniret, occurrit eunti Franciscus, et acribus verbis quam patraturus erat turpitudinem exprobravit, quidquid animo volvebat, aperuit, nomen meretricis indicavit, de periculosa eiusdem infirmitate admonuit, et quod optimum est, hominem a praecipitio peccati aversum ad contritionem et culpae horrorem adduxit ».

LXXVII. « Maria Magdalena a Salinis secretum quod de habitu s. Clarae induendo propositum duobus tantum confidenter manifestaverat, ad conventum s. Francisci pro confessione accedens, a viro Dei Francisco penetratum obstupuit; hic enim in confessionarium missus, statim alacri vultu eam praevenit: *fauste*, inquiens, *veneris sponsa Christi*; *gavisi sunt angeli de propo-*

sito tuo; esto patiens et constans quoniam multae exurgent parentum in professione contradictiones; sed deficient omnes et bene tibi cuncta succedent. Detectum cordis arcanum virgo admirans, cum postea monasterium ingressa, quas vir Dei praedixerat procellas et felicem earum exitum vidit, ipsum prophetica illustrari notitia non dubitavit ».

LXXVIII. « Frater Idelphonsus laicus dum viro Dei in ultima eius aegritudine ministraret, ipsius vultum aridum et macilentum aliquando intuitus eiusque eminentem recogitans sanctitatem, secum cogitare coepit: *vere hic est imago perfectissima s. p. n. Francisci.* Tum vir humilis et illustratus, spiritu interno secretum fratris doctus, ait: *roga Deum, frater, ut a te hanc cogitationem omnino avertat* ».

LXXIX. « Ambulanti per conventus Limensis claustrum Petro de Aldasalazar obvium se praebuit religiosus quidam incognitus, qui ait: *scias domine, quod Deus suis tecum usus est misericordiis, cum te tantum ad poenitentiam expectaverit. Recordare culparum quas in Gallia, Castella, Lusitania et alibi perpetrasti.* Obstupuit homo ad haec verba, et ad distinctam locorum in quibus fuerat, designationem; quis tamen ea fuisset locutus ignorabat, donec sparso rumore de sancti euiusdam viri transitu, ad videndum eum perrexit; quem ut intuitus fuit, inquit: iste est qui mihi conscientiae statum revelavit, nomenque sciscitatus, patrem Solanum vocari accepit ».

LXXX. « Eodem spiritus lumine properantem ad singulare certamen Ioannem Leuiam Bolanum prospiciens, ad pacem cum adversario reduxit. Sic et Ioannem Luzarium de Savedra, forte in ecclesiam conventus Limani ingressum, vir Dei ex improviso comparens, ad concordiam cum quodam milite contra quem pugnaturus ibat, ineundam, et ad deponendum ultionis appetitum, distinctis ac fervidis verbis est adhortatus ».

LXXXI. « Occasione iniuriae commotus Franciscus Idelphonsus de Caravaial, alteri vitam eripere decrevit. Cumque propterea opportunitatem quaereret, forte conventum s. Francisci ingredi debuit. Cum statim Franciscus verbo plane et ore ignotus occurrit, et voce benigna rogavit, ut sibi eleemosynam largiri dignaretur. Et interroganti quid peteret, respondit illi Dei servus: *ut perversam quam formaverat cogitationem omnino repelleret; facturus inde Deo gratum obsequium et ipsi largum beneficium, ac se etiam scuto patientiae quo praesertim indigebat, armaret.* Erat tandem viri Dei obtutus in perscrutandis cordium arcanis ita perspicuus, ut multi secretorum suorum revelationem timentes, aut aliquando ipsius occursum declinarent, aut in principio sermonis occultas cogitationes ultro patefacerent. Quam quidem divinae largitatis gratiam quantum in proximi bonum insumpserit, relata iam argumenta probarunt ».

LXXXII. « Animas Limani populi praedicationis verbo et prophetiae lumine curabat vir sanctus; corpora vero orationis et meritorum efficacia a mortis faucibus et periculis eripiebat. Doctor enim Ioannes Velasquez ecclesiae Limanae archidiaconus oppressus aegritudine, ad se virum Dei Franciscum vocari iussit; quo manibus capiti ipsius impositis, evangelium recitante, illico dolorem mitigari et minui sensit, ac perfectae sanitatis spem certam concepit, quam et absque alio remedio est assecutus ».

LXXXIII. Anginae dolore laborans et in vitae discrimen deducta Dominica Mayor ab Alacorn, p. Didacum a Pineda guardianum rogavit, ut sibi aliquam s. patris Solani adhuc viventis chordam mitteret; qua quidem accepta, hora

vespertina quarta se praecinxit. Die vero sequenti ulcus pestilens, foetidam et maleolentem saniem per ipsum os infirmantis emisit, admirante medico et casum repentinum miraculo adscribente ».

LXXXIV. « Cum Michael a Belilla bibliopola lethalis febris violentia ad ultimum vitae terminum pervenisse videretur, susceptis ex medicorum de salute eius desperantium consilio sacramentis, vocantur religiosi qui ipsum in agone positum adiuvarent. Mittitur p. Franciscus Solanus, qui cum alio S. I. patre preces animae transmigrantis commendatitias de more recitavit. Interim advenit medicus nomine Raymundus; cum hora esset post dimidium septimo aegrotum certissime iuxta regulas artis inter quatuor horas; idest circa mediam noctem moriturum adfirmavit. At vero servus Dei Franciscus ad infirmum accedens et prolato super eum evangelio, ad socium conversus, ait: *redeamus ad conventum, plus enim ibi quam hic agemus*. Expectatur itaque transitus moribundi, eum ecce ea qua medicus animam exituram praedixerat hora, repente infirmus ab omni aegritudine liber, cunctis mirantibus sanus apparuit, et intra duos aut tres dies e domo egressus, rediit officinam. Eum ibi praefatus medicus cum vidisset obstupefactus et putans phantasma videre, se cruce signavit; ille autem repentinam sanitatem meritis et orationibus s. patris Solani adscribere haudquaquam dubitavit ».

LXXXV. « Didacus de Astorga copiosum ab ore sanguinem per triduum emiserat, et tria vasa non parva illo humore repleverat. Cum vero a viro Dei Francisco confessario aquae purae et nitidae poculum sibi porrectum hausisset, illico sanguinem firmatum et aegritudinem omnino abscessisse sensit. Multa alia accepta beneficia referuntur, quibus totam illam civitatem perpetuae gratitudinis vinculo sibi devinxit ».

LXXXVI. Hoc anno vel die VI. vel X. Aprilis aetatis suae septuagesimo, moerore contracto, tum ex improviso supplicio comitis Essexii sui olim coniunctissimi, tum quia ab omnibus deserta, obiit Elisabeth Angliae regina, catholici nominis et puritatis fidei hostis infensa, cuius tyrannide innumeri christifideles martyrii coronam accepere. Ex testamento suo successorem habuit Iacobum Mariae invictissimae reginae item Angliae, germanae Henrici VIII. quam crudeli morte affecit, filium, qui licet lac catholicum suxisset, haereticorum tamen labe infectus, veram fidem et ipse acriter insectatus est. Vergente hoc anno in Anglicanis comitiis primatum obtinuit in rebus ecclesiasticis uti caput ecclesiae Anglicanae. *Spondanus ad hunc. ann. n. 3. et 4.*

LXXXVII. Aliqua iubet summus pontifex. Iubet ne a parochis et clericis exigi possit maior eleemosyna pro illis, qui in ecclesiis fratrum minorum de observantia in partibus Indiarum tumulantur: *Expositum* die XXVIII. Ianuarii; similia et hoc anno mandavit: *Perlatum est* die XVII. Novembris; inhibet auferri vel occultari bona o conventibus fratribus reformatis concessis: *Decet* die XXIV. Iulii; mandat ut certum numerum monialium praefiniant episcopi in monasteriis Portugalliae: *Cum sicut* die VIII. Martii; praescribit normam pro erigendis coenobiis regularium: *Quoniam* die XXIII. Iulii; applicat bona fratrum minorum conventualium et fratrum tertii ordinis adhuc extantia in regnis Hispaniarum monialibus clarissis: *Dudum* die VI. Octobris; iubet ut in monasterio conceptionis oppidi Civitatis Monte de Soria de triennio in triennium nova eligatur abbatissa et vicaria: *Expositum* die X. Decembris; subiicit ministro generali fratres tertii ordinis in regno Galliarum; *Ex iniuncto* die II. Octobris; confirmat quaedam statuta edita a ministro generali pro

fratribus discalceatis provinciae Arrabidorum: *Decet* die xx. Septembris; absolvit a regimine regii monasterii s. Clarae Neapolis Marcum a Marcianislo dominicano, et illius curam committit fratribus reformatis: *Alias* die x. Novembris; ratam habet quamdam venditionem praediorum peractam in favorem fratrum conventualium Montis Bodii Senogallien. dioecesis: *Expositum* die xxiv. Novembris; transfert ab ecclesiis monialium satisfactiones legatorum ad ecclesias fratrum minorum de observantia: *Ex debito* die viii. Novembris; subiicit regimini administri provinciae Argentinae ac Bavariae monasterium omnium SS. Graecii dioecesis Salisburgensis, erectum a Maria archiducissa Austriae vidua. *Expositum* die xiii. Februarii; confirmat venditionem quorumdam praediorum existentium tum in Lauden., tum in Placentin. territoriis, ad monasterium s. Clarae Papien. pertinentium pro sustinenda lite: *Exponi nobis* die xxiv. Martii; ut moniales s. Clarae Illerden. remaneant sub regimine fratrum minorum de observantia: *Alias* die xix. Aprilis; adprobat emptionem cuiusdam praedii pro hortorum ampliatione conventus fratrum reformatorum Suleti Hydruntin. dioecesis: *Expositum* die x. Iunii; subiicit episcopo Spoletano monasterium clarissarum Montisfalchi: *Cupientes* die ix. Iunii; subiicit archiepiscopo Ragusino monasteria clarissarum s. Petri et s. Clarae eiusdem civitatis: *Cupientes* die iii. Septembris; archiepiscopo Calaritano monasterium s. Luciae eiusdem civitatis: *Cupientes* die xxii. Septembris; confirmat privilegia fratribus discalceatis provinciae s. Iosephi concessa: *Alias* die xxix. Aprilis; ut iidem fratres provinciae s. Pauli pacifice possideant ecclesias et coenobia pro eis erecta: *Cum sicut* die xxv. Decembris.

LXXXVIII. Indulget, ut fratres reformati conventus s. Crucis Neapolis recipiant quingentos ducatos eis relictos a quondam Ferrante Paoluccio Neapolitano od instituendum valetudinarium pro fratribus infirmis illius provinciae: *Vestro nomine* die xvii. Februarii; ut iidem fratres conventus s. Antonii extra moenia urbis Tarantin. recipiant ducentos ducatos ab Aurelia Boffoluta relictos titulo legati eidem coenobio a quondam Hieronyma Bugerio, absolvens fratres ab onere celebrandi quotannis duo anniversaria, et singulis per hebdomadam dictas binas missas, testatricis voluntatem communibus orationibus et sacrificiis, quae pro benefactoribus per diem aguntur, commutans: *Expositum* die xviii. Februarii; applicat legatum scutorum cccc pro reficienda fabrica conventus reformatorum in Terra Monopolis provinciae Romanae, relictum a quondam Paulina, seu Tenaglia pro inibi construendo coenobio capucinorum, quod ipsi capucini noluerunt acceptare: *Expositum* die xv. Iulii; transfert quaedam legata a conventu reformatorum s. Mariae de Puteo ad ecclesiam collegiatam s. Mariae Maioris oppidi Summae Nolan. dioecesis, quem antea minoritae de observantia incolebant; *Regimini* die ii. Decembris; tribuit facultatem episcopo Foroliviensi transferendi imaginem et pium legatum ab ecclesia s. Hieronymi Faventiae conventus reformatorum ad ecclesiam b. Mariae Paradisi fratrum tertii ordinis: *Dilecti filii* die vi. Martii; similia ei tribuit circa imaginem assumptionis b. Mariae virginis in eadem ecclesia positam: *Dilecta in Christo* die vii. Martii; ut Franciscus Agliata laicus Panormitanus transferat duo mortuorum corpora ad novam ecclesiam fratrum minorum de observantia in Baronia Villaefrancbae in Sicilia: *Exponi nobis* die xxvii. Maii; indulget, ut bis in anno ingredi possit in monasterium Purificationis clarissarum de Urbe Iulia Cinqnina, vidua Marii Ferri, eiusdem monasterii fundatrix: *Spirituali* die xviii. Ianuarii; ut duodecies in anno in-

gredi valeat in monasterium s. Clarae Terrae Ossonae Bisuntin. dioecesis Maria de Brichanteau de Senese: *Spirituali* die xvii. Maii; similia indulsit bis in anno pro monasterio s. Clarae oppidi de Palma Frauciscae de Mendoza et de Luna comitissae eiusdem oppidi: *Piis ac devotis* die xi. Augusti.

LXXXIX. Committit Simeoni de Diano fratri ordinis reformatorum perficiendi notam omnium legatorum existentium in eorum ecclesiis in regno Neapolitano: *Cum tu* die xx. Iunii; ut Ioannes Salvagerius minorita de observantia commissarius apostolicus provinciae Aquitaniae Antiquioris fungatur officio provincialatus ad alios sex menses, nimirum usque ad celebrationem provincialis capituli: *Cum sicut* die xxviii. Iulii; mittit in provinciam Candiae Franciscum de Belgioioso minoritam de observantia apostolicum visitatorem: *De statu* die iii. Decembris; in provincias Belgicas, Flandriam, Brabantiam, et in provinciam s. Andreae pro amplianda recollectorum familia Andream a Soto Hispanum: *De tua pietate* die xxv. Octobris; in provinciam Ragusiae Petrum ab Arcu ex reformatorum familia: *Cupientes* die xii. Octobris; in custodias reformatorum provinciae Siciliae, Septem Martyrum, Calabriae, et Basilicatae mittit Antonium Pattenti ex eodem instituto: *Cupientes* die iv. Iunii; sub eadem die datis iisdem literis mittit in custodias provinciae Principatus, s. Nicolai, s. Angeli, s. Bernardini, et Terrae Laboris Dionysium a Cilento; in custodias provinciarum s. Francisci, Marchiae, Florentiae, Senarum, et Urbis Romae Paulum de Clavasio: *Cupientes* die xi. Iunii: in Galliarum regno loco Nathanaelis de la Sage instituit commissarium visitatorem fratrum tertii ordinis Mathurinum Marsaldum: *Cum dilectus* die vi. Iunii.

XC. Privilegiatum declarat altare maius ecclesiae s. Petri terrae Romae Bosnen. dioecesis: *Omnium saluti* die vii. Iunii; altare b. Mariae virginis in ecclesia s. Catharinae Crescevi dioecesis Bosnen. *Omnium saluti* die eadem; altare s. Rochi in ecclesia s. Mariae de Visovaz Bosnen. dioecesis: *Omnium saluti* die xxiii. Decembris. Huiusmodi ecclesiae subsunt minoritis de observantia. Etiam altare s. Francisci in ecclesia monasterii clarissarum Omnium SS. terrae Gratz dioecesis Salisburgensis simili privilegio exornat: *Omnium saluti* die iv. Decembris.

XCI. Adprobat confraternitates ss. nominis Iesu erectas ac erigendas in provinciis regni Peruviani et indulgentias largitur: *Cum sicut* die xxx. Iunii; concedit indulgentias confraternitati s. Antonii Patavini erectae in civitate Ferentini: *Cum sicut* die xxii. Ianuarii; confraternitati s. Crucis erectae in monasterio s. Clarae civitatis de Guamanga Cuzcan dioecesis in Peruviano regno: *Cum sicut* die xxiii. Februarii; confraternitati s. Sebastiani erectae in ecclesia s. Francisci oppidi Lucernae dioecesis Constantiensis: *Cum sicut* die iii. Martii; confraternitati s. Antonii Patavini erectae in ecclesia parochiali de Margen et Lagomel dioecesis Portalegreu. *Cum sicut* die iv. Martii; congregationi immaculatae Conceptionis erectae in ecclesia s. Ioannis Baptistae oppidi de Pilenen. Cracovien. dioecesis: *Cum sicut* die xxi. Martii; congregationi ss. Septem Fratrum erectae in ecclesia s. Francisci oppidi de Teva Hispalen. dioecesis: *Cum sicut* die ii. Aprilis; confraternitati s. Rochi erectae in parochiali ecclesia s. Benedicti de Piavoue Ceneteu. dioecesis: *Cum sicut* die xxvi. Aprilis; confraternitati s. Antonii Patavini erectae in ecclesia huius nominis in loco de Acovaca de Vallereal de Canoz dioecesis Calaguritau. *Cum sicut* die xxviii. Aprilis; confraternitati s. Christophori erectae in loco de Valdelaguna Abulen. dioecesis: *Cum sicut* die xxviii. Aprilis; confraternitati s. An-

tonii Patavini erectae in oratorio claustri ecclesiae conventus s. Francisci Hispalensis: *Cum sicut* die II. Maii; confraternitati b. Mariae virginis erectae in ecclesia s. Barnabae fratrum tertii ordinis in loco de Grattasolo dioecesis Mediolanenensis: *Cum sicut* die x. Maii; confraternitati ss. Stigmatum erectae in ecclesia s. Francisci Matilicae: *Cum sicut* die XIV. Iunii; confraternitati s. Francisci erectae in ecclesia assumptionis Deiparae oppidi de Polonghere Taurinen. dioecesis: *Cum sicut* die v. Iunii; confraternitati s. Bonaventurae erectae in ecclesia huius nominis in civitate Tuden. *Cum sicut* die v. Iunii; confraternitati s. Antonii Patavini erectae in ecclesia s. Francisci de Paula Corduben. de Tecuman in Indiis occiduis: *Cum sicut* die XV. Iunii; confraternitati ss. undecim mille Virginum erectae in ecclesia Gerunden. sub eodem titulo: *Cum sicut* die XXIII. Iunii; confraternitati s. Mariae de Laureto erectae in ecclesia s. Francisci Gorunden. *Cum sicut* die XXV. Iunii; confraternitati immaculatae Conceptionis erectae in ecclesia huius nominis in oppido s. Ioannis de Puertorico in Indiis occiduis: *Cum sicut* die XXVI. Iunii; confraternitati s. Rochi erectae in ecclesia huius nominis in oppido de Puelgar Burgen. dioecesis: *Cum sicut* die XIV. Iulii; confraternitati immaculatae Conceptionis erectae in ecclesia s. Ioannis Baptistae terrae de Servalle Ceneten. dioecesis: *Cum sicut* die II. Augusti; confraternitati s. Francisci erectae in ecclesia huius nominis Vallisoleti: *Cum sicut* die IX Augusti; confraternitati immaculatae Conceptionis erectae in ecclesia s. Angeli in Vado nullius dioecesis: *Cum sicut* die XVIII. Septembris; confraternitati ss. Stigmatum erectae in ecclesia s. Francisci Adrien. *Cum sicut* die VI. Octobris; confraternitati Verae Crucis erectae in ecclesia s. Francisci oppidi de Tebar Hispalen. dioecesis: *Cum sicut* die XXX. Octobris

XCII. Diplomata pontificis relata a Petro de Alva in bullarii indiculo. Cappellania conceptionis in ecclesia s. Petri de Torricella Conchen. *Vitae et morum* nonis Decembris; in ecclesia conceptionis virginis Mariae extra muros Messanen. *Literarum* III. idus Octobris; pro clarissis s. Luciae Mantuan. *Ex iniuncto* XIV. calendas Augusti; beneficium in altare conceptionis ecclesiae Paduan. *Dignum* nonis Aprilis; confirmatur confraternitas erecta in ecclesia s. Annae Mexican. *Illius* IV. idus Maii; beneficium in ecclesia conceptionis Meotis Sylvani Ponnen. *Dignum* XI. calendas Iunii; pro monasterio s. Laurentii in Pane et Perna de Urbo: *His quae* v. idus Septembris; beneficium in ecclesia conceptionis oppidi de Puebla de Guadalupe: *Ineffabilia* nonis Maii; altare conceptionis in ecclesia s. Vincentii loci de Ursarella Albinganon. *Dignum* idibus Novembris; pro conventu s. Francisci Firman. *Ex iniuncto* x. calendas Ianuarii.

XCIII. Summi pontificis voluntate hoc praetulerunt decretum patres visitationis et reformationis apostolicae circa formam observandam a fratribus reformatis in receptione novitiorum.

Cherubinus in bullar. tom. 3. pag. 150. « Sanctissimus d. n. d. Clemens papa VIII. supplicationi fratrum reformatorum ordinis minorum de observantia s. Francisci inclinatus, bonum propositum cuiusque ad ipsam reformatorum religionem transire, in eaque Altissimo famulari cupientis, fovere volens, custodi eiusdem ordinis eum unanimi duorum guardianorum et dictorum discretorum cuiuscumque custodiae voto, plenam potestatem facit recipiendi et admittendi ad habitum sui instituti novitios quovis tempore, etiam extra capitulum. Non obstantibus decretis generalibus sanctitatis suae eo de genere editis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque ».

§. 1. Ita tamen ut prius examinentur diligenter per ipsos custodem, guardianos et discretos recipiendorum et admittendorum qualitates, iuxta ordinis regulam, decreta et constitutiones apostolicas ».

§. 2. « Et custos sub poena privationis vocis activae et passivae teneatur in proximo tunc futuro capitulo custodiali vel eius loco congregatione etiam custodiali singulis annis habenda, referre quot acceperit novitios ac illorum qualitates et in quibus monasteriis recepti commorantur, approbationem et confirmationem receptionis et admissionis ante professionis emissionem obtinere, alias supradicta omnia ex nunc prout ex tunc irrita esse voluit et huius decreti auctoritate declaravit ».

« Datum Romae die dominico XXIII. Novembris MDCII ».

« Antonius Seneca visitat. et refor. apost. secretarius ».

XCIV. Aliae etiam institutiones hoc eodem anno vulgatae fuerunt ab eodem summo pontifice ab omnibus regularibus observandae super receptione et educatione novitiorum in monasteriis designatis vel designandis.

§. 1. « Cum ad regularem disciplinam in singulis religiosorum monasteriis propagandam novitiorum institutio maxime utilis sit ac necessaria, et nihil ad gravem illam ac laudatissimam priscorum patrum vivendi rationem relaxandam, maiorem vim habuisse compertum sit, quam vel nimiam in recipiendis novitiis facilitatem supra numerum quem capere atque alere monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando et examinando eorum spiritu, an vere esset ex Deo, atque ex praecipuo desiderio illi inserviendi, vel denique incuriam in eis educandis atque instituendis ». Idem ibid pag 131

§. 2. « Idcirco ut huiusmodi incommodo deinceps occurratur, praecipitur omnibus et singulis ad quos spectat, ut in recipiendis novitiis et in eorum institutione atque educatione, necnon in magistri et aliorum ministrorum electione praeter alia quae in sacris canonibus ac decretis, praesertim concilii Tridentini, pontificiis et cuiuscumque ordinis aut instituti constitutionibus continentur, tum in aliis designatis quam nunc et in posterum ad hoc designandis monasteriis et conventibus, haec quae sequuntur inviolate observari et exequi perpetuo curent ».

§. 3. « Primum quod attinet ad novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem quae habenda erit de uniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus in vita anteacta, ac praecipue eorum qui sextumdecimum aetatis suae annum excedent, an criminosi, an aere alieno gravati, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxii sint iuxta formam constitutionis fel. rec. Sixti V. et moderationum subsecutarum; illud etiam superiores ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in monasteriis et conventibus ex apostolica facultate novitiatus fuerint instituti, in iis ad religionem nullus in posterum admittatur qui et ex honestis parentibus natus non sit, et conditiones sacris canonibus summorumque pontificum constitutionibus praescriptas non habeat, iuxta decretum super forma recipiendi novitios die XIX. Maii MDCII. editum ».

§. 4. « Quisque recipiendus in aliquo ordine regulari etiam mendicantium, in ea sit aetate constitutus, quam eius ordinis in quo recipietur, regularia instituta et ordinationes requirunt. Eam vero literarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam praeseferat, ut minores et suis temporibus maiores ordines iuxta decreta sacri concilii Tridentini suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimumquintum excedens ad habitum regularem admitti po-

studuerit, et talis eruditionis expers inventus fuerit, in conversorum tantum quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur. Ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum, et nisi saltem praecipua doctrinae christianae capita noverint ».

§. 5. « Demum superiores diligenter exquirant, quo spiritu, quo mente ac voluntate id regularis vitae genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis ac perfectioris vitae, et ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, et an eorum parentes ope et subsidio ipsorum indigentes destituantur ».

§. 6. « Provideant quoque, ut omnes etiam conversi recipiendi, prinsquam ad habitum regularem admittantur, ab iis quibus munus hoc incumbit, de regula quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque regulari et aliis cuiusque ordinis peculiaribus institutis et constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarumdam religionum moris est, nedum conversos ad professionem admittendos, verum et oblatos, ut vocant, recipere, circa ipsorum oblatorum receptionem unaquaeque religio suas peculiares constitutiones specialiaque instituta observare teneatur ».

§. 7. « Statim atque novitii ad habitum recepti et in locum novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactae vitae conscientiam discutiant et expurgent ».

§. 8. « Quod vero ad loci qualitatem uniuscuiusque novitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte conventus et monasterii in qua degunt professi, segregatus sit atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterni possint, in quo etiam cellula vel certus ac determinatus locus pro magistro eiusque socio reperiatur. In eo etiam praeter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes seu conferentias faciendas, ac lectiones instructionesque magistri audiendas, et in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant. Oratorium insuper seu cappella, si commode fieri poterit, ad novitios in spiritualibus, praesertim in caeremoniis ecclesiasticisque functionibus exercendos; hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem bene conclusus atque munitus adsit. Sin minus, hortum caeteris fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis vero novitiis ibi commorantibus, curabit magister cum loci superioris auctoritate, si opus fuerit, ne in eumdem quisquam alius ingrediatur. Ad huiusmodi locum novitiatus nemini eiusdem vel alterius ordinis regulari etiam conventus et monasterii officiali, ullo unquam tempore sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam magistro eiusque socio, ac etiam monasterii aut conventus superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessarium existimaverit; quo tamen casu aliquem semper ex senioribus conventus vel monasterii patribus socium assumat. Huius loci clausurae clavis apud magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere. Si quis autem novitiorum quempiam alloqui voluerit, magistro praesente et non aliter alloquatur ».

§. 9. « Novitiorum magistro socius, si per novitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita et moribus, quoad fieri poterit, consimilis deputetur, qui in bis quae ad novitiatus regimen spectant, dicto magistro immediate subiectus existat, eliganturque tam magister quam socius per pro-

vinciale capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subditori. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare nova loca novitiatus concedi contingat, tunc electionem magistri novitiorum et socii huiusmodi, in his novis locis per generalem vel provincialem seu ministrum aut eorum visitatores seu vicarios, de definitorum tamen vel graviorum aliorum patrum consensu fieri permittitur, idemque servetur, si intra triennium, alterum vel utrumque urgenti aliqua de causa ex illis locis amoveri vel mori contingerit, in cuius vel quorum locum alii consimiles subrogari debeant. Tam novitiorum magister quam socius ab his omnibus officiis oneribusque vacationem habeant, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant. Ipse magister sacerdotali ordini sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, et per decennium a professione emissa in religione perstiterit. Socius vero trigesimum annum excedat; sintque ambo doctrina et quantum per superiorem diligentiam et vires fieri poterit, vitae etiam anteactae exemplo praestantes, orationis praeterea et mortificationis operibus addicti, prudentia charitateque referti, non sine affabilitate, graves, zelum Dei cum mansuetudine praeseferentes, ab omni cordis ac animi perturbatione, ira praesertim et indignatione, quae in se et erga alios charitatem impedire consueverunt, quam longissime alieni, et tales demum qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum praebeant, ut ii qui eorum curae subsunt, illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam possint. Habere etiam magister plenam et absolutam potestatem circa novitiorum institutionem ac novitiatus regimen ita, ut in illis nemini (visitatoribus ac superioribus maioribus vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat. Curam adhibeat diligentem, ut novitii omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque praecipue divinae qua digni facti sunt, vocationis praestantiam et excellentiam, quae vero sit atque perfecta votorum solemnium, et quam necessaria cuiusque ordinis constitutionum observantia, modum in oratione tum vocali, tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones et vitia (ad quae natura per peccatum labefactata omni tempore prona est atque proclivis) per sensuum custodiam et mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiae puritatem, crebra illius discussionem, sacramentorum frequentiam, confessionis praesertim quae bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis et tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus diuturnumque silentium ».

§. 10. « Quilibet novitius bis quotidie orationi mentali et vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem et ordinem sibi a magistro praescriptum; pluries in die propriam conscientiam unusquisque examinare contendat. Ipsi autem magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen superiori etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem novitiorum confessiones audire ».

§. 11. « Quotidie missae sacrificio intersint, et statutis horis in choro nocturnis diurnisque divinis officiis assistant ».

§. 12. « Exercitationibus etiam corporalibus vacent; legant vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quae in solitario loco et commodo extra novitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltem

hebdomadibus longior statuatur, fiatque semper magistro praesente vel socio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disiuncti, atque eo tempore, cuiusque in quam natura feratur, propensionem scrutentur ».

§. 13. « Non liceat eis durante novitiatus et probationis tempore, una cum professis nisi in choro, in ecclesia tempore officiorum, in processionibus aut in coenaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari ».

§. 14. « Pro communibus et propriis cuiusque necessitatibus quae accidere possunt, unus ex novitiis ipsis, aetate moribusque provectior deputetur, qui absente socio, magistro permittente, omnia prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuae custodia et rerum levioris momenti provisio intra novitiatum committi poterit ».

§. 15. « Cum autem licet clericorum bene instituendorum cura debet esse praecipua, conversorum tamen religiosa instructio non sit praetermittenda, quia potius aequanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam cum regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem, tum religioni decorem et ornamentum, tum aliis christifidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre. Conversis ipsis a clericorum novitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commode fieri poterit) assignari praecipitur. Illi tamen hac separatione non obstante, magistro novitiorum seu superioribus monasteriorum et conventuum, iuxta cuiusque ordinis statuta et constitutiones subditi esse et obedientiam praestare debebunt, a quo non tantum circa corporalia obsequia probandi et exercendi; verum etiam pro eorum capacitate et commoditate, de spiritualibus praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt; quod ut commodius fiat, ad capitula et spirituales conciones quae per magistros novitii fieri solent, accersiri debeant, et in ecclesiis statutis horis conveniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint ».

§. 16. « Tempore vero probationis elapso, ii tantum qui non solum religiosae perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, novo ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo aetatis suae annum, quoad clericos decimumsextum, quo vero ad conversos vigesimum primum excesserint) ad professionem admittantur. Sed qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint ».

§. 17. « Superior cuiuslibet conventus, in quo novitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo uniuscuiusque novitii professio registretur, illamque novitius professus propria manu, et duo testes qui praesentes fuerint subscribant. Conversus vero literarum ignarus, professus in eorumdem testium qui se subscripserint, praesentia, propria manu signum crucis apponat, asserveturque liber et custodiatur in archivo ubi scripturae ad monasterium seu conventum pertinentes reponi consueverunt ».

§. 18. « Quia vero in quibusdam ordinibus filiationis usus est receptus, declaratur quod licet decretum sit, ut novitiis educandis certa monasteria aut conventus designata quilibet ordo habere debeat, licitum tamen sit superioribus monasteriorum et conventuum huiusmodi ordinum, in quibus filiationis usus receptus est, eos quos praenarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios iuxta cuiusque ordinis constitutiones adscribere, sicque adscriptos, cum iuxta praesentes institutiones et alias servatis servandis, ad ordinem recepti fuerint, ad loca novitiatuum cum testimonialibus literis transmittere, ubi

tamquam dictorum conventuum seu monasteriorum filii, eorumdem nomine et instantia recipi, ac in novitiatu probari, et deinde antequam ad eadem monasteria seu conventus filiationis huiusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, ut praemissum est, exerceri debebunt ».

§. 19. « Porro ne loca unius monasterii seu conventus ab alio praeoccupentur, capituli generalis aut provincialis partes erunt numerum praescribere pro omnibus, et eam similiter rationem circa alimentorum contributionem (si opus fuerit) inire, ac singulis conventibus et monasteriis praescribere, quae magis expedire videbitur ».

§. 20. « Ut autem novitii iam in professorum numerum (sicut praemittitur) recepti, melius in bono spiritu regularisque disciplinae observantia stabiliantur et confirmentur, mandatur ut statim post professionem emissam, si in conventibus aut monasteriis pro novitiatibus assignatis locus aderit secundi novitiatus sive professorii, ab ea quae novitiorum est, atque antiquorum professorum habitatione distinctus et segregatus, ubi collocentur, si monasterium aut conventus eos alere queat; sin minus in alium commodiorem conventum aut monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad novitiatum supranarratis reperiatur vel accommodetur, aut de novo construatur. Ab hoc tamen illae religiones excipiuntur, quae suarum constitutionum seu institutionum vigore, maioris temporis cursus novos professos intra novitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur; illis tamen permittitur, ut praedictis earum constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationi ac religioni magis expedire diiudicaverint, quibus in locis degant sub regulis et modo vivendi adhuc arctiori, quam servent antiquiores professi, ita quod in negotiis monasteriorum aut conventuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiae officium exercere debeant, ibique permaneant quousque ad aetatem sacris ordinibus suscipiendis sufficientem devenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimo et debebunt litterarum studiis operam navare, sub directione ac regimine superioris, qui eas qualitates habeat, quibus novitiorum magistrum praeditum esse oportere dictum est ».

§. 21. « Declaratur tamen quod propter praemissa non censeatur concessa licentia recipiendi novitios, nisi in locis pro novitiatu designatis, aut in posterum designandis et pro numero dumtaxat in eorum singulis praescripto, vel praescribendo ».

§. 22. « Denique si illi qui inter religiosos gradu et ordine superiores sunt, et alii ad quos spectat in praedictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint seu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium quae tunc obtinebunt, privationem, gravioresque pro modo admissae culpae poenas, se subituros certo sciant ».

« Datum Romae apud s. Petrum die xix. Martii anno mdciii ».

XCV. Laurentius Goslicki Posnaniensis episcopus aliqua indulget fratribus minoritis de observantia in sua dioecesi commorantibus.

Laurentius Goslicki Dei gratia episcopus Posnaniensis etc. reverendo ac religioso patri fratri Hieronymo Przybinski ordinis minorum s. Francisci per universum regnum Poloniae ministro provinciali nobis in Christo dilecto salutem in Domino.

Noverit fraternitas tua, quod tametsi antea eidem facultatem dederamus, fratres ordinis eiusdem ad confessiones christifidelium in dioecesi Monum. prov.

Digitized by Google

nostra, etiam in casibus minoribus episcopalibus, excipiendas admittendi et approbandi; tamen quoniam per nostras speciales literas universis et singulis ordinibus religiosorum dioecesis nostrae, ne in praedicationem verbi divini, sacramentorum ac praecipue confessionum audiendarum administrationem in suis monasteriis et extra per dioecesim nostram absque nostra, vel officialium nostrorum approbatione, tum in sepulturarum absque debita funeralium solutione curationem se temere ingererent, seria inhibuimus et interdiximus, ac terminum eisdem coram nobis comparendi, et causas rationales et iuridicas, quarum ad praemissorum observatianem non teneantur, alligandi assignavimus, ac in eodem termino, causis et rationibus eorumdem coram nobis recensitis inclinati, ipsosque paterno nostro favore prosequi cupientes, potestatem et facultatem eidem praemissa debito modo et ordine exequendi, nempe religiosos ordinis eiusdem in dioecesi nostra ubicumque consistendi ad praedicationem verbi divini, sacramentorum ecclesiasticorum ac poenitentiae exercitium, citra tamen praeiudicium parochialium ecclesiarum ipsorumque rectoralium (potissimum vero circa pascha, ubi omnes et singuli parochiani suis in ecclesiis sacramentum communionis recipere de praecepto ecclesiae tenentur) admittendi et approbandi; tum sepulturam absque solutione funeralium in iis praesertim locis in quibus de iure et consuetudine antiqua non tenentur, curationem permittendi et concedendi, dandi et conferendi duximus, damusque et conferimus, auctoritate nostra ordinaria in Dei nomine per praesentes. Quocirca omnibus et singulis dioecesis nostrae ecclesiarum parochialium rectoribus, praepositis, plebanis, commendariis, vicariis et presbyteris inhibemus, ne fratres dicti ordinis de observantia in praemissorum omnium et singulorum exercitio et administratione, et curatione quovis modo, colore et ingenio per se vel submissas personas impediant impedirique faciant. Nos enim in contravenientes censuris ecclesiasticis aliisque poenis arbitrariis animadvertemus, et per officioles nostros animadverti curabimus. In quorum fidem ac testimonium praesentes manu nostra subscripsimus et sigillum subapprimi iussimus.

Datum Ciozimi die XIV. *Novembris anno* MDCIII.

L. S.

Laurentius ep. Posnanien.

XCVI. Anno aetatis suae LVI. Romae obiit Hieronymus s. romanae ecclesiae cardinalis ex Matthaeiorum romana illustri prosapia, patre Alexandro et matre Aemilia Mazzatosta. Primo s. Adriani, mox s. Agathae, inde s. Mariae in Cosmedio, postea s. Eustachii ac postremo s. Pancratii titulum obtinuit. Anno MDLXXXVIII. renunciatus fuit a Sixto v. pontifice protector ordinis, dato ab eodem pontifice patribus conventualibus altero patrono Philippo Vastavillano cardinali s. Mariae Novae titulo. Caeterum Hieronymus iuris scientia peritus, morum integritate religioneque spectatissimus ordinem plurimum dilexit ac fovit usque ad sui obitum. Tumulum nactus est in templo Aracoelitano de Urbe in sacello ornatissimo s. Matthaei gentis suae, inciso hoc monumento.

D. O. M.
HIC IACET HIERONYMVS TIT. S.
PANCRATII S. R. E. PRESB. CARD.
MATTHAEIVS
VIXIT ANN. LVI. MENS. IX. DIES XIX.
OBIIT VIII. DEC. MDCIII.
CYRIACVS ET ASDRVBAL
FRATRI BENEMERENTI
POSVERUNT.

XCVII. In ecclesia fratrum minorum conventualium Caesenae, nostro tempore solo aequata, tumulatus fuit Marcus Agrippa Dandini in eadem civitate natus et episcopus Aesinus. De eo extabat sequens memoria. *Baldassini storia di Iesi pag. 376*

MARCO AGRIPPA V. I. CONS. EPISCOPO AESINO
VIRO GRAVI ET RELIGIOSO QVI CAESENAE OBIIT
ANNO DOM. MDCIII. XII. KAL. NOVEMB.
AETATIS SVAE XLVI.
PAVLO AEMILIO ANIMI NOBILITATE INGENII OFFICII
HVMANITATISQVE SVAVITATIBVS PRAECLARO NONO
KALEND. SEPTEMBRIS AETATIS SVAE XXXIII.
FRATRIBVS CARISSIMIS ANSELMVS ET IVLIVS
FRATRES HOC MONVMENTVM POSVERVNT.

XCVIII. Decessit et hoc anno Ioannes Franciscus Cocchius Florentinus, qui cum industria sua multa contulisset ad ornatum ecclesiae Omnium SS. Florentiae, et praecipue ad instruendam testudine aram maximam, quam morte praeventus haud perficere valuit; coenobii fratres grati animi sensu ossa eius e tumulo educta, reposuerunt a tergo eiusdem arae maioris in sacellulo, ubi asservatur tunica s. p. Francisci, qua indutus erat in Monte Alverniae, quando in eius corpore Christus Iesus sacra stigmata impressit. Obviat in laudato sacellulo sequens monumentum. *Tervinca pag. 54.*

D. O. M.

DECURRENTE A DIE DEFVNCTIONIS SVAE ANNO NONO OB NIMIAM PIETATEM HIC TRANSLATA SVNT OSSA A. R. P. FRATRIS FRANCISCI DE COCCHIIS QVI HAC ALMA PROVINCIA MINISTER IN ORDINE PATER ET PRAEDICATOR EXIMIVS FVIT HOC OPVS INCEPIT CONSVMMARE NON MORS ILLVM RAPVIT DIE XIX. MENSIS FEBR. AN. D. MDCIII. OB BENE MERITA SVA FRATRES CONVENTVS POSVERE AN D. MDCXIII.

XCIX. Die III. Octobris XXV. amplius mille Sinenses milites Maniliae civitatem acciti, totius urbis excidium minabantur. Raymundo Prado presbytero societatis Iesu tunc oranti reseravit Deus, civitatem ab eo discrimine s. patris Francisci intercessione evasuram. Habitam ab eo revelationem mox aperuit archiepiscopo, qui collata re cum urbis moderatore multas preces indixit ad implorandum laudati Sancti praesidium. Cum autem hostes in pervigilio s. Patris, admotis scalis, muros urbis invaderent, Beatum ipsum super muros igneum *Marimes lib. 1. pag. 94.*

gladium in dextera tenentem ac coram Iesu Christi imagine sanguine manante, flexis genibus elatisque ad eam oculis viderunt, visione deterriti, fugam illico ceperunt. Mane facto, indicta solemni supplicatione, s. Francisci imago, comitantibus archiepiscopo, gubernatore, optimatibus familiisque regularium, summa omnium pietate illata fuit per urbis vias. Ut autem tanti beneficii perennarent memoriam, edito voto, eum in patronum delegerunt cives, statuta interim quotannis eodem die in sui honorem publica solemnique supplicatione, quae ad annum usque MDCCLVI., sicut scribit Dominicus Martinez in chronica Insularum Philippinarum, agebatur.

Idem ibid. pag. 92. C. Die ultima Aprilis in eadem Mauiliae urbe saevo incendio periit valetudinarium titulo de Misericordia, regium armamentarium, coenobium et ecclesia fratrum praedicatorum. In eo autem exitio, imago seraphici s. Francisci quae in eadem ecclesia colebatur, ab incendio libera evasit.

Acta ss. ad diem 24. Iulii pag 787. CI. Bernardus Marcieiowski cardinalis et episcopus Cracoviensis in gravem morbum ita incesserat, ut a medicis pro derelicto haberetur. Precibus se commendavit b. Cunegundae clarissae, Antiquae Sandeciae in Polonia defunctae, et sanitatem illico recuperavit. Sandeciam adveniens gratias acturus Beatae, sacrum super eius tumulum celebravit ac mandavit, ut ipsius Beatae ossa argentea in urnula occluderentur, hisce verbis incisis: *Deo optimo maximo et sacris Cunegundis ossibus Bernardus Morcieiowski episcopus Cracoviensis ex voto d. d. anno Domini MDCIII.* Antequam sacra Cunegundis ossa in arca componerentur, Stanislaus Radzinski e societate Iesu, facultate sibi ab eomet episcopo concessa, vino lavit, cuius praecipua pars cessit eidem cardinali, altera monasterio monialium, et postrema collegio societatis Iesu s. Petri Cracoviensis. Huius vini beneficio multi infirmi incolumes se reddiderunt.

Ibid. ad diem 4. Maii pag. 810. CII. Grassante peste in civitate Varsaviae quae ingentes edebat strages etiam in fratrum et monialium monasteriis, conventus superior ad sepulcrum b. Ladislai orans, familiam, sorores clarissas ac civitatem Beato devovit. Hinc factum est, ut omne mortis periculum cessaret, et qui iam plaga infirmitatis percussi morti appropinquabant, sanati et vitae restituti fuerunt b. Ladislai intercessione.

ARGUMENTUM

Iacobus I. Angliae rex saevit in sacerdotes catholicos. Postulantur franciscani ab infidelibus de Zacalum; alii mittuntur in Novum Mexicum. Doctrina praestantes enumerantur. Pie decedunt fratres, inter quos s. Seraphinus a Montegranario capucinus. Virgines etiam occumbunt. Monasteria et coenobia fundantur. Discalceati fratres frustra laborant pro assequendo vicario generali sui instituti. Fratres tertii ordinis habent generale comitium. Franciscus de Sousa generalis minister aperit sepulcrum Gualterii Burgensis episcopi Pictaviensis. Ordo favoribus ditatur.

IAcobus I. Angliae rex catholicae fidei hostis infensus, vulgato edicto, sacerdotes catholicos, capitis poena interim addita, tota Britannia excedere mandat; alii vero carceribus mancipati, navibus impositi, alio iussit migrari. Dum autem haec omnium christifidelium moerore eo in regno, antea fide et pietate florentissimo agebantur, ut silentio praetereamus Iapones, Sinas, Brasilianos, Ceylanos aliosque plurimos, prae caeteris franciscani fratres postulati sunt ab incolis de Zacalum, vicinae regionis provinciae de Iucatan in America aquilonari, licet belluarum more vitam inter saltus ducerent. Eorumdem votis satisfecit Antonius Civitatis Regum Incatanicae provinciae administer, qui eo mittens cum octo consodalibus Ioannem a s. Maria praesidem coenobii de Oxcutzalb, unius anni curriculo multam infidelium messem in horreum Christi detulit. Tria coenobiola pro eorum incolatu ac insimul oratoria erexit, ut facilius iidem infideles in christiana fide instruerentur. Anno MDCXIV. regio illa de Zacalum instructa erat sequentibus coenobiis, quibus et praeerant guardiani. Nam 1. coenobio s. Francisci de la Ychbalche praesidebat Ioseph de Bosque; 2. coenobio ss. Regum de la Chunhaaz Bonaventura de Valdes; 3. coenobio s. Ioannis item de Chunhaaz Ioannes a s. Bonaventura. Postremum coenobium sub invocatione s. Hieronymi erectum fuit in loco de Tzuctok, innominato praeside.

Spondanus ad ann. 1604. n. 3.

Lopez in chronic. prov. de Iucatan p. 444.

II. Hoc eodem anno in Novum Mexicum cum Ioanne Onate generali capitaneo misso a pro-rege Mexici, advenit Rochus Figueredo, incola conventus s. Francisci eiusdem civitatis, ut gentes sui eloquii praestantia divinique verbi praedicatione ad seditionem pronas contineret; quod et obtinuit. Mexicano idiomate scripsit *relacion del viage al Nuevo Megico*; *libros de las fundaciones cristianas del Nuevo Megico, y vida de los Varones illustres de aquella custodia.* Haec mss. asservantur in magno s. Francisci Mexicano minorum de observantia coenobio. Quae notamus, desiderantur in Waddingo et Sbaralea de scriptoribus ordinis agentibus.

Beristain in biblioth. hispano-mexic. lit. F.

III. Ad Christi fidem augendam ac fovendam pietatem plura apud Americanos vulgarunt iidem franciscani. Uno eodemque anno Mexici typis Ludovici Ocharte edidit Ioannes Baptista Mexicanus sequentia mexicano idiomate. 1. *de la miseria y brevedad de la vida y de los novissimos o postrimerias del hombre*; 2. *confesonario en megicano y castellano con la preparacion para recibir la eucaristia y de los admirabiles efectos de esta*; 3. *el Kempis o los libros del contemptus mundi puesto en legua megicana*; 4. *catecismo en megicano y castellano*; 5. *geroglificos de la*

Idem ibid. lit. I.

conversion del peccador con laminas y figuras conque se ensena a los Indos a fucir el peccado y a aspirar al cielo vulgavit Tlateluci per Didacum Lopezium de Davalos hoc eodem anno. Ibidem etiam ea quae sequuntur edidit; nimirum 1. *historia de los tres ninos Indos martires de Tlaxcalla trucidada al megicano de la que escritio en castellano el p. Toribio Motolinia;* 2. *oraciones cristianas para totos los dias;* 3. *oraciones para dar culto a la ss. Trinidad;* 4. *vida y milagros de s. Antonio de Padua;* 5. *del odio al peccado;* 6. *teoyotezcatl o teoyohcatzcatl espeio esperitual.*

Idem ibid. lit. I. IV. Eodem tempore iisdemque typis Lopezii de Davalos Ioannes Navarro hispanus, filius provinciae ss. Petri et Pauli de Mechiocan edidit librum *in quo quatuor passiones Christi Domini ab evangelistis scriptae continentur integra litera et cantu.* Erat enim artis musicae peritus. Vulgavit etiam *iuxta ritum s. r. ecclesiae octo lamentationes et orationem Ieremiae prophetae*, magno studio ac labore concinnatas, quas nuncupavit Petro a Cruce *Sbaralea lit. M.* ministro provinciae s. Evangelii. Hispano idiomate edidit Michael de Monsalva librum, cui titulus *reducion universal del Perù y de todas las Indias.* Scripsit etiam *avisos al rey d. Felipe III. para la conservacion de todas las Indias.*

V. Caeteri doctrina franciscalium ordinem illustrarunt diversis in locis. Ex *Idem lit. G.* minoritis de observantia Gabriel Gyrellus e Placanico provinciae Mediolanensis castigavit et auxit *commentaria in Oseam prophetam Hieronymi Guada-* *Idem lit. H.* *lupensis ordinis s. Hieronymi* vulgata Brixiae typis Marchetti. Hippolytus Donesmundi Mantuanus ex provincia s. Antonii Venetiarum eximius concionator edidit *historiam s. Mariae Grntiarum prope Mantuam*, quae colitur in ecclesia huius coenobii sub eadem invocatione. Salamanticae praelo Antonii *Idem lit. L.* Ramirez vulgavit Ludovicus de Miranda Vallisoletanus *tractatum apologeticum de incongruentia novi gubernii vicnrii generalis discalceatorum.* Scribit Sbaralea non hoc anno sed anno MDCXXIV. librum hunc scriptum vulgatumque fuisse, quia per id temporis iidem fratres obtinuerunt o Gregorio XV. vicarium generalem. At scimus anno transacto ac praesenti coram pontifice Clemente VIII. hanc controversiam verbo ac scripto agitatam fuisse inter observantes et *Idem lit. M.* discalceatos. Florebat et hoc tempore Matthaeus Baccelinus a Stia, oppido Hetruriae ad fontes Arni fluminis, Florentiae tamen et ex patre florentino natus. Liberalibus disciplinis humanioribusque literis excultus, anno MDXCIV. concionatoris, et anno MDXCVII. Pistorii lectoris munus obivit. Post annum MDCI. extitit a sacris confessionibus Mariae Mediceae Galliarum reginae ac theologus. Plura scripsit. Vulgavit Parisiis *psalmos poenitentiales* quos transtulit rhymis italicis, et cum interpretatione Philippi de Portes Galli. Antonius Terrinca immerito eum confundit cum altero Matthaeo de Stia.

Idem lit. P. VI. Petrus Gomez de Guinaldo ex s. Michaelis provincia edidit idiomate hispano Hispali eruditam *orationem in translatione ossium plurium sanctorum.* Eximius vir Philippus Boscherius Caesaraugustanus Dunci vulgavit aetatis suae anno XLII. typis Petri Belleri librum, cui titulus *orbis terror*, seu *de finibus bonorum et malorum*, *morte et iudicio.* Lucemburgi per Mathiam *Idem. lit. I.* Bitthen lucem aspexerunt *r. p. fr. Ioannis Haudumii franciscani Passio rhytmica Christiaa facta in libellos sex distincta, castigata, argumentis* *Wadd. lit. A.* *aucta, et ordini d. Francisci vindicata.* Antonius Vannales, ab alis Vanales et Bamales provinciae s. Iacobi hispana lingua Metymnae Campi vulgavit *di-*

ANNO CHRISTI 1604.	CLEMENTIS VIII. AN. 12. ET 13.	RODULPHI II. ANNO 28.	RELIGIONIS MINORUM ANNO 397.

scursus praedicabiles de dignitate sacerdotali. Parisiis apud Laurentium
Sonnium Henricus Castella Tolosanus edidit librum gallice *certa et verissima* Idem. lit. H
directio pro his, qui sanctam Ierosolymitanam peregrinationem aggrediuntur: iter sanctum Ierosolymitanum ab ipso susceptum anno iubilaei MDC.
Burdigalae typis misit anno MDCI. Dimas Serpi Calaritanus hispano idiomate scri- Sbaralea lit. D.
psit *de igne purgatorio contra Lutherum et alios haereticos.* Opus prodiit
Barcinone. Matriti Antonius Tudanca Toletanus ex familia discalceatorum pro- Idem lit. A
vinciae s. Iosephi vulgavit *tractatus multiplices discursuum praedicabilium.*
Spem fecit *aliorum tractatuum, et latinae expositionis Actuum apostolorum.*
Reliquit mss. *compendium vitae ven. matris Emerentianae Copones fundatricis conventus capucinarum Toleti* una cum *funebri oratione ad d. Paschalem de Aragona cardinalem archiepiscopum.*

VII. Inter minoritas conventuales emicant et decedunt viri docti. *Methodum
et grammaticam speculativam ven. doctoris Subtilis scriptam* ab Antonio Idem lit. A
Palentino a Monelia provinciae Genuensis, iam episcopo Brugnaten. anno
MDLXXIX. defuncto, lucem aspexit Parisiis hoc anno. Operi adiecit *margines
fr. Augustinus Gothutius.* Petrus Magni Ficeclensis, *Fossecchio*, in vico Idem lit. P
Pancelloro agri Lucensis ortus, vir apprime doctus, egregius verbi Dei praeco
et suae Genuensis provinciae commissarius generalis scripsit italico sermone
*conciones VI. super antiphonam Salve Regina lib. I. una cum sermone
in annunciatione b. Virginis*, quibus addidit *carmina sacra* etiam italice
in laudem eiusdem b. Virginis. Ticini typis Petri Bartoli opus lucem aspe-
xit. Obiit hoc anno inter eos Lactantius Arturus Calaber de Cropano civis Wadd. et Sbaralea lit. L.
Scyllacaensis, iam sacrae theologiae doctor ac procurator generalis. Eius est
concio de nuptiis evangelicis habita in synodo Rhegiensi, Neapoli anno
MDLXXIV. impressa. Ibidem etiam typis commissa fuit *oratio* eius *funebris
ad card. Sirletum habita Scyllacaei die XXVI. Octobris MDLXXXV.* Plura
alia scripsit italico idiomate, nimirum *poemata vernacula et latina; de monarchia ecclesiastica libros tres; de praedestinatione lib. I.; repertorium
ss. Patrum; artem concionandi; conceptus quadragesimales.*

VIII. Virtutum meritis ac doctrina eximius decessit die IX. Maii in con-
ventu s. Francisci Mexici Hieronymus Mendieta Victoriensis minorita de Beristain lit. M
observantia. Cantabriae provincia relicta, Mexicum anno MDLIV. advenit. In
provincia s. Evangelii munus guardiani obivit Mexici, Pueblae, et Tlaxcallae.
Ob linguae impedimentum verbum Dei nunquam disseminavit, licet minus vere
scribat Sbaralea ipsum fuisse apostolicum concionatorem; plures tamen sermones
mexicano idiomate a se concinnatos mittebat ad evangelicos operarios pro Indis erudiendis. Scripsit 1. *historia ecclesiastica de Indias con las vidas de
suos apostolicos;* 2. *cartas varias;* 3. *cartas al ministro general del ordin de s. Francisco etc.* 4. *historia de la aparicion de notra Sra de
Guadalupe de Megico.* Lovanii die X. Iulii raptus est Martinus Myricaeus Wadd. et Sbaralea lit. M.
Lovaniensis, Germaniae Inferioris minister. Ex latino in idioma Belgicum
transtulit librum Christophori a Capitefontium iam ministri generalis ordinis, cui
titulus *defensio religionis avitae*, quam Lovanii edidit. Opus *de locis communibus* mss. adservatur in folio in coenobio Bootendalensi in Sylva prope Bru-
xellas. Obiit Fulginei in Umbria sanctis operibus ditatus Bonaventura a Mon- Sbaral. lit. B.
teregali capucinus, provinciae Umbriae vicarius, saepe visitator ac postremo sui
ordinis procurator generalis. Reliquit mss. *commentario paraphrastica in
psalmos*, quae authographa asservantur in coenobio Fulginei. Zacharias Ulys- Idem lit. Z.

siponensis item capucinus, provinciae Bononiensis alumnus, Vultabii inter suos decessit. Vir eruditus et eloquens scripsit opusculum titulo *catholica consolatio ad cives Parmenses et Placentinos pro obitu sereniss. Alexandri Farnesii eorum ducis et principis*, Romae anno mdxciv. typis commissum Erasmi Viotti. E lusitano in italicum idioma transtulit et in meliorem reduxit ordinem postillisque exornavit nonnulla opera p. Hectoris Pinti ordinis s. Hieronymi, videlicet 1. *de vera amicitia*; 2. *de iustitia*; 3. *de vita solitaria*; 4. *de discreta ignorantia*; 5. *de causis*; 6. *de tranquillitate vitae*; 7. *de vera philosophia*; 8. *de veris et falsis bonis*; 9. *de religione*; 10. *de memoria mortis*; 11. *de tribulatione*. Haec opuscula edidit anno mdxciv. Venetiis praelo Nicolai Misserini dicavitque Ranuccio Farnesio Parmae et Placentiae duci.

IX. Die ix. Iunii inter s. r. ecclesiae cardinales cooptatus est Anselmus Marzatus Monopolitanus capucinus, ab annis decem magna cum laude concionatoris apostolici munere functus. Omnium primus inter eos hanc dignitatem obtinuit; ecclesiae Monasterii s. Carammi ordinis s. Augustini Carnoten. dioecesis die i. Octobris praefectus est Ludovicus Benost minorita de observantia; ecclesiae Caracen. in Indiis Antonius Alcoga, natus nobilibus parentibus in provincia de Iucatan. Antequam ordini nomen daret, unus erat ex optimatibus audientiae regalis Mexici; ecclesiae Grassensis sub archiepiscopatu Ebredunensi Stephanus Maingre Aurelianensis, ex gallis christianae Samarthan. Gaspar Paschalius conventualis episcopus Rubensis transfertur die xxx. Maii ad ecclesiam Reatinam. Defuncto Laelio Medicaeo inquisitore Florentino, ad id munus delectus est Franciscus Maurus, ab aliis Marius vel a Moro minorita conventualis; inquisitor Pisis destinatus est Cornelius a Monza eiusdem instituti.

Beristain in biblioth. lit. A.

Ughel tom. 7. col. 766.

X. Sanctis operibus cumulatus abiit ad Dominum die xxii. Iulii in coenobio s. Francisci Mexici Franciscus de Gamboa sacerdos, nobili genere in Hispania natus. Adolescens a patruo suo Mexicum delatus, in aula d. Martini Enriquez pro regis Mexici cui erat a secretis, diu permansit. Defuncto parente solemnia vota Deo nuncupavit inter minores de observantia in eodem Mexicano coenobio. Doctrina et virtutibus cum floreret, obedientiae merito concionatoris munus explens, multos devios ad bonam frugem odduxit. Is auctor fuit, ut publice in ecclesiis passionis Christi mysteria ad vivum repraesentarentur, ex quibus commoti christifideles, summa animi pietate ac lacrymis erga Christum passum afficiebantur. Tumulum nactus est in celebri oratorio s. Iosephi. Ad eius funus accurrerunt utriusque sexus cives et optimates, qui una voce dicebant: *sancte Gamboa, ora pro nobis peccatoribus*.

Franciscus de Gamboa. *Torquemada tom. 3. pag. 580.*

XI. In coenobio Dominae nostrae de Pietate de Messagena in provincia Algarbiorum raptus est die xvi. Februarii Emmanuel de Resurrectione, eximius in regulae observantia, in austeritatibus ac in assequendis virtutibus. Die vii. Martii obiit in conventu s. Francisci de Monte de Viana in provincia s. Antonii Portugaliae Didacus de Angelis; tanto humilitate praeditus erat, ut vix adduci potuerit ad suscipiendum munus administri illius provinciae, ei collatum a patribus capituli generalis Vallisoleti anno mdxciii. habiti. Post matutinas preces orationi vacabat in choro usque mane; solitaria loca petebat, ut flagellis se caederet liberius, et indulgeret coelestibus meditandis.

Emmanuel de Resurrectione. *Agiologium Lusit. ad diem 16. Februarii.*

Didacus de Angelis. *Ibid. ad diem 7. Martii.*

XII. Antuerpiae in Germania Inferiori die xxiv. Septembris obiit Ioannes Pellens Laodiensis, confessarius sanctimonialium s. Clarae, vir pius, silentii et

Ioannes Pellens. *Wadd. de script. lit. I.*

solitudinis amicus, ac ab hominum consuetudine olienus. Praeses fuit coenobii Daventiae; Lovanii vero tyronibus franciscanis sacra eloquia explanavit. Perfecte calluit idiomate hebraico, groeco, et latino. Bruxellis eius mss. adservantur *de virtutibus theologicis, fide, spe et charitate in tres libros partita.* *Monum. prov.*

XIII. Cursum vitae complevit in coenobio oominis Iesu de Cebreros in provincia s. Iosephi discalceatorum Paulus a Iesu, chaldaico ac hebraico idiomate instructus, sacerdotali dignitate insignitus priusquam instituto nomen daret. Emissa professione, moderatoris sui venia vitam arripuit ita asperitatis plenam, ut licet variis infirmitatibus afflictus, eunclo tamen summa animi fortitudine sustinebot, concionabaturque quotidia, velut bene valeret. In conventu Conceptionis Barazensis eiusdem provinciae occubuit Petrus a Zoragoxa, sive a Siracusa, sacerdos hispanus. Quotidie novem flexis genibus in oratione insumebat horas, praeter illas quas peragebat eum familia coeoobii. Dono prophetiae et scrutationis cordium a Deo exornatus fuit. Mira de Dei eloquia ante eni obitum proferebat. Die x. Novembris in conventu s. Bernardini Matriti migravit e vita Aegidius a s. Ioanne sacerdos, in omni virtutum genere, nimirum in mundi contemptu, sui abnegatione, humilitate, puritate at rerum coelestium contemplatione eximius. Solitudine maxime delectabatur, ut Christo Iesu quietius ac intentius adhaereret.

Paulus a Iesu *Monum. prov.*
Petrus a Zaragoza *Monum. prov.*
Aegidius a s. Ioanne. *Monum. prov.*

XIV. Die mortis suae praescius beate decessit xxi. Novembris in conventu s. Aonae Telabricae eiusdem provinciae Nicolaus a Conceptione, oatus in oppido del Colmenar de Oreia dioecesis Toletanae. Literarum curriculum perfecerat in universitate Complutensi, antequam inter discalceatos cooptaretur. Pietatis spiritum studio fovebat et precibus. Animarum solvandarum zelo exaestuans, tanta cum animi eui mansuetudine deviorum confessiones excipiebat, taliquc prudentia erga eos se gerebat, ut ad meliorem frugem multos adduceret. Saecularium consortia fugiebat, vana interim et otiosa verba horrebat. Abulae in osculo Domini decessit Hieronymus Caravazal sacerdos, vir singularis perfectionis et flagrentissimae charitatis erga Deum. In spiritualibus cum fratribus collationibus mira de Deo eructabat, unde adstantium corda divino incendebat amore. Scrutationum cordium et prophetiae donis exornabatur. Ioannes Dei laicus obiit et hoc anno in coenobio s. Francisci Iamillae provinciae s. Ioannis Baptistae, in Insula Maiorica natus. Ut libidinis flammam extingueret, saepe inter spinas et carduos se volutabat, sanguine proprio conspersos relinquens. In adversia eius emicuit mansuetudo ac patientia; nemo enim illum turbatum aspexit. Post mortem aliqua evenisse ad eius sepulcrum prodigia tradunt. Maniliae raptus est Ioannes Alvarez Hispanus sacerdos singulari prorsus charitate fervens erga ss. eucharistiae sacramentum. Praemissis ferme de mane ad meridiem usque multis precibus, sacrum devotissime peragebat. Nulla erat eius concio, quin de hoc ss. sacramento ad augendam christifidelium pietatem multa docte et erudite proferret. Angelica interim puritate exornabatur. Iis igitur virtutum meritis decoratus, ad Insulas Philippinas transmeavit, ubi exemplo magis quam verbis multos infideles ad fidei lumen adduxit.

Nicolaus a Conceptione. *Monum. prov.*
Hieronymus Caravazal. *Panes part. 1. lib 2. cap 51.*
Ioannes Dei. *Idem ibidem*
Ioannes Alvarez. *Martinez lib. 1. pag. 99.*

XV. In coenobio Montorii provinciae observantium s. Bernardini raptus est Ludovicus a Monte Ulmi, sacerdos intemeratae vitae et assiduae orationis. Plerosque per hebdomadae dies cibo potuque abstinebat. Summa charitate praeditus erat erga devios qui ad ipsum affluebant emittendae confessionis causa.

Ludovicus a Monte Ulmi. *Monum. prov.*

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1604.	an. 12. et 13.	anno 28.	anno 397.

Fabianus a Centellas. *De Aremberg tom. 2 pag. 423.*

Franciscus Rhegiensis. *Idem ibid. pag. 526*

Michael Perpinianen. *Idem ibid. pag. 424.*

XVI. Ex capucinorum familia Vagnolii in Catalannia occubuit Fabianus a Centellas sacerdos et concionator, praestans austeritate, obedientia, oratione animarumque salvandarum zelo; in provincia s. Ludovici obiit Franciscus Rhegiensis clericus Gallo-Ligur, quem mors, licet immaturo vitae cursu rapuerit, fulsit tamen virtutibus humilitatis, patientiae et vitae innocentia. Perpiniani in Gallia Narbonensi mortales exuvias deposuit Michael Perpinianensis, iam illius cathedralis ecclesiae canonicus, qui capucinus factus, quidquid ad perfecti viri constitutionem necessarium excogitari poterat, id totum in eo intueri videbatur. Unde de eo Ioannes Alarconius aliquando pronuntiavit: *in Michaele perfectum s. p. Francisci simulacrum elucere.* Dum in ea urbe e rostris dicebat, pleuritide correptus placidissime in Domino occubuit. In Syracusana provincia obiit Matthaeus Enneus laicus, orationis studio ac charitate commendatus. Aquilae in Aprutina provincia complevit dies suos Vincentius a Chio laicus, qui eum eius patria a Turcis occupata fuisset, Messanam adveniens, capucinorum instituto nomen dedit. Tanta fuit carnis maceratione, ut rudi ac hispido habitu haud contentus, cilicium ex suillis pilis ad supremum usque abrasis sub tunica gereret; ac interim ferreis quibusdam laminis undique acuminibus intersitis, lumbos nudos perstringeret. In Picena provincia obiit Bernardinus a Montecicardo item laicus, prae vitae suae puritate ab omnibus magno in pretio habitus.

Matthaeus Enneus. *Idem ibid. pag. 756.*

Vincentius a Chio. *Idem ibid. pag. 718.*

Bernardinus a Montecicardo. *Idem ibid. pag. 755.*

Boverius tom. 2. p. 730.

XVII. Cum in civitate Asculana in Piceno magna cum sanctitatis laude vitam duceret s. Seraphinus a Montegranario item capucinus iam septuagenarius, mortis suae tempus quod saepe antea praedixerat vicinum intelligens, vehementius precibus ac coelestibus contemplationibus incumbere, ac inventutis ieiunia ac poenalitates ad senectutis annos revocare coepit. Ab annis multis occultum in pectore morbum patienter tulerat; cum autem ille ingravesceret ut iam supremus illi minaretur interitus, illum tandem aperire cogitur. Cum autem morbus nullum exterius malignitatis signum proderet, nec medici, nec fratres haud tanti morbum aestimarunt; pridie tamen antequam Beatus e vita discederet, quo ecclesiae sacramentis refici posset, proximum suum occasum instare luculentius aperuit. Vix id asserenti crediderunt; attamen sacra eucharistia per modum viatici ei ministrarunt. Sacro Christi corpore refectus, inter ipsius amoris actus ad tertiam usque post meridiem horam perseveravit. Quo tempore extremae unctionis oleo inungi postulans, apertam a guardiano repulsam passus est ea ductus ratione quia in mortis articulo tantum illud ministrari liceret. Tunc Beatus genuflexus in lecto cum ad quartam a meridie horam pervenisset, oculis in coelum elatis, Dominum sic precatur: *o Domine Iesu, si loquor, nulla mihi fides adhibetur: tu ipse loquere.* His dictis, vultu in pallore mutato, mortis indicia proferre coepit. Tunc fratres festinanter Dei servum oleo sancto inungunt, inde ac si in quietem membra concederet, placidissimam iustorum mortem oppetiit quarta post meridiem hora diei xii. Octobris.

XVIII. Licet nullo edito campanae signo, pueri tamen per urbem agmine facto sanctum Dei virum mortuum conclamabant. Tanta mox populi multitudo ad coenobium confluxit, ut certatim prae suaa sanctitatis opinione in ipsius corpore oscula et amplexus rueret, capillos tonderet, barbam praescinderet habitumque discerperet. Facile etiam caetera sui corporis membra devoti dissecassent, nisi vigiles ab urbis conservatoribus missi, illud intra cancellos positum custodirent. Corpus quod molle erat ac velut dormienti simile, suavem

Digitized by Google

odorem spirabat, unde arca lignea occlusum, non in communi fratrum sepulcro, id senioribus urbis petentibus, sed separatim sub altaris cancellis conditum fuit. Cum autem undique tum ex vicinis tum ex remotis Piceni oppidis ad Seraphini sepulcrum turbae confluerent ae voto appenderent, Asculi proceres ad summum pontificem legatos destinant, ut de eius virtutibus ac miraculis processum instituere dignaretur pro illius beatificatione. Annuit pontifex collata ad id operis facultate ordinario loci. Confectis subinde apostolica auctoritate processibus, anno MDCCXIX. Clemens XI. inter beatos eum Christo regnantes cooptavit, ac postremo Clemens XIII. anno MDCCLXVII. sanctorum albo adscripsit vulgato diplomate.

CLEMENS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pretiosa illa super omne aurum et argentum, ac regnis ipsis et sedibus praeoptanda sapientia, qua nimirum docemur, caduca omnia despicienda et non quae super terram, sed quae sursum sunt quaerere et sapere, tametsi nullam respuat indolem ac diversis hominum ingeniis aeque se communicet, coelestiaque charismata quibus affluit libentissime largiatur: in rudes tamen homines atque idiotas gaudet aliquando sese uberius effundere, ut saeculi huius sapientes quos nempe scientia inflat, confundat ac de sapientia sua inaniter gloriantes humiliet. Idcirco fons verae sapientiae Verbum Dei Christus Iesus, qui revelare se dixit abscondita a constitutione mundi, exultans olim in spiritu ad eum cuius Unigenitus est, conversus: *confiteor*, inquit, *tibi Pater Domine rex coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*: atque id quidem in catholica romana ecclesia ab eius exordio ad hanc usque diem semper videre licuit apparuitque luculenter, quam vere de sapientiae auctore scriptum sit: *et cum simplicibus sermocinatio eius.*

§. 2. Mirum vero in modum novissime, superiori scilicet saeculo luculentissime perspectum fuit in beato Seraphino a Montegranario ab Asculo denominato, laico professo ordinis minorum s. Francisci capucinorum nuncupatorum, qui rudis et litterarum omnium expers, cum neque legere nosset neque scribere, literatos tamen ipsos atque eruditos longo post se intervallo reliquit, utpote qui ex libro illo scripto intus et foris, hoc est Christo Iesu, docibilis Dei hauserat tantum coelestis doctrinae, ut inter praecipuos divini praeceptoris discipulos propter supereminentem scientiae charitatem numerandus esse videatur. Cum itaque pauper hic apud homines tam dives fuerit apud Deum gratia et virtutibus, atque ad maiorem his laudem et celebritatem conciliandam evidens accesserit testimonium per miracula, quae omnipotens Deus Beati huius servi sui intercessione patrare dignatus est, nos nulla re praetermissa quae in tam gravi causa servari solet, de consilio et assensu venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium, necnon patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in romana curia frequenti numero congregatorum, implorata iterum iterumque Dei ope, eumdem beatum Seraphinum utpote civem coelestis Hierusalem publico in ecclesia cultu prosequendum esse declaramus, et in sanctorum numerum referendum decernimus.

§. 3. Seraphinus in oppido Montisgranarii Firmanae dioecesia natus est anno reparatae salutis MDXL. Parentes habuit humiles quidem genere, sed honestos ac pios, in baptismo nomen illi inditum Felix. Pia et sedula matris optimae disciplina probe institutus, ab ineunte aetate proferre coepit futurae sanctitatis indicia. A puerorum oblectamentis et pravorum sodalium consuetudine alienus, nihil ferme puerile habuit, praeter innocentiam. Assiduus in templis erat, ac praeterea ad intentius orandum loca saepe abdita exquirebat. A villico cui operam suam locaverat demandata armenti custodia impedimento non erat, quin consueta pietatis officia diligentissime obiret. Secretiorem namque sylvarum solitudinem quaerens, ibi de genu fervidas ad Deum preces fundebat, easdemque mox a brevi vespertina coena diu multumque iterabat. Domum a fratre post parentis obitum revocatus, ut in caementaria arte sibi esset adiutor, atque ab effero illius ingenio aspera quaeque perpessus Felix, inhumani fratris convicia, verbera, mallei etiam crudeles ictus aequo, diu atque invicto animo tulit. Neque vero fratris asperitas et laboriosae artis exercitatio dimovere illum potuit ab eo quod sibi proposuerat, ut tribus in hebdomada diebus ieiunaret ac pia precatione animum per id maxime tempus, quod caeteri laborum socii reficiendo per cibum corpori dabant.

§. 4. Quam accepta Deo esset servi sui pietas insigni sane miraculo patefactum est. Quum enim Deiparae virginis, cuius se in fidem et clientelam tradiderat, sacram Lauretanam aedem inviseret, Potentiae flumen ex aquarum redundantia intumescens quod nemo sociorum traiicere ausus erat, ipse, obstupescentibus qui aderant, semel atque iterum sicco vestigio transivit. Ex audita lectione de divini iudicii severitate tanto motu ac terrore perculsus est, ut de vita eremitica cogitaret. Sed meliori deinde consilio rigidum capucinorum institutum statuit amplecti; quod quidem non sine iteratis precibus et lacrymis tandem obtinuit. Voti compos, Seraphini nomine assumpto, in tyrocinio ita se gessit, ut peracto anno probationis in sacrum illum ordinem cooptaretur omnium suffragiis. Novum inde atque ardentius perfectionis evangelicae studium in eius pectore efferbuit. Itaque severioris illius instituti leges omnes, quandiu vixit, ita observavit, ut diligentiam mirarentur omnes, pauci admodum imitari se posse confiderent. Benignus erga omnes, lenis, affabilis; superioribus vero ita obsequens ac dicto audiens erat, nullum ut munus, quantumvis arduum ac laboris plenum defugeret, nihil cunctaretur, nihil perquireret, in id unum intentus, scilicet ut imperata quae fuerant, ea sequeretur.

§. 5. Paupertatem vero ita adamavit, ut ab iis etiam quibus carere vix possumus, abstineret. Cellulam perpetuo habitavit obscuram, humilem, squalida supellectili instructam. Vestis illi nonnisi obsoleta ac detrita; eadem et in caeteris rebus quae corpori operiendo deserviunt, extrema paupertas. Iamvero ea erat vitae innocentia ut nullo se unquam crimine obstrinxerit, quin etiam a levibus quoque noxiis ita, ut in sacra exomologesi nihil ferme quod expiandum esset, afferret. Quidquid enim voluntati Dei consentaneum non esset, non modo cogitare, sed ne audire quidem fas esse ducebat. Diebus fere singulis eucharistico se pane reficere, et sacrificiis quotquot poterat adesse ac ministrare, protensis in formam crucis manibus, solemne habuit. Inexplebile orationis erat studium, ut diurnas plerumque ac nocturnas horas in ea consumeret. Caeterum excepto trium dumtaxat horarum spatio quod quieti corporis negare non poterat, reliquum tempus omne vel rerum divinarum contemplationi vel piis precationibus impendebat.

Digitized by Google

§. 6. Quum in re qualibet aliquod Dei vestigium agnosceret, inde fiebat, ut ubi esset, quidquid ageret, ad contemplationem rerum coelestium facile raperetur, atque tum etiam oraret, cum aliud agere videbatur. De Christi Domini cruciatibus quotidiona meditatio ita animum afficiebat, ut de ea sine lacrymis nec cogitare, nec loqui, neque audire loquentem posset. Tanta in Deum charitate ferebatur, ut pro illius gloria mortem oppetere vehementer optaret. Itaque superiorem supplex adiit, a quo potestas sibi fieret in regiones se barbaras conferendi, ut incensam apud eas martyrii sitim expleret. Charitati erga Deum gemina erat et erga proximos charitas. Quocirca errantes corrigere, avocare a vitiis, ad virtutem impellere, qua monitis, qua precibus, qua etiam obiurgationibus conabatur. Nec vero frustra. Multi enim a perdita vivendi ratione ad bonam frugem redacti, multi a saeculi vanitate et mundi periculis ad securius religiosae vitae institutum illius opera traducti sunt. Aleas e ludentium manibus non semel extorsit. Intestina atque inveterata inter Asculanos cives odia et dissidia homo, ut erat humili loco, nullis literis, professione laicus extinxit. Tantum illi auctoritatis a sanctitate perspecta! De miseratione eius in pauperes atque egenos illud vere dici potest, quod ore pallente, ieiunlis, fame torquebatur aliena, ita quidem ut oliorum memor, immemor sui dimidio in diem pane victitans, quod reliquum erat, cum integro fere obsonio in pauperes erogaret. Quin etiam eo processit ut in quadam annonae difficultate, ex illo ipso dimidio pane alteram adhuc partem detraheret, qua esurientibus quoquomodo poterat, subveniret. Contigit aliquando ut a praeside reprehensus, quod pro numero pauperum pane non suffecturo, olera ex horto distribuisset, bono illum animo esse iuberet: neque propterea enim defecturam religiosae familiae olerum copiam, quae satis foret. Quod quidem eventu non caruit. Succisis enim pridie germinibus, alia subinde mane satis abundeque succrescere conspiciebantur. Illud autem mirandum magis, quod quum horti pars quaedam exigua eidem a praeside peculiariter in usum pauperum attributa esset, plus ea fructum, quam reliquae tametsi longe maiores et multo diligentius excultae partes, afferret.

§. 7. Neque vere in uno aut altero calamitatis genere Seraphini misericors indoles se continebat. Carceribus enim detentos invisere, sedulo ad patientiam hortari et quidquid solatii posset, afferre consueverat. Moerentes praeterea solari suaviter, aerumnis pressos in spem erigere, aegris inservire, assidere lectulo, bene monere, vilissima quaeque ad eos sublevandos ministeria obire, haec illi dulcis cura, iucundaque exercitatio. Iam vero qui tam leni et benigno erga alios ingenio erat, iuvat nunc videre quam durus atque acerbus in sese fuerit. Asperis contextum setis cilicium, velut alteram vestem quam nunquam exueret, ad nudam carnem perpetuo adhibuit. Confecto e clavorum acuminibus flagro utebatur ad quotidianam corporis lanienam, qua fiebat ut copiosus e laceris membris sanguis deflueret. Sandaliis inferne omni ex parte detritis, cum nudi pedes relinquerentur, pellis nonnunquam dirumpebatur, cui ille malo dum acu disruptam pellem consuit, acriori longe malo ac dolore medicinam faciebat. Fuit aliquando cum noctes ipsas insomnes traduceret. Caeterum brevissimam illam quam supra diximus, trium tantummodo horarum quietem non aliter fessis membris, quam vel sedens vel capite ad scamnum reclinato indulgeret.

§. 8. Diris eiusmodi cruciatibus abstinentiam addidit singularem, crebra et longa sui ordinis ieiunia servare, quasi loco illa deliciarum habuisset. Itaque

illud adiecit, ut exigua etiam vespertina refectione perpetuo abstineret, et tres hebdomadae dies pane dumtaxat et aqua transigeret; quod quidem inediae genus iam inde ab adolescentia tolerare consueverat. Reliquis autem diebus ad partem panis exiguam nihil obsonii adhibebat, unica eademque insuavi quaeque sociis etiam pridie superfuisset, cinere nonnunquam conspersa, pulte contentus. Atque inde ortum habuisse censendus est malus ille habitus corporis, ex quo fiebat ut sanguinem mingeret. Inter has macerati corporis asperitates, adiuncta praesertim oculorum custodia, securior in dies et vividior castitas efflorescebat, quam nulla unquam labe inquinatam nullaque vel raro admodum, ut fertur, corporis aut mentis pugnam tentatam servavit.

§. 9. Iamvero si castimoniae custos est humilitas, haec in eo tam alte radices egerat, ut quamvis alieno iudicio sanctus, scelestissimus omnium se nequissimus esset suo. Laudis humanae fugitans, contemptus sui appetens quam qui maxime. Cuius quidem rei haec duo perridicula sint argumento. Prandere aliquando iussus apud nobilem civem, alias ab Asculano episcopo cardinali, utrobique ita se gessit, ut ludum et risum tamquam incomptus et rusticus de se praeberet. Ibi enim ad liquidae pultis esum fuscinula usus est: hic ovum sorbens de industria in barbam effudit. Patientia porro in eo admirabilis plane fuit tum in fratris, quae dicta sunt verberibus et conviciis, tum in iis pene quotidianis mulctis ac poenis, quae a religiosis praesidibus infligi solebant. Ab aliis enim ob ingenii tarditatem duriter, ne dicam immaniter, ab aliis ad experimentum virtutis severe ac rigide multabatur. Atque haec quidem initio turbarunt hominem, sed implorata postea Dei ope confirmatus, aspera quaeque ita ferebat, ut ea beneficii loco duceret, et manus pedesque illi qui quoquomodo multassent, oscularetur.

§. 10. Par fuit in eo lenitas et mansuetudo, qua illatas sive ab externis sive a domesticis etiam iniurias aequissimo animo tulit, Impacta ab nequissimo homine alapa, apprehensa a domestico per contumeliam barba, atque aliquot pilis avulsis, nullum omnino Seraphinus perturbati animi signum dedit: sed illud longe praeclarius. Cum enim protervus quidam atque impudens, mali daemonis instinctu, nudum illius caput plumbea lamina tam graviter percussisset, ut servus Dei prae dolore animo linqueretur ac pene exanimis humi procumberet, statim ac redditus sibi fuit, ridenti vultu ac lenissimis verbis percussori, quasi optime de se merito, fausta illi omnia a Domino precatus est. Ad iniurias hominum accessit et alia a daemone haud minus dira vexatio. Modo enim protrahere pedibus dum ille oraret, modo sublime elatum conari ad terram allidere, modo saevissimis plagis aegrum illius et confectum corpus male mulctare consueverat. Quas tamen ille molestias ac teterrimas infestationes ita despiciebat, ut adversarii nequissimi increparet ignaviam, atque ad saeviendum acrius acueret. Qua quidem animi magnitudine daemon adeo victus et fractus est, ut eius deinde praesentiam ipse reformidaret atque ab obsessis corporibus eo adventante diffugeret.

§. 11. Tantam virtutum praestantiam coelestibus donis Deus inornatam esse noluit: itaque servum suum superno lumine, quo futura praediceret et cordium secreta penetraret, plurimis etiam raptibus ac mentis ab usu sensuum alienationibus insignivit. Pluribus quoque etiam gravissimis morbis laborantibus, adhibito a Seraphino sanctissimo crucis signo, sanitas restituta fuit. Quocirca confluentium aegrorum ad Montisgranarii coenobium tanta erat multitudo, ut in iis fausta precatione sanandis non semel dies tota Seraphino

abiret. Accedebat e tumultuosa gentium frequentia coenobitis illis molestia non levis. Itaque parum abfuit, quin praeses factam servo Dei potestatem divina patrandi prodigia ex obedientia coerceret. Sed ad vitandam molestiam satis visum est, si Seraphinus in Asculi coenobium remigraret. Tam multis igitur ac tam praeclaris virtutibus ac donis coelestibus cumulatus apud omnes non vulgares modo, sed etiam summos ac praestantes viros sanctitatis nomen et famam adeptus est. Illum consulere, illius se precibus commendare, incedenti per viam non solum deosculari vestes sed etiam praescindere.

§. 12. Sed iam dies aderat, quam sanctitas tam excellens aliis longe illustrioribus in coelo honoribus decoraretur. Gravem pectoris affectionem e corporis maceratione contractam, qua quodam veluti iaculo confodiebatur, diu ille dissimulaverat. Sed cum magismagisque ingravesceret, optatissimam sibi ex ea mortem instare superno etiam lumine intelligens, postulavit, ut sanctissimae eucharistiae viatico muniretur. Abnuebant medicus et sodales, quod morbi gravitas nondum se prodebat, praesertim cum aeger nec ureretur febri, nec lectulo decumbere cogeretur; sed iteratis precibus obsisti non potuit. Sanctissimum igitur Christi corpus allatum est; quod quidem quo ille animi sensu, quo amoris aestu perceperit, angeli magis quam homines intelligere potuerunt. Postulat subinde, ut oleo sacro inungatur. Quod pariter cum praeproperum fratribus videretur, affirmat ille quod in praesens negligerent, satis festinanter paulo post omnino facturos. Itaque post fervidas per horam de genu in lectulo fusas preces, sublatis ad coelum oculis Deum obsecrat, ut quandoquidem sodales se loquentem non audiebant, divinis ipsius vocibus auscultantes sanctum ad se oleum afferrent. Precationem hanc deliquium animi statim secutum est cum pallore vultus, aliisque defecturae mox vitae signis, quibus videlicet sodales admoniti, expetita illum unctione propere munierunt. Itaque ad servi Dei solatium cum nihil restaret aliud, placido vultu in conventu sui ordinis civitatis Asculi sanctissimam Deo animam reddidit.

§. 13. Porro coenobii custos veritus (quod assolet in sanctorum hominum funere) tumultuosam confluentis populi multitudinem, nullo edito campani aeris signo, servi Dei pretiosam mortem occulere cogitarat tandiu, dum iusta illi solemnia de more persolverentur; sed divinitus factum est, ut puerorum voce per urbem Seraphini obitus vulgaretur. Quod cives cum audivissent ad coenobium omnes accurrere, servi Dei corpus exosculari, vestes tertio atque iterum superindutas praescindere, pilos auferre, praecidere ungues, quin etiam nec corpori parcere, nisi adhibitis decem custodibus cautum esset, ne sanctum cadaver ab imprudenti multitudine discerperetur. Venerationem auxit non mediocrem suavissimus odor, quem molle ac flexibile corpus efflabat, donec lignea capsa holoserico intus investitam inclusum peculiari tumulo, senioribus urbis ita iubentibus, mandatum fuit.

§. 14. Memoriam quam moriens reliquit sui nominis sempiternam, statim testatae sunt quamplures eius imagines tum impressae; tum pictae, ac duae potissimum quarum altera in aedibus magistratus, altera ad tumulum quod ea aetate licebat posita fuit. Concursus inde ad sepulcrum non a propinquis modo, sed etiam a dissitis locis augescebat in dies, prout nova subinde, invocato servi Dei nomine, beneficia impertita populorum frequentiam excitabant; ita quidem ut, cum votivis tabellis in pariete spatium deficeret, auferendae fuerint veteres, ut novis fieret locus. Anno deinde Domini mdcx. Asculanorum civium precibus piae mem. Paulus v. praedecessor noster annuit, ut ad Beati

viri sepulcrum accensa lampas venerationis publicae testis esset perpetua. Civium pietatem aequavit sedulitas praesulis Asculani in cognitione causae super fama sanctitatis, virtutibus et miraculis servi Dei; cum igitur processum quem informativum vocant, explevisset, res in tunc existentium s. r. e. cardinalium congregatione sacris ritibus praeposita delata fuit, ac ad trutinam revocata atque, ut ea ferebant tempora, die VII. Iunii MDCXXV. impertita fuit facultas specialiter in causa inquirendi. Itaque auctoritate apostolica nova causae cognitio instituta atque in acta relata, siluit tamen ad annum usque MDCCIV. Sed quum ex decretis interea a ven. mem. Innocentio XI. etiam praedecessore nostro confirmatis ad prosequendam rem necessaria esset nova resumendae causae commissio, non ante id obtineri contigit, quam sub recol. mem. Clemente XI. pariter praedecessore nostro ad annum MDCCXII. probato deinde cultu qui, pontifice annuente, Beato viro exhibitus fuerat, et casu excepto a decretis rec. mem. Urbani VIII. itidem praedecessoris nostri, tandem fel. rec. Benedictus XIII. similiter praedecessor noster anno MDCCXXVI. peculiari cardinalium qui sacris ritibus praesunt, congregationi negotium dedit, ut de servi Dei virtutibus examen instituerent.

§. 15. Inter haec ab eodem pontifice mense Augusto illius anni facultas concessa est, ut Seraphini corpus a veteri sacello ad alterum recens extructum, ad eius honorem proprie dicatum publice transferretur. Sed anno demum MDCCXXIX. auctior fuit et servo Dei cultus et cultoribus eius laetitia; tunc scilicet quum laudatus pontifex benigne indulsit, ut ab universo ordine minorum s. Francisci atque a clero praeterea tum civitatis et dioecesis Asculanae, tum oppidi Montisgranarii officium sub ritu duplici quotannis recitaretur, et missa ad honorem beati viri celebraretur die XII. Octobris, dio scilicet qua eiusdem fortunati obitus annua memoria recurrebat. Iussu deinde Clementis XII. itidem praedecessoris nostri qui Benedicto praedecessore vita functo proxime successerat, a peculiari quem diximus, cardinalium consessu beati Seraphini virtutum inquisitio ad ordinariam sacrorum rituum congregationem revocata, cum probationibus, ut aiunt, directis inniteretur, tandem factum est ut ratae haberentur ac probarentur.

§. 16. Absoluta denique inquisitione seu processu apostolico super miraculis post indultum b. Seraphino venerationem a Deo patratis, et comperta die XVII. Septembris MDCCLXIII. processus validitate in ordinaria sacrorum rituum congregatione, cuius decretum nos die XXIV. eiusdem mensis confirmavimus; subinde miraculis ipsis in congregatione antepraeparatoria diei XXVII. Novembris MDCCLXIV. examinatis, atque iterum in praeparatoria congregatione diei IX. Iunii MDCCLXV. Postremo vero in generalibus comitiis coram nobis die XXVIII. Ianuarii anni proxime actis, ut moris est, perpensis atque discussis, duo ex illis in tertio genere IX. Martii eiusdem anni (ad quam usque diem divinam opem imploraturi decretum distulimus) rite approbavimus. Primum nempe instantaneae sanationis Ianuarii Ranacci a pessimo ulceroso tumore sub sinistram axillam, quo per plures iam mensis conflictatus, frustrata diu chirurgorum industria, nonnisi ferro aut igne curari posse videbatur. Alterum vero perfectae sanationis a paralysi sinistrae manus qua correptus fuerat Ugo-Antonius Carletti, dum septuagesimum quartum ageret aetatis annum, quod naturae vi seu humanae artis ope nequaquam assequi potuisset.

§. 17. His itaque duobus miraculis cognitis et approbatis, illud definiendum supererat an ad solemnem beati viri canonizationem rite procedi posset; quod

Digitized by Google

cum universi patres unanimi suffragio assererent, nos sancti Spiritus tum propriis tum aliorum precibus implorato lumine, die xii. Octobris proxime praeteriti decretum in eamdem sententiam edidimus. Cumque dilecti filii civitatis nostrae Asculanae magistratus et incolae ac religiosissimus ordo dictorum fratrum s. Francisci capucinorum nuncupat. enixis precibus a nobis postularent, ut decretam Beati viri canonizationem tandem exequeremur, nos ut in hoc gravissimo negotio iuxta praescriptam a praedecessoribus nostris agendi normam procederemus, universi primum collegii eorumdem venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium in consistorio secreto die xxvii. Aprilis proxime elapsi coram nobis congregatorum sententiam atque consilium exquisivimus. Quibus post auditam a nobis gestorum seriem et Beati viri praeclara merita, ad legitimam caussae huius absolutionem una voce nos adhortantibus non viciniores modo, sed remotiores per Italiam venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos monendos curavimus, ut ad Urbem sese conferrent, et nobis de beati Seraphini, necnon beatorum Ioannis Cantii, Iosephi Calasanctii a Matre Dei, Iosephi a Cupertino, Hieronymi Emiliani et Ioannae Franciscae Fremiot de Chantal solemni canonizatione deliberantibus, consiliorum etiam suorum suffragia, prout Spiritus Dei ipsis suggessisset, exponerent.

§. 18. Ut autem praeclarae beati Seraphini virtutes et probata miracula, necnon in totius caussae discussione adhibitae cautiones neminem laterent, indicto prius publico consistorio coram nobis universoque ecclesiasticorum ordinum et collegiorum consessu, mandavimus inibi a dilecto filio Iosepho Ascevolini nostrae consistorialis aulae advocato virtutes et miracula beati Seraphini oretenus palam exponi; integrum quoque et exactum eorumdem ex authenticis documentis fideliter collectum typisque impressum, omnibus suffragium laturis exhibendum curavimus. Demum convocato die x. labentis mensis Iulii in consistorio semipublico praefatos s. r. e. cardinales, necnon patriarchas, archiepiscopos et episcopos, qui iam in Urbem convenerant, ab iis quaesivimus, an ad beati Seraphini canonizationem deveniendum esse censerent. Ipsi vero uno omnes ore, pluribus gravibusque rationibus in affirmativam sententiam ire comperti sunt. Nosque a dilectis quoque filiis apostolicae sedis notariis publica instrumenta confici, ac praeterea suffragiorum ipsorum exempla a singulis subscripta, in tabularium ecclesiae romanae referri mandavimus.

§. 19. Reliquum erat, ut a Patre luminum quid ei placitum esset, edoceremur. Indicto propterea per totam Urbem triduano ieiunio, in tribus patriarchalibus basilicis sanctissimum eucharistiae sacramentum publice adorandum exponi mandavimus, omnibusque christifidelibus vere poenitentibus et confessis, sacraque communione refectis, unam saltem ex dictis basilicis visitantibus atque in ea ad implorandam in tanto negotio divinam opem peccatorum indulgentiam elargiri fecimus. Humillimas quoque nostras et diuturnas fudimus omnipotenti Deo preces, donec hac die beatissimae Mariae virgini de Monte Carmelo sacra ad quam scilicet, cum omnipotenti Deo placuit nos immerentes ad beati Petri cathedram evehere, solemnia coronationis nostrae distulimus, generalis supplicationis ritu ad basilicam s. Petri in vaticano, ut moris est, procedentes una cum omnibus praedictis caeterisque romanae curiae et nostrae aulae praelatis, universoque clero saeculari et regulari et frequentissimo populo divinam opem invocantibus, auditis iterum per dilectum filium nostrum Carolum tituli s. Clementis s. r. e. presbyterum cardinalem Rezzonico nuncupat. eiusdem s. r. e. camerarium, postulationum pro canonizatione impetranda pro-

curatorem, enixis precibus, post sacros hymnos, litanias aliasque preces de more decantatas, od laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, ad fidei catholicae exaltationem, et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, et de praemissorum omnium venerabilium fratrum nostrorum consilio et assensu praedictum Seraphinum a Montegranario ab Asculo denominatum, laicum ordinis minorum s. Francisci capucinorum nuncupat. expresse professum, de cuius vita pie sancteque traducta, et de virtutibus in gradu heroico ac miraculis eius intercessione a Domino patratis plenissime constabat et constat, Sanctum esse definiendo pronunciavimus, et pro Sancto ab omnibus habendum atque colendum ediximus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, omnibusque christifidelibus, qui singulis annis die xii. Octobris vere poenitentes et confessi ecclesiam conventus dicti ordinis in civitate Asculana, ubi ipsius Sancti corpus religiose asservatur, devote visitaverint, septem annos et totidem quodragenas de iniunctis eis vel alias debitis poenitentiis eadem auctoritate in perpetuum misericorditer relaxamus. Denique in obsequium omnipotentis Dei decantato laudis et confessionis hymno incruentam salutis nostrae hostiam ad altare confessionis beatissimi Petri in spiritu humilitatis obtulimus cum commemoratione ipsius sancti Seraphini, necnon sanctorum Ioannis Cantii, Iosephi Calasanctii a Matre Dei, Iosephi a Cupertino, Hieronymi Emiliani et Ioannae Franciscae Fremiot de Chantal, quos pariter sanctorum albo rite adscripsimus, omnibusque qui aderant, plenariam peccatorum indulgentiam elargiti fuimus.

§. 20. Quum autem gratias omnipotenti Deo egimus, quod intèr caetera nobis quamvis immerentibus collata beneficia, illud etiam datum fuerit, ut beatum Seraphinum sanctorum numero adscriptum definiremus, gavisi pariter fuimus in Domino eique benediximus, qui ecclesiam suam perpetua defensione custodiens, manifesto ostendit e quolibet personarum ordine sanctos exoriri perfectionis eximiae, eorumque praeclaris exemplis subinde propositis christianae fidei cultores admonet, ut imitari non pigeat quod celebrare delectat.

§. 21. Quoniam vero post prolatam a nobis, ut praefertur, huiusmodi canonizationis et adscriptionis sententiam ab eodem Carolo cardinali et procuratore nobis humiliter supplicatum fuit, ut super praemissis omnibus apostolicas literas perpetuo valituras edere dignaremur; nos iustissimae petitioni annuentes praesentium literarum tenore atque ex certa scientia et apostolicae auctoritatis nostrae plenitudine omnia et singula praemissa confirmamus, roboramus atque iterum sancimus, ac decernimus universaeque ecclesiae denunciamus; mandantes ut earumdem praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

§. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, relationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae mdcclxvii. decimo septimo calendas Augusti pontificatus nostri anno x.

✠ EGO CLEMENS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

† Ego G. A. episcopus Ostien. et Veliternen. card. Cavalchioi sacri collegii decanus.
† Ego F. M. episcopus Portuen. et s. Rufinae card. Lantes.
† Ego I. F. episcopus Sabinen. card. Albani.
† Ego H. episcopus Tusculan. card. dux Eboracensis s. r. e. vice-cancellarius.
† Ego F. episcopus Albanen. card. Serbellonus.
† Ego I. F. episcopus Praenestin. card. Stuppanius.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego C. tituli s. Clementis presbyter card. Rezzonico s. r. e. camerarius.
†
† Ego F. M. tit. s. Silvestri in Capite card. de Rubeis.
†
†
† Ego I. M. tit. s. Alexii presbyter card. Castelli.
† Ego C. tit. s. Petri ad Vincula presbyter card. Elephantutius.
† Ego P. H. tit. sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio presbyter card. Guglielmi.
† Ego P. P. tit. s. Stephani in Monte Coelio presbyter card. de Comitibus.
†
† Ego Fr. L. basilicae sanctorum XII. Apostolorum presbyter card. Ganganelli.
† Ego M. A. tit. s. Mariae de Pace presbyter card. Columna.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego S. tit. s. Ioannis ante Portam Latinam presbyter card. Buonaccorsi.
†
† Ego I. C. tit. ss. Ioannis et Pauli presbyter card. Boschi maior poenitentiarius.

† Ego L. tit. s. Anastasiae presbyter card. Calinus.
†
† Ego A. tit. s. Mariae in Via presbyter card. Columna Maneinforti.
†
†
† Ego P. tit. s. Maria Transtyberim presbytsr card. Panphilius.
†
† Ego Ph. M. tit. s. Chrysogoni presbyter card. Pirellius
† Ego A. s. Mariae in Via-lata prior diaconorum card. Albanus.
† Ego N. s. Eustachii diaconus card. Consinius
† Ego D. s. Mariae ad Martyres diaconus card. Ursinus.
† Ego H. s. Mariae in Porticu diaconus card. Chisius.
† Ego A. M. s. Agathae ad Suburam diaconus card. Torrigiani.
†
† Ego I. C. s. Caesarei diaconus card. Caracciolus de Sancto Bono.
† Ego N. Georgii in Velabro diaconus card. Perrelli.
† Ego A. s. Angeli in Foro Piscium diaconus card. Corsinius.
† Ego A. ss. Viti et Modesti diaconus card. Nigronus.
† Ego A. s. Adriani diaconus card. Piccolomineus.
† Ego X. s. Mariae de Scala diaconus card. Canale.
† Ego B. ss. Cosmae et Damiani diaconus card. Veterani.
†
†
†
†
†
†

C. card. pro-datarius. A. card. Nigronus.

XIX. Coelorum regnum petiere hoc eodem anno aliquot sacrae virgines. In monasterio s. Clarae Giennii in provincia Granatensi decessit Isabella filia d. Ioannis Gamiz equitis s. Iacobi in eadem civitate orta. A die primo sui tyrocinii usque ad obitum eodem semper habitu usa fuit. Ieiuniis et asperitatibus assidue vacavit. Divino pane refecta, inter ferventissimae charitatis actus erga dilectum suum crucifixum quem manibus tenebat, sanctam afflavit animam. Rapta etiam fuit in monasterio Conceptionis Velez Malachae in eadem provincia Anna de Carabeo. Adhuc puella solitariam vitam ita domi suae ducebat, ut sancta de eremo vulgo diceretur. In monasterio cellulam nunquam habuit; de nocte vel in choro vel in dormitoriis brevi sopori se dabat, ut coelestia solicite meditaretur. Panem tantum quotidie ac malum aureum quandoque comedebat, cinere tamen aspersum. In eodem monasterio hoc tempore occubuit Maria de Salinas, virgo innocentia vitae exornata, in cuius cubiculo triduo ante mortem magnus splendor refulsit. Catharina de s. Iacobo ad Deum abiit in monasterio de Angelis Granatae; semper revincta fuit asperrimo cilicio, nunquam carnem comedit nec lecto cubavit. Divinis interim contemplationibus iugiter vacabat.

Isabella Gamiz. *De Torres pag.* 319.

Anna de Carabeo. *Idem pag.* 324.

Maria de Salinas *Idem. pag.* 634.
Catharina de s. Iacobo. *Idem pag.* 747.

XX. Die xxii. Iulii mortalitatis sarcinam deposuit in monasterio s. Ioannis Belvisii in provincia Angelorum Magdalena a Sepulcro, una ex tribus fundatricibus laudati monasterii ad quod advenerat ex altero s. Clarae de Oropesa.

Magdalena a Sepulcro. *De Guadalupe pag.* 593.

Totius vitae suae cursu eximiis virtutibus mirisque poenalitatibus floruit. Pane et aqua quotidie reficiebatur, adbibitis quandoque paucis olivarum fructibus. Semper incessit discalceata, nec per annos viginti in designato sibi cubiculi lecto quievit. Singulis sextis feriis ac quolibet adventus et quadragesimae die in coenaculum adveniens, coram sororibus publicas poenalitates explebat, licet abbatissae munus gereret. Aliquando enim fune collo alligata, nudatis humeris dire se caedebat. Non semel alapas in facie sua impingebat, sibi dicenti: *sic respondes pontifici?* Saepe etiam instar dilecti sui Iesu populo a Pilato expositi ac dicenti: *ecce homo*, sese monialibus ostendebat pallio rubro amicta, spinis in capite coronata, arundinem manu tenens, plagis in facie sauciata, ac in humeris sanguine conspersa; quam cum viderent sorores, lacrymarum imbre perfusae, ad recolendam Iesu Christi passionem excitabantur. Ter per diem sanguineum sudorem a Christo in horto montis Oliveti emissum ad memoriam variis modis revocabat. Brachiis in formam crucis extensis et aliquando facie et ore in terram prona, parvum s. crucis officium ferventer persolvebat. Otiosa ac inutilia verba semper exhorruit: carnis tribulationes invicta patientia sustinuit; daemonis tentationes et astus strenue superavit. Meruit die Nativitatis Domini pueri Iesu ac Matris suae praesentia recreari. Emicuit prophetiae, scrutationis cordium ac miraculorum donis. Binos annos decubuit in brachio infirma, quibus expletis inter divinas laudes spiritum Deo tradidit.

XXI. Ad Angulum Silicis in Suevia die XXIX. Ianuarii obiisse hoc anno Elisabetham Strasserin ex tertio ordine s. Francisci scribit Fortunatus Hueber in triplici suo chronicon. Vitam duxit inter asperas ita poenalitates, ut laudanda potius quam imitanda fuerit. Summa interim humilitate et charitate exornabatur. Fragrans odor ex eius corpore manavit, et angelorum concentus ad eius tumulum auditus fuit.

Elisabeth Strasseria. Hueber ad diem 29. Ianuarii.

XXII. Die XIX. Novembris in monasterio s. Bernardini Viterbii in provincia Romana, licet invita, inter sorores tertii ordinis adscripta fuit Hyacintha, in saeculo Claricis, parentibus Marco Antonio Mariscotti et Ottavia Orsini Vignanelli comitibus, generis nobilitate ac opibus praestantibus, annos numerans viginti. Ab infantia postquam a mortis periculo divinitus erepta fuit, una cum germana Innocentia educationis gratia eo ingressa, domum paulo post repetiit, ubi aegre admodum tulit, ut altera eius minor germana viro diviti ac nobili desponsaretur. Eo tempore eius pater consilium filiae explorans, dixit ei: num vellet inter sorores illius monasterii adscribi, ubi non multo ante habitum susceperat eius germana Innocentia. Se parituram imperio suo illa respondit; at non animo, sed verbo dumtaxat. Adveniente die illarum collegio adscripta fuit solemni pompa. Verum parentes et familiares prae nimia pietatis laetitia dulciter illacrymabant; ipsa vero audenti vultu siccisque oculis stabat invicta. His vero expletis, dum cellam repetebat; *monialis ero;* dixit, *at meo arbitratu vivam.* Binas in eo cellas sibi aptavit, nobilium more refertas concinnis sedibus, picturis, crucibus argenteis auroque crucifixo, tabellis, mensulis aliisque ornamentis vanitatem sapientibus. Studebat eius germana Innocentia, virgo spectatissimae vitae, ut eam ad bonam frugem revocaret; at irrito prorsus conatu. Tandem anno post decimo moderatoris suae conscientiae opportuna animadversione perculsa, mundanae vanitati nuncium remisit.

XXIII. Parata fuerunt hoc anno aliqua domicilia pro sororibus clarissis. Expensis Christophori Gomez de Sandobal ducis de Zea eiusque uxoris Mariae de Padilla et Manrique extitit monasterium sub invocatione s. Clarae de

Monast. de Lerma. Monum. prov.

in Ascension intra moenia oppidi de Lerma nullius dioecesis in provincia Conceptionis. Quatuor virgines ad hoc moderandum advenere e monasterio discalceatarum Gandiae, quarum duae fuerunt Maria ab Incarnatione abbatissa, et Francisca a Vallisoleto; caeterarum nomen ignoratur. Philippus III. Hispaniarum rex cum aulicis suis magno apparatu earum ingressum praesentia sua cohonestavit. Incolitur a XXXVIII. monialibus. Indulget pontifex: *Cum sicut* die VIII. Iulii, ut quatuor moniales ss. Annuntiationis ordinis s. Clarae monasterii Burdigalae in provincia Aquitaniae Antiquioris transferantur ad novum sacrarum virginum collegium, piis christifidelium eleemosynis aedificatum in oppido de Reole dioecesis Sarlaten. Paret ministro eiusdem provinciae. Idem pontifex ratam habet fundationem monasterii conceptionistarum Pampelonen. in novo regno Granatae, peractam opibus Magdalenae do Velasco pro XXIV. monialibus: *Ex iniuncto* die x. Ianuarii. Eadem Magdalena solemnia vota ibidem emisit, et sanctam vitam duxit. Monasterium subest ordinario loci.

Monast. de Reole. Monast. Pampelone.

XXIV. Moniales clarissae quae ab anno MDLXXIX. haereticorum ac copiarum infestationibus fugam ceperant e monasterio Middeleburgi in Flandria, quaeque per aliquot annos manserant apud monasterium s. Uberti Brugis, hoc anno incoluerunt domum in urbe Leodii in parochiali ecclesia s. Nicolai, vulgo *ad transitum* sive *ad carceres*. Eas illuc adduxit de licentia Ernesti principis et Ioannis Lambillon ministri provinciae Flandriae Franciscus Fabri earum primus confessarius, quibus alias septem virgines adiunxit.

Ann. min. ad ann. 1579. n. 60. Monast. Leodii. Monum. prov.

XXV. Monasterium urbis de Annonay dioecesis Viennensis in Occitania ante ab haereticis combustum, reparavit sois impensis Florita filia Caroli de Pelous monialis clarissa ibidem antea professa, ac a monasterio pulsa. Mandat igitur pontifex archiepiscopo Viennen. *Perlatum* die v. Aprilis, ut in illud immittat moniales s. Clarae, cunctarum praeside electa eadem Florita, licet annorum vigintisex. Paret archiepiscopo loci.

Monast. de Annonay.

XXVI. Eis etiam obvenit monasterium in civitate Tolosana, in quo virgines et viduae simul admittuntur. Antonia Aureliana Belae Insulae marchionissa vidua, relicto Fontis-Eberardi nobilissimo in Audibus et amplissimo toto regno Galliarum devotarum monasterio cui praeerat, ad illud moderandum advenit.

Monast. Tolosae. Thuanus tom. 5. p 1131.

XXVII. Indulget pontifex: *Cum nemo* die III. Septembris Francisco Gonzaga episcopo Mantuano ac olim generali ordinis administro, ut in loco sibi bene viso erigat collegium virginum ordinis s. Clarae sub invocatione s. Ursulae, impensis oblatis a Margarita vidua ducissa Ferrariae germana sua, pro quinquaginta monialibus continendis. Ratas interim habet idem pontifex constitutiones ab eo latas ad bonum monasterii regimen. Ut vero pontifex erga eam benevolum se redderet, datis literis: *Tuum* die IV. Septembris eidem Margaritae indulsit, ut pro lubitu ibidem permanere valeret, cibum capere cum monialibus ac ab ancillis suis deserviri.

Monast. Mantuae.

XXVIII. Hoc vel anno MDCII. initum fuit Genuae monasterium Annuntiationis b. Mariae virginis, impensis Mariae Victoriae Fornari, quae defuncto viro vestem albam et scapulare cum pallio aetheris coloris suscepit de manibus archiepiscopi illius urbis. Hae moniales vulgo *Coelestinae* nuncupantur, maximumque devotionis affectum gerunt erga mysterium ss. annuntiationis Deiparae. Constitutiones editas a p. Bernardo Zenoni iesuita ratas habuit hoc anno Clemens VIII. Paulus V. anno MDCXIII. et postremo Urbanus VIII. anno MDCXXI. Hic autem ordo diversus est ab illo, quem instituit b. Ioanna Valesia apud Bituricum probatum anno MDI. ab Alexandro VI.

Acta ss. ad diem 4. Februarii pag 578.

XXIX. Cura et impensis trium germanorum fratrum, nimirum Thomae, Gasparis ac Magni, genere Schimid de Wellestein excitatum fuit monasterium s. Annae titulo prope Brigantinum pro sororibus de tertio ordine, subiectum provinciae Argentinae fratrum conventualium. Prima abbatissa delecta fuit Ursula Schimid de Wellestein eorumdem fratrum germana. Erectum fuit et hoc anno pro monialibus capucinis Barcinone monasterium de nuntii apostolici licentia. Fundationem ratam habuit summus pontifex: *Ex iniuncto* die xxii. Decembris.

Monast. Brigantinum. *Greiderer tom.* 2. p. 249. n. 467.
Monast. Barcinone.

XXX. Capucini fratres incoluere et hoc anno novas aedes pro eis paratas. In provincia s. Francisci inhabitarunt conventum Nursiae; in provincia Veneta conventum Leudinariae dioecesis Andriensis; in provincia Pedemontana conventum Cunei dioecesis Montis regalis; in provincia Tusciae conventum Massae Ducalis dioecesis Sarzanensis; in provincia Lucaniae conventum Optati dioecesis Caputaquensis; in provincia s. Angeli Apuliae conventum s. Eliae dioecesis Beneventanae; in provincia Vallonica conventum Namurci; in provincia Turonensi conventum Caianovi dioecesis Turonensis; in provincia Lugdunensi conventum Gratianopolis et Montisei; in provincia Burgundiae conventum Vesulii dioecesis Bisuntinae; in provincia s. Ludovici conventum Maritimae dioecesis Arelatensis; in provincia Aquitaniae conventum Cadillaci; in provincia Insulensi conventum Armentariae dioecesis Atrebatensis.

Ex Michaele a Tugio.

XXXI. Vasquius Borallo et eius pieotissima uxor Messia Lopez excitarunt propriis opibus in oppido de Torram dioecesis Eborensis in provincia Algarbiorum coenobium pro fratribus de observantia, s. Antonii Patavini titulo. Non multos post annos ruinae proximum repararunt fratres piorum eleemosynis. Incolitur a xviii. fratribus. Intrarunt hoc eodem anno iidem fratres in coenobium de Boetendal in provincia Germaniae Inferioris, restauratum ab Andrea de Soto provinciarum Belgicarum commissario generali, Isabellae Hispaniarum infantis a sacris confessionibus, et a Balthassare Vincentio loci praeside, munificentia Alberti Pii archiducis et Isabellae Clarae Eugeniae coniugis suae. Anno enim mdlxxix. vastatum fuerat ab haereticis Geusiis. Conventus ss. Petri et Pauli Udvarhelyieosis in Transylvania, fundatus anno mcclxxiii. sub Ladislao iii. Hungariae rege rediit ad fratres de observantia, a quo haereticorum furore abierant.

Conv. de Torram. *Monum. prov.*
Conv. de Boetendal. *Ann. min. ad ann.* 1579. *num.* 64. *Monum. prov.*
Conv. Udvarhelyiensis *Monum. prov.*

XXXII. Applicat summus pontifex: *Exponi nobis* die xvi. Septembris quosdam reditus relictos a quondam Elisabetha de Ostrog olim Palatina Vilnen. pro construtione coenobii eorumdem fratrum in oppido Bizescie in magno ducatu Lithuaniae in Polonia, quod fere totum ex hominibus graecae fidei constabat. Gregorius Ludovicus princeps, Landgravii Leuchtenbergensis et Hallensis comes aere proprio ac aliis ei relictis pro causis piis bonis s Ioanne Rahm I. U. doctore, ecclesiam titulo s. Ioannis Baptistae aedificavit in urbe principe Pfreimbd Landgraviatus Leuchtenbergensis dioecesis Ratisbonensis in Bavaria. Anno mdxciv. die xx. Martii eadem ecclesia sacris ritibus consecrata fuerat. Cum autem laudatus Gregorius penes ecclesiam coenobium a fundamentis erexisset, anno mdci. fratribus minoribus de observantia provinciae Argentinae obtulit. Eisdem autem fratribus concedit pontifex: *Cum alias* die i. Iulii, ut quamdam annuam eleemosynam recipere valeant pro eorum sustentatione, ecclesiae ac coenobii reparatione.

Conv. Bizescie.
Conv. Pfreimbd. *Greiderer tom.* 2. p. 291. n. 87.

XXXIII. Ioannes Baptista a Montemadio Picenus concionator in oppido Braydae Taurinensis dioecesis potestatem accipit a Philippo Ticinensi admini-

Conv. Braydae. *Britius pag.* 112.

stro provinciae ineundi coenobium prope idem oppidum sub invocatione s. Mariae Angelorum, quod tamen longo post tempore perfectionem accepit. In eadem provincia extitit etiam coenobium uno milliari ab oppido Sinfredi eiusdem dioecesis, cuius ecclesia constructa fuit instar domus s. Mariae Lauretanae in Piceno, opibus Iuliae uxoris Hieronymi Montalae comitis ex voto ab ea emisso, si aegra sua proles sanitatem recuperaret. Continet x. fratres. Postremum coenobium obtinuerunt iidem fratres prope oppidum Marri conceptionis titulo in dioecesi Albinganensi, hoc anno inchoatum a Vincentio Rufino Savonensi definitori generali ac provinciae administro, sumptibus oppidanorum. Continet x. fratres. Temporis decursu ad fratres reformatos transiit.

Conv. Sinfredi. *Idem pag.* 170.
Conv. Marri. *Idem pag.* 220.

XXXIV. Iidem observantes provinciae Marchiae abierunt e coenobio s. Mariae de Cessolone sesqui milliare a Tolentino, erecto anno mcnxxxiv. pro clarenis, ut incolerent alterum constructum intra moenia urbis penes ecclesiam s. Mariae Lauretanae, quae spectabat ad canonicos ecclesiae Lateranensis de Urbe. Multa contulit ad operis molitionem senatus civitatis. Primum loci praesidem accepit Ioannem Probati Sentinatem.

Conv. Tolentini. *Gonzaga in provincia Marchiae con.* 28. *Monum. prov*

XXXV. Pro fratribus reformatis instructum fuit coenobium s. Mariae Angelorum prope oppidum Praesitii dioecesis Uxentinae in provincia s. Nicolai: *Ex iniuncto* die xix. Iunii, et conventus s. Rochi intra moenia urbis Matherae; pro eis etiam incoepit esse in provincia Basilicata conventus s. Mariae de Carmelo prope oppidum Pomarici Matheranae dioecesis: *Exigit* die xvii. Maii; eisdem etiam obvenit in provincia Principatus conventus s. Mariae supra montem oppidi Montellae Nuscanae dioecesis: *Ex iniuncto* die xii. Maii; in eadem provincia eisdem conceditur a pontifice: *Ex iniuncto* die xiv. Iunii conventus s. Francisci prope oppidum Cilenti dioecesis Caputaquensis; in provincia Terrae Laboris denuo ipsi occuparunt conventum s. Mariae Gratiarum proper civitatem Galatiae post annum mdlxxxv. ab eis derelictum. In provincia Genuae summi pontificia iussu iidem intrarunt in coenobium Calvarii Genuae, antea a fratribus conventualibus reformatis inhabitatum: *Cupientes* die vii. Iulii, et in conventum s. Francisci prope oppidum Spetiae Sarzanen. dioecesis: *Cupientes* die xxii. Septembris. Hoc eodem anno iidem fratres incoluere conventum s. Damiani prope Assisium, et ss. Annuntiationis prope Nursiam in provincia s. Francisci.

Conv. Praesitii.
Conv. Matherae. *Monum. prov*
Conv. Pomarici.
Conv. Montellae.
Conv. Cilenti.
Conv. Galatiae. *Antonius de Nola p.* 840.
Conv. Genuae.
Conv. Spetiae
Conv. Assisii.
Conv. Nursiae.

XXXVI. Maria de la Guiche vidua Caroli de Levi ducis de Ventadour propriis opibus instruxit coenobium pro fratribus recollectis in oppido Uselii dioecesis Levomicensis. Anno mdcxii. die iv. Augusti ecclesiam consecravit Anna de Levi de Ventadour archiepiscopus Bituricensis. Iidem fratres domicilium posuere apud Tolosam, et valetudinarium in suburbio s. Germani Ioannettae apud castrum Vicenarum.

Conv. Uselii. *Gallia christiana t.* 2. *pag.* 541.
Conv. Tolosae. *Thuanus tom.* 5. *p.* 1131.

XXXVII. Petrus Mathias minister provinciae s. Gregorii insularum Philippinarum fratrum discalceatorum immisit fratres in coenobium s. Iacobi oppidi de Paete in lacuna de Bay, et in alterum sub eadem invocatione in oppido de Cagsava provinciae de Camarines. Aliquot etiam fratres mandavit in domum doctrinalem de los Banos. Hoc eodem anno perfectionem accepit ecclesia et conventus s. Mariae Angelorum Maniliae expensis Martini de la Rea et Gabrielis de Ribera. Mahometanorum incursione periit in eadem provincia conventus et ecclesia de Calilays. In eo excidio fratres fugam capientes, triduo fame ac siti afflicti inter nemora latuere.

Conv. de Paeta.
Conv. de Cagsava. *Martines lib.* 1. *pag.* 92.
Conv. de Calilays dirutus. *Idem ibidem.*

XXXVIII. Dum summa animi contentione in Urbe eoram quatuor s. r. e. cardinalibus a summo pontifice delectis ab anno elapso agebatur causa circa vicarium generalem a fratribus discalceatorum Hispaniae petitum, ad eamdem Urbem accessit marchio Ioannes Fernandez Pacheco, apud sedem apostolicam regius orator Philippi III. nomine, qui discalceatorum patrocinium ita suscepit, ut ab eomet summo pontifice eisdem concessus fuerit vicarius generalis, ab illorum solis ministris provincialibus ac custodibus eligendus. Verum cum sub ipsius diplomatis expeditione multi ex discalceatis contra huiusmodi novitatem literis ad pontificem datis alte quererentur, ideo pontifex Dominico Ginnasio cardinali in Hispaniarum regno legato commisit, ut provinciarum administros ac custodes in comitio convocaret, ac per vota secreta cuncta disquireret ac iuxta suffragiorum numerum, vel eos ad vicarii generalis electionem induceret, vel breve ipsum omnino suppressum haberet. Pontificis diploma vulgamus.

Annal. min. ad ann. 1603. n. 38. De Gubernatis tom. 2. pag. 293.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio nostro Dominico Ginnasio s. r. e. presbytero card. Sipontino salutem et apostolicam benedictionem.

Exposcit debitum pastoralis officii nobis divina dispositione commissi, ut circa ea nostrae solicitudinis partes libenter interponamus, per quae regularium personarum (praesertim sub strictiori regulae observantia Deo famulantium) quieto et prospero statui ac salubri directioni opportune consulatur. Cum itaque, sicut accepimus, in regnis Hispaniarum fratres discalceati ordinis minorum s. Francisci de observantia in septem provincias distributi, regulam s. Francisci strictiori observantia quam fratres de familia nuncupati eiusdem ordinis magna cum christifidelium aedificatione custodiant et observent, ac uberes in agro dominico fructus producant, uberioresque in dies ex illis produci posse sperandum sit, si deinceps ab uno capite eiusdem instituti regerentur. Quandoquidem is tamquam magis instructus et informatus eorum instituti et observantiae regularis, illos rectius et felicius regere et gubernare valeret. Propterea cum charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici per dilectum filium nobilem virum Ioannem Fernandez Pacheco marchionem Villenae et ducem Escalonae, eius apud nos oratorem ac eorumdem fratrum discalceatorum nominibus per dilectum filium Didacum de Veia dicti ordinis et instituti professorem qui hac de causa personaliter ad Urbem accessit, nobis fuit humiliter supplicatum ut super hoc illis indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos illorum pio desiderio quantum in Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, tibi de cuius pietate, prudentia et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut omnes ministros provinciales, custodes et alios fratres qui alias in eorum provinciis ministri provinciales fuerunt, auctoritate nostra convoces, eis proponas, an vicarium generalem qui omnium provinciarum suarum superior et caput existat, eligi desiderent, et si illos omnes aut pro maiori parte de huiusmodi electione facienda convenire compereris, tunc eis ex his auctoritate nostra facultatem eligendi huiusmodi vicarium generalem ex fra-

Ex reg. secr. brev. in mense Iunio pag. 270.

tribus eiusdem sorum instituti concedas, ac illum in quem plura vota concurrerint, in vicarium generalem pro sexennio proximo cum facultate et auctoritate provincias praedictas, earumque ministros provinciales, custodes et fratres regendi, gubernandi, visitandi, reformandi et corrigendi ac alia omnia et singula ad officium vicarii generalis huiusmodi spectantia et pertinentia faciendi, ordinandi et exequendi dicta auctoritate nostra confirmes. Imposterum autem pro electione vicarii facienda ministri provinciales et custodes provinciarum earumdem tantummodo convocari debere, atque confirmationem vicarii generalis qui deinceps ad dilectum filium ministrum generalem totius ordinis fratrum minorum de observantia pro tempore existentem, qui illum intra tres dies a die petitionis illi intra mensem facienda confirmare teneatur; alioquin si huiusmodi confirmationem diutius concedere distulerit, lapsis tribus dictis diebus, electus in vicarium generalem auctoritate apostolica confirmatus censeatur, spectare debere. Interim tamen a die electionis usque ad diem confirmationis eumdem electum officium vicarii generalis aeque ac si confirmatus esset, exercere licite posse decernas. Praeterea quod si vicarius generalis pro tempore sententiam aliquam contra quemlibet sui ordinis religiosum tulerit, per quam illum ad triremes aut privationem habitus condemnet, ipse condemnatus ad praedictum ministrum generalem provocare et appellare possit. Quodque ipse minister generalis per ipsum dumtaxat personaliter visitare et corrigere possit praedictum vicarium generalem ac provinciales, custodes et fratres dicti ordinis et instituti discalceatorum pie, benigne et charitative ad meliorem frugem provocando, et si quemque repererit criminosum, ipsum vicarium videlicet de consilio et assensu maioris partis ministrorum provincialium praedictorum, caeteros vero de consilio et assensu maioris et sanioris partis fratrum domus vel conventus visitatorum in eodem loco, et non extra corrigere, punire, poenitentiare et emendare valeat, secundum quod delicti qualitas exegerit faciendum. De regimine vero et cura praedictorum fratrum discalceatorum se uliter intromittere non possit. Quodque praedicti fratres discalceati non teneantur convenire in capitulis generalibus dicti ordinis fratrum de observantia. Capitula autem generalia ipsorum fratrum discalceatorum singulo triennio facienda, vicarius generalis pro tempore existens convocare et in illis praesidere possit et debeat. Si vero generalis vicarius infra officii sui tempus ex hac luce migraverit, seu alias ab officio amotus fuerit, minister provincialis in cuius provincia illum mori vel amoveri contigerit, nuntiare teneatur quanto citius poterit omnibus definitoribus capituli generalis immediate praecedentis, et omnibus ministris provincialibus, ac de consilio et consensu duorum ministrorum provincialium proximiorum determinare debeat locum et tempus, nisi fuerint per generale capitulum vel per praedictum vicarium generalem ante ipsius obitum et amotionem deputata, et convocet qui fuerint evocandi pro successoris vicarii electione celebranda: ac intermedio vacationis tempore officium vicariatus huiusmodi exerceat primus definitorum praedictorum, vel ipso deficiente, secundus, et sic successive cum plenaria potestate praedicta, eadem auctoritate nostra perpetuo statuas et decernas; caeterum futuro vicario generali et capitulis generalibus, ut pro bono ipsorum fratrum discalceatorum regimine quaecumque statuta et

ordinationes earum regularibus institutis ac sac. canonibus et concilii Tridentini decretis conformia facere, eaque is qui capitulo generali pro tempore praesederit, confirmare valeat, concedas et indulgeas. Super quibus omnibus plenam; liberam et amplam facultatem et auctoritatem tibi concedimus et impartimur: non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis etc. Caeterum eisdem fratribus discalceatis provinciarum praedictarum ex nunc, prout ex tunc, postquam ad electionem praedicti vicarii generalis deventum fuerit, licentiam erigendi in hac alma Urbe unum eorumdem fratrum conventum, ad quem omnes eiusdem ordinis et provinciarum praedictarum fratres huc quacumque de causa venientes accedere debeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud s. Petrum die vi. *Iunii* mdciv. *pontificatus nostri anno* xiii.

M. Vestrius Barbianus.

XXXIX. Hinc die xxix. Septembris coacto coram summi pontificis legato in coenobio s. Didaei Vallisoloti comitio, vulgatum fuit summi pontificis breve, electoribus xxix. qui eo accesserant ex provinciis Arrabidae, Pietatis et s. Antonii in Lusitania et ex aliis in Hispaniarum regnis, nimirum s. Gabrielis, s. Iosephi, s. Ioannis Baptistae et s. Pauli. Collectis suffragiis, duodecim pro vicarii postulatione steterunt; caeteri vero eam postulationem tamquam sibi et ordini noxiam reiiciendam unanimi consensione putarunt. At die xxx. Septembris cuncti electores, subscriptis missisque literarum fasciculis ad laudatum cardinalem, sub unius ministri generalis obedientia se velle manere professi sunt. Multa prae aliis contra hanc novitatem scripsit tum pontifici, tum Philippo iii. tum apostolico nuncio Ioannes de Plagis alumnus provinciae Arrabidorum ex fratribus discalceatis. *De Gubernatis ibid. pag. 295.*

XL. Praesidem generalis comitii mox habendi in coenobio ss. Cosmae et Damiani de Urbe a fratribus claustralibus tertii ordinis statuit summus pontifex: *Cum capitulum* die i. Iunii Alphonsum Vicecomitem s. r. e. cardinalem. Totius ordinis moderatorem confirmarunt patres Ioannem Baptistam Provenzanum anno mdci. electum. *De Sillis pag. 38.*

XLI. Balthassar de la Hoz guardianus coenobii s. Francisci Burgis e tumulo eduxit ossa miro odore fragrantia beati Lupi s. p. Francisci discipuli ibidem defuncti circa annum mccxci. et in decentiorem locum transtulit. Post sui mortem locum acceperat in aedicula primaeva s. Francisco sacra, erate ferrea contectum. Licet autem humi iaceret, impense tamen a fratribus honestabatur. *Monum. prov.*

XLII. Philippus iii. Hispaniarum rex misit ad summum pontificem supplicem epistolam cum actibus confectis in Hispania a Dima Serpi postulatore causae Salvatoris ab Horta laici franciscani pro eius promovenda canonizatione.

SANCTISSIME PATER

Duci de Escalona consiliario et legato meo scripsi, ut cum sanctitate tua loquatur de canonizatione quam franciscani fratres et coronae Ara- *Acta ss. ad diem 18. Martii pag. 691.*

goniae ministri naturales deberi dicunt fratri Salvatori ab Horta fratris laici eiusdem religionis, ex meo principatu Catalaunico oriundi, cuius corpus hodie invenitur in templo monasterii de Iesu civitatis Calaritanae in meo regno Sardiniae. Precor sanctitatem vestram ut plenam fidem adhibere velis omnibus circa negatium hoc tibi meo nomine referendis a duce praedicto, eique necessarium omnem favorem et gratiam ad hoc opportunam praestare. Nam praeterquamquod ea res tendat in servitium et gloriam Dei ac Domini nostri sanctorumque eius, ego quoque ex eodem laetitiae fructu copiam singularis gratiae a vestra beatitudine mihi factam agnoscam, cuius sanctissimam personam Dominus noster custodiat felicemque reddat ad regimen suae universalis ecclesiae.

Dabam Toleti die XVII. *Ianuarii anno* MDCIV.

Sanctitatis vestrae

humilissimus et devotissimus filius
d. Philippus Dei gratia rex Castellae etc.

Monum. prov. XLIII. Idem pientissimus rex hoc anno Guadalfagiarae tribus diebus cum regina et aulicis suis in coenobio fratrum de observantia diversatus est omni humanitatis sensu, et cum eis feria IV. cinerum in maiori sacello divinis officiis interfuit. Tantum vero honoris voluit fratribus deferri, ut prius omnes etiam oblati ad christianos ritus excipiendorum cinerum, quam ipse aut regina ante aram sua voluntate accesserint.

Ann. min. ad ann. 1279. n. 12. 1305. n. 8. 1307. n. 2. XLIV. Franciscus de Sousa supremus moderator ordinis Pictavium adveniens, corpus Gualterii Brugensis episcopi Pictaviensis qui anno MCCCVII. ibidem cum magna sanctitate obierat, studiose inspexit in sepulcro occlusum. *Thuanus pag. 1118.* Factum exscribimus a Thuano auctore coaevo: « Franciscus Sosa ordinis sui seraphici princeps eum pro ratione muneris Franciam perlustrans Lutetiam venisset . . . . iter per Pictaviam habuit, ubi in franciscanorum monasterio degens, cum de Gualterio franciscano urbis episcopo qui a stricta morum disciplina ac vitae totius gravitate sancti nomen inter suos meruerat . . . sepulcrum eius ante maius templi altare positum aperiri voluit, quod vocatis monasterii sodalibus et confecto de ea re instrumento coram ipso actum III. calendas Iunias, et ossa tantum reperta in tunica ex auro filo contexta, quae Sosa adstantibus osculanda praebebat, hoc styracem, illud balsamum redolere religiose affirmans; reperti et inter ossa digitorum articuli chirothecis inclusi, cum annulo magni pretii quem ipse sibi sumpsit et ad pontificem se perlaturum promisit . . . . Ne memoria Gualterii qui tantam celebritatem seraphico ordini conciliavit, periret, destructo per bella civilia antiquo monumento, cum alterum struendi pari magnificentia facultas non esset, franciscani sodales lapidem eius loco posuerunt cum inscriptione HIC IACET B. GUALTERIUS, quae nunc adhuc visitur ».

Sbaralea lit. G. XLV. Eumdem sepulcrum aperuisse et Clementem VI. pontificem eo transeuntem tradit auctor antiquus *catalogi ss. fratrum minorum* anno MCCCXXXVI. scripti in quo haec habetur: *in provincia Turoniae in Pictavia frater Gualterius episcopus Pictaviensis multa miraculo fecit; illuminavit caecos, et discooperta suo sepulcro ad praeceptum Clementis papae nobis brachium ostendit etc.* Hinc minus recte tradit Oudinus dum scribit de hac re testes nullos veteres auctores haberi.

XLVI. Aliqua statuit summus pontifex. Restituit et adprobat missale romanum a Pio v. editum: *Cum sanctissimum* die vii. Iulii; iubet ne aliis mutuentur vasa et paramenta sacra monasterii clarissarum Graecii in provincia Styriae, donata a Maria vidua archiducissa Austriae: *Cupientes* die vii. Augusti; ne extrahantur libri e bibliotheca s. Francisci Hispalen. aucta a Ludovico Rebellodo minorita de observantia: *Capientes* dio ix. Iunii; ne alio transferantur ss. reliquiae positae in ecclesia parochiali s. Iacobi in loco s. Facundi ab Andrea de Soto confessario Isabellae infantis Hispaniarum, inconsulta apostolica sede: *Cupientes* die x. Decembris; cavit ne minuatur numerus monialium monasterii oppidi de Olmedo Abulensis dioecesis: *Oblata* die xvii. Augusti; ut moniales tertii ordinis oppidi de Carrion Palentinae dioecesis clausurae legibus subiiciantur: *Cum sicut* die xiii. Octobris; ut in monasterio clarissarum Lamaceu. servetur statutum eligendi vicariam ab abbatissa ac a discretis eiusdem loci: *Dilectarum* die xv. Novembris; praescribit formam erigendi congregationes et confraternitates easque aggregandi aliis, et indulgentias communicandi: *Quaecumque* die vii. Decembris; subiicit episcopo Oxomen. monasterium s. Clarae oppidi de Villanueva de las infantas nullius dioecesis: *Cupientes* die xiv. Maii; episcopo Cremonae monasterium s. Mariae de Pace eiusdem civitatis: *Cupientes* die ix. Iunii, et aliud titulo corporis Christi sub eadem die; episcopo Tudertino monasteria Pictatis, et Montis Christi: *Cupientes* die xx. Octobris; episcopo Salusiarum monasterium s. Clarae: *Cupientes* die xxvi Octobris; Urbis vicario summi pontificis monasterium s. Silvestri in Capite: *Ex nonnullis* die xx. Novembris.

XLVII. Plura interim largitur pontifex. Commutat voluntatem fundatricis monasterii de Constantina Hispalensis quoad aliqua onera: *Exponi* die xiii. Ianuarii; concedit quosdam reditus puellis orphanis civitatis Fani: *Expositum* die xiii. Februarii; eligit Ioannem Salvagerium ministrum provinciae Aquitaniae Antiquioris: *Cum sicut* die xxi. Februarii; committit episcopo Gratianopolitano causam Claudii Bressen ministri provinciae s. Bonaventurae: *Cum sicut* die xxix. Decembris; aliqua indulget fratribus infirmis in valetudinario coenobii s. Mariae Novae Neapolis: *Cum sicut* die v. Aprilis; ut Petrus Merillo clericus Toletanus possessionem capiat cuiusdam cappellaniae erectae in monasterio s. Elisabeth Angelorum Cordubae: *Nuper* die xiv. Iunii; ut Thomas Ursinus archiepiscopus Antibaren. et Servias primas aliquot religiosos cuiusvis ordinis mendicantium eligat pro sacramentis administrandis, verboque Dei annuntiando inter infideles: *Quoniam* die x. Iulii; ut confratres sodalitatis b. Mariae de Succursu translatae in ecclesiam tertii ordinis Hispalensis iisdem fruantur privilegiis iam concessis, dum erecta erat in ecclesia s. Iacobi eiusdem civitatis: *Expositum* die xxxi. Iulii; quaedam indulget fratribus minoribus de observantia conventus Imolae: *Expositum* die xxxi. Iulii; ut nuntius apostolicus in Poloniae regno instituat commissarium apostolicum ex ordine fratrum minorum de observantia: *Cum sicut* die xvii. Novembris; indulget, ut Franciscus Cervantes, Ferdinandus Duram et Sebastianus Porves fratres observantes Mexicani Romam petant pro negotiis magni momenti expleudis: *Cum sicut* die xxiii. Novembris; ut moniales clarissae Gandavi persolvant officium b. Coletae virginis: *Piis ac devotis* die xxvii. Novembris; ut Antonius de Alzega episcopus Venetiolae secum aliquot fratres de observantia retineat: *Meritis* die vi. Decembris; ut guardianus conventualium coenobii oppidi Valentiae dioecesis Papiensis possit transferre aliquot ss. reliquias ab ecclesia coe-

nobii Casalensie: *Cum vos* die xv. Novembris; ut bis in anno ingredi et refectionem sumere possit in monasterio s. Elisabeth loci e. Clementis dioecesis Conchensis Dionysia Navarra de Santoglia: *Piis ac devotis* die xxix. Martii; ut Franciscus de Navarette minorita de observantia permanere possit in domo consanguineorum valetudinis recuperandae causa: *Oblata* die xxx. Martii; ut bis in anno Catharina de la Fuente nobilis Toletana ingredi possit in monasterium s. Antonii de Padua eiusdem civitatis ab ea fundatum et dotatum: *Spirituali* die v. Aprilis; ut Iuliana ducissa de Aveiro Lusitana sex per annum una cum filiabus suis ingredi possit in conventum fratrum discalceatorum de la Arrabida ad ipsa erectum. *Tua in Deum* die xxv. Maii; ut Henrica Catharina de Ioyosa ducissa Montiepensieri ingredi possit in conventum capucinorum, ubi moratur pater eius Angelus infirmus iam capucinus: *Spirituali* die v. Maii; quaedam indulget eidem Angelo capucino: *Cum sicut* die v. Maii; ut moniales clarissae oppidi de Guamanga dioecesis Cuscan. in Indiis occiduis possint habere ancillas inservientes Indas ac Nigras christianas: *Expositum* die vii. Iulii; ut Maria de Spiritu sancto professa in monasterio conceptionis Mexici possit frui reditu centum vigintiquinque ducatorum a bon. mem. Philippo ii. relicto pro eius necessitatibus: *Cum sicut* die xiii. Septembris; oliqua indulget fratribus reformatis confessariis monaterii s. Mariae Magdalenae Neapolis: *Quamvis* die xv. Maii; deputat Paulum de Clavasio commissarium visitatorem provinciarum reformatorum Urbis Romanae, Umbriae, Marchiae et Tusciae: *Pastoralis* die ix. Iunii; in provinciam Ragusinam mittit Dionysium a Turre item reformatum, multis instructum facultatibus: *Cum nos* die xxviii. Augusti.

XLVIII. Transfert altare privilegiatum ad alterum de novo erectum sub invocatione Pietatis a familia de Florentiis in ecclesia fratrum conventualium Auximi: *Alias* die xxx. Ianuarii; concedit altare privilegiatum ss. Crucifixi in ecclesia observantium s. Francisci Bruxellen. *Omnium* die viii. Novembris; confirmat altare privilegiatum concessum ecclesiae Annuntiationis Nursiae a Gregorio xiii. pro observantibus, cui hoc nostro tempore praesunt fratres reformati: *Alias* die xiv. Decembris.

XLIX. Erigit confraternitatem conceptionis in ecclesia b. Mariae oppidi de Motthua Tullen. dioecesis et largitur indulgentiae: *Piis christifidelium* die vii. Februarii; confraternitatem sacrorum stigmatum s. Francisci in ecclesia s. Mariae ad Nives Veliternen. et largitur indulgentias: *Cum sicut* die xx. Augusti; precibus Margaritae Gonzagae ducissae Ferrariae viduae concedit indulgentiam plenariam in ecclesia monasterii s. Ursulae ab ipsa erecti in die s. Francisci, s. Clarae et s. Ursulae: *Ad augendam* die xviii. Septembris; erigit confraternitatem conceptionis in ecclesia s. Leonardi oppidi Melazzi Messanen. dioecesis et indulgentias largitur: *Cum sicut* die xx. Martii; confraternitatem s. Rochi erectam in ecclesia Villae de Callosa Oriolen. dioecesis et largitur indulgentias: *Cum sicut* die xxvii. Aprilis; confraternitatem sacrorum stigmatum erectam in ecclesia coenobii Pacis Mediolanen. et largitur indulgentias: *Cum sicut* die x. Septembris; confraternitatem conceptionis erectam in ecclesia Annuntiationis servorum b. Mariae Pistorien. ac largitur indulgentias: *Cum sicut* die vii. Octobris; confraternitatem conceptionis erectam in ecclesia s. Mariae la Blanca oppidi de Lerma Burgen. dioecesis et indulgentias largitur: *Cum sicut* die ii. Octobris.

L. Aliqua subnectimus diplomata a Petro de Alva exscripta. Parochia conceptionis in loco de Pasqualgrande Abulen. *Dignum* III. nonas Septembris; confraternitas Plagarum in monasterio clarissarum de Pimgel Visen. *Ex debito* XVI. calendas Octobris; pro monasterio clarissarum Ianuen. *Ex iniuncto* IV. idus Iunii; beneficium fratris Ludovici Heuristen. *Decet romanum* calendis Octobris; pro monasterio clarissarum Savonen. *Ex iniuncto* VII. calendas Aprilis; pro collegio conventualium s. Bonaventurae de Urbe: *Sedes apostolica* X. calendas Aprilis; erectio confraternitatis conceptionis de la Poebio de Guadalupe Toletan. *Illius qui* calendis Martii; beneficium in ecclesia clarissarum b. Mariae Gratiarum Parmen. *Vitae et morum* XVI. calendas Ianuarii; pro conventu capucinorum Camericen. *Ex iniuncto* nonis Octobris.

LI. Prodiit hoc anno sequens decretum s. c. episcoporum et regularium circa divina officia et funera, quae aguntur in ecclesia monialium: « Sanctissimus d. n. Clemens divina providentia papa VIII per suas literas in forma brevis die VIII. Novembris MDCIII. pontificatus sui anno XII. datas, ex huius s. c. s. romanae ecclesiae cardinalium negotiis ac consultationibus episcoporum ac regularium praepositae voto, quamplurima missarum onera ab ecclesiis monasteriorum monialium totius Italiae et praesertim Galliae Cisalpinae sub cura et regimine fratrum minorum de observantia existentium, in ecclesias eorumdem fratrum apostolica sua auctoritate transtulit, necnon certum numerum missarum in singulis eorumdem monasteriorum ecclesiis celebrandum praescripsit, praecipiens sub privatione vocis activae et passivae perpetuaeque inhabilitatis poena, ne quis ex dictis fratribus ad praedicta monialium monasteria, praeterquam ad celebrandas missas praedictas de superiorum licentia, et in diebus festivitatum monasteriorum huiusmodi, vel tempore receptionis et professionis novitiarum, sive obitus alicuius monialis pro funere et officio, ut moris est, peragendo, ullo modo accedere auderent, quemadmodum in eisdem literis plenius continetur. Cum vero uti superiores eius ordinis eidem congregationi nuper exposuerunt, in eisdem ecclesiis monialium existant nonnullae sepulturae et cappellae, in quibus defuncti sepeliri solent, et ex testatorum voluntate anniversaria et exequiae in die obitus et per totam octavam celebrari consueverunt, atque in posterum eiusmodi sepulturae et cappellae ex piorum legatis, cum pari onere exstrui possint, opusque esse propterea videatur, ipsos fratres ad ea pietatis officia praestanda ad dicta monasteria accedere et convenire, eadem s. congregatio facto verbo cum eodem s. d. n. et de expresso ordine suae sanctitatis declaravit et declarat, eosdem fratres quando defunctorum corpora ad ecclesias earumdem monialium deferri et exequias aut anniversaria officia pro iis et missas etiam per octavas celebrari contingit, ad easdem monialium ecclesias et monasteria de ipsorum superiorum licentia licite et absque poenae alicuius incursu accedere posse, dum tamen ea occasione tunc temporis cum ipsis monialibus non colloquantur. Firmis caeteroquin et in suo robore permanentibus quae in dictis literis in forma brevis statuta et ordinata sunt. » *Ex compendio bull. Cherubini tom. 3. pag. 34.*

Romae die IX. Augusti MDCIV.

Alexander card. Florent.
Berlingerius Cyspius secret.

LII. In grati animi significationem sequens monumentum posuere fratres observantes coenobii s. Spiritus Ferrariae eminentissimo viro Francisco de marchionibus s. Georgii et Blandratae in Flaminia legato, qui marmoreas scalas dono datas eisdem fratribus a Clemente VIII. pontifice eodem in coenobio suis impensis aptavit.

CLEMENS PAPA VIII. S. P. Q. F. PRECIBVS HANC MARMOREAM SCALAM Q. IN SVBVRBANO PALATIO AD LITORA PADI REGALI MVNIFICENTIA ERECTA CONSPICIEBATVR HVIC COENOBIO SVMMA ANIMI LIBERALITATE CONCESSIT ET AD EIVSDEM DECOREM ET FRATRVM COMMODVM VSVM ILLVST. ET REVERENDISS. D. FRANCISCVS EX COMITIBVS S. GEORGII ET BLANDRATAE CARD. S. CLEMENTIS NVNCVP. FLAM. LEG. VRBISQVE FERR. COLLEG. AMPLISSIMIS MVNERIBVS HIC ERIGENDAM MANDAVIT DOMVS ET STRVCTVRAE CVRAM AGENTE FR. STEPHANO MEDIOLANEN. ANNO MDCIV.

Sedulius pag. 159.

LIII. Quaedam miraculo narrantur. Petrus Boels laicus franciscanus de observantia incola conventus Traiecti ad Mosam coquinae addictus, cum post consuetam orationem in ecclesia de nocte diei II. Ianuarii effusam cellulam repetiisset, extincta lucerna, incidit capite deorsum in dolium aqua semiplenum iuxta ianuam culinae, in terra defixum instar cisternae, quod excipiebat aquam pluvialem. Non poterat se sic aqua submersus erigere, nec emergere angusto dolio. Cum autem verbis haud posset, corde et affectu invocavit b. Virginem Traiectensem, et nulla interposita mora, corpore medio se comprehendi sentiens, ac in pedes restitutus, a certa morte eripitur.

Barezius part. 4. pag. 1285.

LIV. Vela fecerunt hoc anno ab Indico mare in Lusitaniam sex navigia, duce Paulo Ioachin et Nicolao equite Catalauno, in quorum altera omnium maiori, quinquaginta et decies centena aureorum millia locata fuerunt. At ventorum impetu facto oceanico in mari cum in arenam impegisset, qui eo aderant, in schapham extemplo insilierunt, ut praesens mortis periculum aliquo modo evaderent; at frustra, schapha tot continendis hominibus impar. Saeviente interim procella, cum unus ex illis seraphici parentis patrocinium ferventer implorasset, illum mox navitae super aquam ambulantem viderunt dicentemque eis, ne timerent, sed in Domino confiderent et ad eum accederent. Licet a visione primo deterriti, ad eum tamen accesserunt fidenter. Tunc sanctus suum cingulum eis praebens, dixit; ut illud navi alligarent, eamque cum eo traherent. Quo peracto, navem e loco expedite dimoverunt, et sic felici cursu Ulysiponem advenere. Prodigii memoria vulgata fuit solemni supplicatione in urbe indicta cum eodem s. Francisci cingulo.

Acta ss. ad diem 24 Iulii pag. 762.

LV. Quidam mercator lutheranus valde dives, Nayma in Moravia ortus, factus caecus, cum non inveniret a quo sanaretur, medicum, iugiter deflebat suam miseriam. Contigit ut ad eumdem locum veniret abbas Lucoriensis ordinis praemonstratensium cum sodali visitaturus sui Instituti coenobium. Hic socius occasionem habuit agendi certum negotium cum illo caeco mercatore, cuius miserans infelicitatem, multa narravit magnalia de aqua putei beatae Cunegundis, suasitque, ut se illi commendaret. Libenter id praestitit mercator, et nisi urgentes suorum negotiorum necessitates obtitissent, ad Beatae sepulcrum monasterii Antiquae Sandacensis solicite ivisset. Amico tamen et vicino suo causa vini mox emendi in Hungaria usus est ad suum desiderium ex-

plendum, rogans eum, ut strophium illi datum madefaceret in aqua putei Beatae, secumque postea deferret ad suos oculos abstergendos, promittens deserendam, si convalesceret, lutheranorum sectam. Cuncta haec aperuit sacerdotibus Antiquae Sandeciae; attamen strophium in puteo Beatae haud madefecit, id perficiendum sibi reservans in reditu. At rei perficiendae oblitus, id sibi in mentem prius non venit, quam dum erat in Moravia. Volens igitur eo se iterum conferre, ut datam amico fidem servaret, quaesivit in cista strophium, et illud madefactum invenit; quod divinae tribuens omnipotentiae, laetus ad patriam iter continuavit, eoque perveniens, mercatori caeco rem totam narravit, strophiumque tradidit, quo ipse oculos abstersit, et protinus visum recepit, et catholicae ecclesiae cum tota domo sua nomen dedit.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Fratres minores insulas Guadalupenses et Salomonis petunt. Fratrum recollectorum labores in regno Galliarum. Obiit summus pontifex Clemens VIII. *et eius successor Leo* XI. *s. Petri cathedram obtinet Paulus* V. *Minoritae conventuales et capucini celebrant capitulum generale. Parantur novae aedes pro fratribus et sororibus. Commendatur memoria aliquorum servorum Dei ac virginum, et s. Francisci Solani acta prosequuntur. Numerantur episcopi, viri docti, summi pontificis mandata, indulta ac miracula.*

Martinez lib. 1. pag. 134. De Torres in provin. Granatensi pag. 631.

Georgius de Casatexada.

Ioannes Teram.

CUm Sebastiano a s. Iosepho commissario ac duce vela pandunt hoc anno triginta franciscani fratres Hispani in Luçoniae insulas evangelii disseminandi causa. In Guadalupenses insulas quae in archipelago columbiano continentur, quaeque olim sub uno Antillarum nomine veniebant, acciti, ex illis tres nimirum Blasius de Antequera, Georgius de Casatexada sacerdotes et Ioannes Teram laicus, illarum incolarum conversionem sitientes, dimissis furtive comitibus inconsultoque commissario, ibidem sedem inter sylvas quibus abundant insulae, posuere. Cum autem hac illac discurrerent, obvias habuere quosdam paganos qui impetu in eos facto, habituque exutos, mox velut mancipia tribus Cacique oppidi deserviendis destinantur. Georgius de Casatexada sacerdos eum prae nimiis poenalitatibus in lethalem morbum incidisset, eius dominus suae infirmitatis impatiens caput obtruncat. Saevum ictum invicta sustinuit fortitudine, flexis genibus, manibus ac oculis in coelum elatis. Anno insequenti incolae morte etiam mulctarunt velut exploratorem regis Hispaniarum Ioannem Teram laicum, ab eis inter sylvas campertum.

II. Blasius autem de Antequera in civitate Cordubensi natus, pro eximia mansuetudine ac comitate ita Caciqne domini sui animum devicerat, ut eum non mancipium sed verum familiarem haberet. Cum sibi daret occasio, multa Blasius de Deo deque fidei christianae praestantia et aliisque de domo sua dicebat. Eius dominus aliquando rogavit eum ut infirmi filii sanitatem a Deo suo cuius omnipotentiam saepe commendaverat, impetraret. Multas preces praemisit vir Dei, lectoque super infirmum filium evangelio, aegrotus extemplo valetudinem recuperavit. Vulgata fama prodigii, alii etiam infirmi ad eum confluebant, quos vel crucis signo, vel sacri evangelii lectione sanabat. Ex iis incolae commoti, proni videbantur ad Christi fidem suscipiendam. Verum cum ad insulae portum accessissent quidam navitae mercatores Britannici, eo se contulit cum Blasio Cacique suus cum eisdem de permutandis rebus acturus. Confecto rerum venalium negotio, idem Blasius velut sponsor datus est eis a Cacique, donec caetera quae deerant ipse ad navim afferret. In collatione inter eos habita absente Cacique cognoverunt mercatores Blasium, patria Hispanum, ac religiosum virum sub illius captivitate versari. Quare ut eum a tanta malorum eriperent colluvie, eo invito e Guadalupensibus insulis ad Portum Ricum adduxerunt.

III. Licet ab illius urbis episcopo in suas aedes pluries invitatus, maluit tamen in pauperum nosocomio diversari. Magno animarum fructu verbum Dei annuntiabat; tristabatur tamen de amissa vinea Guadalupensi quam sibi Deus excolendam tradiderat. Cum autem ad eam iterum petendam se pararet, gravi

morbo correptus, viciniae suae mortis nuncium accepit. Angelico pano refectus at extrema unctione ab episcopo munitus, inter divina colloquia spiritum Deo reddidit anno MDCVI. vel iuxta alios anno MDCVIII. Tumulum nactus est in ecclesia cathedrali nobili in arca occlusus. Post sui mortem quaedam miracula ad eius sepulcrum evenisse tradunt.

IV. Ex uno litore Peruviani regni Petrus Fernaudez dux regis catholici im- *Torquemada tom. 3. pag. 419*
perio iter arripuit ad insulas Salomonis, ita ob ingentium rerum copiam dictas. Huiusmodi insulae occurrunt in freto magellanico ad oras maris pacifici anno MDLXVII. ab Alvaro de Mendano detectae. Cum autem minister franciscalium Peruviani regni mandatum accepisset anno MDCII. a pontifice: *Cum ad messem* *Annal. min. ad ann. 1602. n. 66.*
die IX. Maii, ut eidem Petro aliquot sui instituti pro dilatanda fide socios daret, hinc sex operarios evangelicos ad eum misit doctrina morumque sanctitate spectabiles. Eorum nomina sunt Martinus de Munilla commissarius, Matthaeus de Vascones, Ioannes de Merlo, Antonius Quintero sacerdotes, Ioannes Palomares et Franciscus Lopez laici. At saepe a valida maris tempestate hac illac iactati, eorumdem vota suo caruerunt effectu. Nam prope Californiam vitae terminum complevit Martinus de Munilla; caeteri vero quo exitu habuerint, penitus ignoratur.

V. Haec apud Americanas gentes. In Galliarum regno eodem tempore deviorum christifidelium saluti solicitam operam etiam navabant fratres recollecti. *De Gubernatis de missionibus pag. 84.*
Vix enim hospitium s. Martini positum extra moenia Gratianopolis incoluere, qua concionibus, qua sacramentorum pabulo, qua vitae exemplo urbem haeresi pravisque moribus maculatam ita expiarunt, ut elapsis paucis mensibus fides et pietas ubique florerent. Prae caeteris in apostolico ministerio praestans fuit Cyrillus Badol a s. Salvatore, vir eximiae doctrinae ac eloquentiae, qui per alias etiam urbes et pagos Lugdunensis provinciae discurrens, multos ad fidei unitatem ac ad poenitentiam adduxit.

VI. Summi pontificis voluntate: *Dilectarum* die VII. Ianuarii immissae fuerunt in novum monasterium oppidi de Faxomal dioecesis Pacensis, sumptibus *Monast. de Faxomal.*
instructum quondam Alphonsi de Paz loci incolae, Beatrix de la Assumption et Maria de s. Andres professae in monasterio clarissarum oppidi de Cumbres Hispalen. dioecesis. Titulum praesefert s. Mariae de Pace, subiicitque ordinario loci sub regula conceptionistarum.

VII. Ad ecclesiam Massiliensem promotus est die XIX. Ianuarii Iacobus Turricella Florentinus ex minoritis de observantia, a sacris confessionibus reginae Mariae de Medicis, coniugis Henrici IV. Francorum regis, aulaeque ipsius concionator. Obiit anno MDCXVIII. *a cubiculario potionatus*, *qui eius* *Gallia christiana t. 1. pag. 665.*
pecuniae inhiabat.

VIII. Eligit summus pontifex: *Religionis zelus* die XXVI. Ianuarii Chrysostomum a Capranica commissarium generalem fratrum minorum de observantia pro omnibus regnis, nationibus ac provinciis ecclesiae Romanae subiectis; subiicit ordinario monasterium s. Annae Pacen. *Cupientes* die IV. Februarii; indulget Roderico de Monra minoritae de observantia, ut, habitu retento, inter suos consanguineos diversetur per annum gratia se convalescendi: *Expositum* die VII. Februarii; erigit confraternitatem conceptionis in oratorio sub eiusdem invocatione prope villam de Potosi in Peruviano regno: *Cum sicut* die XI. Ianuarii.

IX. Die III. Martii totius ecclesiae regimen deposuit summus pontifex Clemens VIII. laboribus, pietate et summa dexteritate conspicuus in agendis rei-

Digitized by Google

publicae et ecclesiae catholicae negotiis. Franciscalium opera usus est in componendis dissidiis inter Henricum IV. Galliarum et Philippum II. Hispaniarum reges, et ad propagandam Christi fidem apud Indiarum gentes. Caetera ad ordinis decorem augendum ab ipso largita notavimus singulo sui pontificatus anno. In huius locum calendis Aprilis eiusdem anni, aetatis suae LXX. creatus est Leo XI. Medicaeus Florentinus, antea vocatus Alexander Octavianus, iam cardinalis et patriae suae archiepiscopus designatus a Gregorio XIII. Egregia munera cum laude obivit, et a Clemente VIII. gravissimis in rebus ad consilium adhibitus.

De Gubernatis tom. 1. pag. 290.

X. Ad pontificatus apicem vix assumptus, literis datis ad Ioannem de Cepeda commissarium generalem Indiarum Matriti in curia catholici regis commorantem, ad verbum Dei disseminandum in Indiarum regiones iam detectas, ac in posterum detegendas destinavit Antonium de la Cruz minoritam de observantia provinciae s. Evangelii.

LEO PAPA XI.

Dilecto filio commissario generali Indiarum in curia regis catholici residenti, seu eius vicecommissario in civitate Hispalen. commoranti ordinis fratrum min. s. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

Ex reg. secr. brev. tom. unic. pag. 149.

Expositum nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Antonii de la Cruz fratris tui ordinis s. Francisci de observantia provinciae s. Evangelii in Indiis, quod cum ipse qui sacrae theologiae lector extitit, a pluribus annis citra fere continue verbum Dei Hispanis atque Indis illarum partium in linguis differentibus praedicaverit, atque in fidei catholicae lectionibus idolorumque cultibus extirpandis totus incubuerit, et favente Deo, uberes exinde fructus emanaverint, necnon maiori quam antea charitatis zelo in dictos Indos concepto accensus in diversas provincias in illis partibus noviter detectas ad effectum ibi verbum Dei praedicandi, ac novos christianos fide catholica confirmandi, infideles vero ad christianae fidei veritatem convertendi se conferre plurimum desiderat, idcirco dictus Antonius qui, ut asserit, alias in dicto ordine praelati munere functus est, nobis humiliter supplicari fecerit, ut opportunam ad hoc licentiam illi concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Antonium a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et si per huiusmodi informationem tibi constiterit praedictum Antonium de tuo ordine benemeritum, ac virtutibus et qualitatibus ad praemissa peragendo sufficientibus praeditum existere, illi, ut ab altero eiusdem ordinis religioso comitatus ad quascumque regiones et provincias in Indiis de novo repertas et deinde detegendas, ad effectum ibi verbum Dei praedicandi ac fidei rudimenta noviter ad illam conversos docendi, aliaque pietatis et charitatis opera divinum cultum concernentia exercendi, se conferre possit, licentiam concedas et indulgeas, ac illum postea a quoquam tibi inferiore revocari aut impediri vel molestari posse, sub censuris et poenis ecclesiasticis prohibeas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XIII. Aprilis pontificatus nostri anno I.

XI. Idem pontifex: *Ex iniuncto* die xiii. Aprilis adprobat fundationem monasterii clarissarum in urbe Bisiniani in provincia Calabriae, bonis relictis a quondam Erina Scanderebec Castriota domina loci, potestate facta optimatibus illius civitatis. Haec unice pro nostratibus ex tabulario brevium laudati pontificis novimus. *Monast. Bisiniani.*

XII. Is autem summus pontifex ab initio sui imperii die vigesimo sexto vita functus, quae animo conceperat, accelerata morte complere non potuit. Cuncti insuper a viro summa prudentia praedito multa expectabant. Pontificatus honorem consequutus est a purpuratis patribus die xvi. Maii eiusdem anni Camillus card. Burghesius aetatis suae liii. origine Senensis, at Romae natus, assumpto Pauli v. nomine. Commendatur prae caeteris eius zelus in augendo divino cultu et in tuenda ecclesiastica libertate. Habuit moderatorem suae conscientiae Dionysium de Martinis a Turre ex provincia reformatorum s. Francisci, postea ab eo delectum episcopum Sutrinum et Nepesinum.

XIII. Comitio generali habito a fratribus conventualibus in coenobio s. Francisci Assisii, summi pontificis voluntate: *Cum sicut* die xxi. Maii praesedit Ioseph Pisculli minister generalis ordinis, quem iterum electores in eo munere confirmarunt. Is indultum accepit ab eodem pontifice: *Cum in capitulo* die iii. Iunii promovendi binos iuvenes in qualibet provincia ad magisterii lauream. Procuratoris generalis officium demandatum fuit Gulielmo Ugoni Avenionensi. *Benoffi de procurator. pag. 56.*

XIV. Capucini etiam fratres tenuerunt in Urbe capitulum generale, praeside Anselmo Marzani Monopolitano cardinali et eiusdem instituti olim professore: *Cum sicut* die xxvi. Maii. Ordinis regimen suscepit Silvester Assisias; procuratoris vero generalis munus obtinuit Hieronymus a Castro Ferrettorum Picenus. Hoc tempore instructus erat ordo trigintaquatuor provinciis. *Boverius tom. 2. pag. 753.*

XV. Iidem fratres novas aedes obtinuere diversis in provinciis; in provincia Lombardiae eis obvenit conventus in villa Fontislivii nullius dioecesis; in provincia Veneta conventus Belluni et conventus Palmae dioecesis Aquileiensis; in provincia Cosentiae conventus Lutii dioecesis Bisinianensis; in provincia Insulensi conventus Fornorum dioecesis Iprensis; in provincia Aragoniae conventus Capsae et Darocae dioecesis Caesaraugustanae; in provincia s. Francisci obvenit eis conventus Assisii vulgo *le Carcerelle*. Sunt etiam summi pontificis literae pro nova constructione conventus Tiburis: *Cum sicut* die ix. Septembris, pro conventu Setiae: *Ex iniuncto* die xv. Octobris, et pro conventu Anconae: *Ex iniuncto* calendis Novembris, de quibus Tugius in bullario capucinorum. *Ex albo Michaelis a Tugio et ex Boverio.*

XVI. Hoc anno haeretici Hungariae agmine facto contra Rodulphum II. Caesarem, gravi etiam persecutione agitarunt catholicos. Eo in excidio pulsi fuerunt fratres minoritae de observantia e coenobiis Szakolcensi, Galgocensi aliisque provinciae ss. Salvatoris. Multi ex his in Moraviam se contulerunt, quos inter Ludovicus Angelus sacerdos, et Michael Somloi clericus. Eos benevole excepit et sustentavit Ioannes Skardonidis abbas monasterii Welehradensis cisterciensis ordinis. Similis egit erga caeteros fratres qui subinde in laudatum monasterium advenere ex eadem provincia. *Greiderer tom. 1 pag. 788. n. 874.*

XVII. Eodem hoc anno saepe iidem fratres rogati sunt a Ioanne Purek primate urbis Hradistiensis et a catholicis, ut relicto cisterciensium monasterio mox laudato, denuo incolerent s. Mariae Annuntiatae Hradistiensis coenobium, ab anno mdxliii. fratribus vacuum. Eorumdem votis annuerunt fratres ac die *Conv. Hradistiensis. Idem ibid n. 378.*

xix. Martii translatio peracta fuit. Anno mdcxi. coenobium ad regimen ministri provinciae Hungariae ss. Salvatoris transiit.

Conv. Grumi.
De Fasano pag. 58.

XVIII. In provincia s. Nicolai extitit coenobium pro eisdem fratribus sub invocatione s. Petri prope oppidum Grumi dioecesis Barensis, constructum opibus universitatis. Alexander de Lella loci incola fundum cum horto et aliquibus membris sibi adiunctis pro aedificio donavit. Cuncta haec rata habuit summus pontifex. *Ex iniuncto* die v. Octobris. Incolitur a vi. fratribus.

Conv. Ripaecandidae.
Idem pag. 55.

XIX. Hoc tempore iidem fratres immissi fuerunt in conventum extra oppidum Ripaecandidae dioecesis Melphiensis, aedificatum penes ecclesiam ferme dirutam s. Donati incolarum eleemosynis. Ad operis molitionem consensum praebuit Placidus de Marra episcopus Melphiensis, quem postea summus pontifex confirmavit. Sex fratres continet. « Auget, *scribit Bonaventura de Fasano*, in hoc coenobio devotionem antiqua traditio qua communiter habetur, ibidem corpus alterius Donati esse humatum circa annum mc. Hic enim iuvenis eiusdem mox laudati oppidi oriundus. xii. annorum religionem s. Guilielmi seu Montis Virginis ingressus et in conversorum numerum adscriptus, in eiusdem instituti sodalitio in oppido Aulettae in Lucania, sive Basilicata dioecesis Compsanae, a Ripacandida ad xxx. millia passus, fuit a superioribus adsignatus. Et ut Deo inservire et in corporis macerationem et coelestium contemplationem commodius a populi frequentia sequestratus exerceri posset, in montana oppidi Petinae prope Aulettam quasi totam vitam duxit. Et cum orare vellet, hyemis tempore in quemdam lacum, nudus ad collum usque intrabat; tandem post maxima miracula et prodigia, anno aetatis xvii. animam Deo reddidit. Qui cum sui genitoris pietate Ripamcandidam mortuus asportaretur, et Petina Aulettam transiret, istius cives, huius sanctitatem experti moerentes inclamassent: Donate, saltem aliquid in tui memoriam nobis reliquisses. Mirum statim e feretro, ubi portabatur, sacrum brachium in terram proiecit, quod ab Aulettensibus susceptum, usque modo maxima religione et veneratione sub tribus clavibus asservatur. Et in hac nostra ecclesia erectum extat altare cum statua auro intecta, et ibidem requiescit; etsi locus ignotus sit, fratres tamen atque saeculares corde contriti et confessi fatentur suavissimum odorem experiri iuxta chorum et campanile ».

Martinez lib. 1. pag. 101.
Conv. de Lilio et de Bocavi.

XX. Ioannes de Garrovillas electus hoc anno Maniliae minister fratrum discalceatorum provinciae s. Gregorii in Insulis Philippinis recepit conventum s. Ioannis Baptistae in oppido de Lilio, et in oppido de Bocavi provinciae de Bucalan alterum admisit sub invocatione s. Martini episcopi. Eodem tempore posuit fratres in xenodochium de los Morenos, erectum in urbe Maniliae. Relicto ab anno mdlxxxii. ob acris insalubritatem ab eisdem fratribus provinciae s. Ioannis Baptistae coenobio s. Mariae Angelorum Lirinae, hoc anno Hieronymus Planes provinciae praeses accepit alterum s. Francisci titulo prope idem oppidum, opibus christifidelium instructum. Subest in dioecesi Valentina. Provincia s. Iosephi aucta fuit coenobio s. Ioannis Baptistae intra oppidum de Orcho dioecesis Toletanae, quod erexerat in aedibus suis Hieronymus de la Rua parochus illius oppidi. Die xii. Novembris solemni indicta supplicatione eo ab ecclesia parochiali illata fuit s. Ioannis Baptistae imago.

Conv. Lirinae.
Panes tom. 1. pag. 98. et 276.
Conv. de Orche.
Monum. prov.

Conv. oppidi s. Dionysii.
Gallia cristiana tom. 7. pag. 413.

XXI. Fratres recollecti habuerunt coenobium Assumptionis b. Mariae titulo in oppido s. Dionysii, duabus leucis ab urbe Parisiensi, fundatum in abbatia ordinis s. Benedicti, annuente loci praeside Ludovico de Lovraine. Postea deserviit provinciae s. Dionysii. In provincia Flandriae inita fuit etiam pro

eisdem fabrica conventus prope oppidum Florinense dioecesis Leodiensis in fundo eis concesso a barone Iacobo de Glimes, copiarum regis Hispaniae supremo duce. Die xxvii. Octobris ecclesiam sub invocatione Deiparae s. Iacobi apostoli ac s. Francisci consecravit suffraganeus archiepiscopi Leodiensis. Conv. Florinensis. *Monum. prov.*

XXII. In provincia Principatus obvenit fratribus reformatis conventus prope oppidum Sereni dioecesis Salernitanae, impensis universitatis instructus, accedente episcopi Salernitani venia. Incolitur a xviii. fratribus. Ecclesia nunc praesefert titulum s. Francisci, antea vero s. Iacobi apostoli. Iidem fratres immissi fuerunt hoc tempore in coenobium s. Ioannis Baptistae prope oppidum Turi Conversanao dioecesis in provincia s. Nicolai, eisdem concessum a minoritis de observantia. Conv Sereni. *Monum prov.* Conv. Turi. *Monum. prov.*

XXIII. Fratres claustrales tertii ordinis recipiunt domum ss. Crucifixi in oppido Urbisaliae dioecesis Maceratensis in Piceno, donatam Matthaeo de Montefano provinciae praesidi a societate ss. sacramenti. Eam ratam habuit Galeatius Mihonus episcopus Maceratensis. Domus ac ecclesia tunc extabant intra moenia oppidi, nunc vero extra. Conv. Urbisaliae. *Bordonius pag.* 572.

XXIV. Didacus Indus Cacique oppidi de Quaretaro in provincia de Mechiocan suis expensis excitavit in eodem oppido monasterium clarissarum, idemque interim amplo censu dotavit. Ibidem eius filia sacra vota Deo nuncupavit. Mexici in provincia s. Evangelii extitit et hoc anno pro eisdem sororibus monasterium s. Clarae titulo: *Inter caetera* nonis Decembris. In provincia s. Michaelis incoluere clarissae monasterium s. Isidori Mitobrigiae dioecesis Pacensis in Extremadura. Paret ministro provinciae. In Sicilia obtinuerunt monasterium s. Clarae in oppido Leocatae dioecesis Agrigentinae: *Aequum reputamus* iv. calendas Iulii. Adprobat et pontifex erectionem monasterii sororum recollectarum sub invocatione s. Mariae de Iesu in civitate Burgensi fundati a Bernardina de Christo: *Ex iniuncto* die xv. Novembris. Curam de ea habent fratres recollecti. Moniales Urbanistae monasterii s. Spiritus Luxemburgensis in provincia Flandriae hoc anno clausurae leges admiserunt, studio Ioannis Lambillon provinciae administri. Monast. de Queretaro. *Torquemada tom* 3. *pag.* 334. Monast. Mexici. Monast. Mitobrigiae. *Monum. prov.* Monast. Leocatae. Monast. Burgense. *Monum prov.*

XXV. Inter minores de observantia beato fine quievit in coenobio s. Francisci Eborae in provincia Algarbiorum Dominicus de Lorito, eximia vitae simplicitate notus. Septennio post sui obitum aperto tumulo corpus repertum fuit ac recens viventi simile. In coenobio Villaelvini provinciae Conceptionis die xxi. Decembris raptus est Franciscus Garcia, multis virtutibus cumulatus. Carpus macerabat assiduis ieiuniis ac flagellis. Post sui mortem inspecto corpore ferrea catenula praecinctus adparuit, quae ob assiduitatem carne ferme obducta erat. Dominicus de Lorito. *Monum. prov.* Franciscus Garcia. *Ann. min. ad ann.* 1424 *n.* 14. *Monum prov.*

XXVI. In conventu Dominae nostrae de Rosario s. Pauli discalc. provinciae obiit die xvii. Decembris Petrus a s. Clara, natus Robleti in dioecesi Abulensi. S. patris Francisci quadragesimas solo pane et aqua excurrebat, nudis pedibus semper incedebat, ac unico et quidem attrito habitu vestiebatur. Sibi austerus, aliis autem benignus erat. Licet saepe coenobiorum praeses, omnium tamen servum se reputabat ac ostendebat, munia obiens viliora conventus. Crebro vel in choro vel ad gradus maioris altaris somnum capiebat. Quandoque dignatus est adparitione pueri Iesu recreari, eum quo et loqui nonnunquam audiebatur. Adversam valetudinem summa patientia sustinuit, nil aliud in ore habens, quam illud Psalmistae: *Laudate Dominum omnes gentes.* Petrus a s. Clara. *Ioannes a s. Maria lib.* 4. *cap.* 34.

XXVII. Apud Almagrum hoc vel anno mdcv. die xxv. Decembris mortalitatis sarcinam deposuit Franciscus ab Estella, dum pro sui muneris ratione Franciscus ab Estella. *Idem ibid. cap.* 31.

s. Iosephi provinciam perlustrabat. Virginitatis lilium custodivit oculorum et linguae fraeno, carnis macerationibus cilicio ac diris flagellis. Post matutinas preces indulgebat submissis genibus divinis contemplationibus usque mane. Cum sacrum faceret, totus in lacrymis effusus, corporale his respergebat. Die xxviii. eiusdem mensis migravit ad dominum in conventu s. Angeli Abulae Petrus a Magdalena. vir ferventissimae charitatis erga Deum et proximum. Guardiani munus obiens, subditos adhortationibus suis ad perfectionem sectandam alliciebat. Saepe per literas provinciae administrum exorabat, ut ad se mitteret fratres infirmos coenobiorum quos haberet, quibus cuncta suppeditabat.

Petrus a Magdalena. *Idem ibid. cap. 30.*

In conventu s. Bernardini Matriti die xxii. Maii raptus est Ioannes a s. Maria, literis antea instructus in academia Complutensi. Inter discalceatos cunctis sodalibus virtutis exemplar se praebuit; prudentia namque, vigilantia, benignitate et paupertate exornabatur. Saepe elevatum in ferventi oratione conspexerunt fratres.

Ioannes a s. Maria *Idem ibid. cap. 26.*

Die xii. Decembris in conventu Dominae nostrae Angelorum Gadafalsi obiit Andreas de Vera, vir praeclari ingenii bonaeque indolis. Verbi Dei praeco renunciatus, sic ornate ac facunde concionabatur, ut vix parem in dicendo haberet. Emicuit virtute humilitatis, orationis ac praecipue mortificationis in victu. Interim membra quotidie flagellis caedebat.

Andreas de Vera *Idem ibidem*

XXVIII. Oscae in conventu s. Francisci provinciae s. Ioannis Baptistae fratrum item discalceatorum excessit e vita die i. Ianuarii Ludovicus Beltrandus laicus. Nunquam carnem ac pisces alit, nec vinum potavit. Licet singulari simplicitate exornatus, attamen in agendis muniis sibi commissis, mira in eo elucebat intelligentia ac fortitudo. Ante sui obitum recreatus fuit visione ss. Francisci, Antonii Patavini ac Didaci Complutensis. Triginta post annos a sui morte ipsius ossa coelestem fragrantiam emittebant.

Ludovicus Beltrandus. *Panes part. 1. lib. 2. cap. 62*

Die xv. Octobris animam Deo reddidit in conventu s. Didaci Murciae eiusdem provinciae Hieronymus Matolin clericus, expletis duobus annis a sua professione. Angelica puritate, modestia, humilitate ac rerum divinarum contemplatione enitebat.

Hieronymus Matolin. *Idem ibid. cap. 33.*

XXIX. Inter capucinos fratres obiit cum sanctitatis opinione in conventu Montis Calvarii Barcinone Andreas a Gandesa sacerdos, antea minorita de observantia, vitae austeritate, humilitate ac morum honestate clarus. Provinciam Catalanniae summa prudentia gubernavit, ac magistri novitiorum munus obivit. Aliquando beatae Virginis colloquio et aspectu potiri meruit.

Andreas a Gandesa *De Aremberg tom. 2 pag. 176.*

Olberiae occubuit Ioseph Valentinus clericus, qui vitae puritati orationis studium adiunxit; in ea saepe raptus patiebatur. In provincia Turonensi obiit Hugo Blesensis laicus, multis virtutibus ornatus. In extremis constitutus ea sui vox erat: *me expectant iusti, donec retribuas mihi.*

Ioseph Valentinus. *Idem ibid. pag. 527.*
Hugo Blesensis. *Idem ibid. pag. 736.*

In coenobio Astensi provinciae Genuae vitae cursum explevit Antonius Maria Astensis sacerdos, antea minorita conventualis. Commendatur prae sua humilitate, paupertate morumque honestate. In oratione saepe elevabatur, ac crucis signo quamplures infirmos incolumes reddebat.

Antonius Maria Astensis. *Idem ibid. pag. 272.*

Obiit memoria sui relicta in conventu s. Victorii Mediolani Zacharias Mediolanensis sacerdos, vir simplex et rectus. Eximia in pauperes et infirmos charitate fervebat, quibus summa voluptate deserviebat.

Zacharias Mediolan. *Idem ibid. pag. 268.*

Gandavi lue aegrotantibus ministrans excessit Bernardus Eccanensis sacerdos ex provincia s. Angeli, in virtutibus assequendis et in fundendis precibus assiduus. Hoc anno postremo e vita migravit Hilarion Vibonensis sacerdos. Tanta in eo erat vitae austeritas, ut nulla illi abstinentiae meta praefixa videretur in ieiuniis, ciliciis, flagellationibus ac vigiliis. Dono lacrymarum enituit. Ex assidua enim vulnerum Christi memoria tam perennem sibi lacrymarum fontem comparaverat, ut oculis in fletu caligantibus, eorum ferme lumine careret.

Bernardus Eccanensis. *Idem ibid pag 487.*
Hilarion Vibonensis. *Idem ibid. pag 269.*

Digitized by Google

XXX. Die xvi. Novembris e vita migravit in monasterio s. Clarae Scalbais in provincia Portugalliae Anna de Columna, silentio et corporis maceratione praestans. Ob eximias animi dotes missa fuit ad moderandum monasterium clarissarum Villaelougae, ubi cunctis sororibus se praebuit virtutis exemplar. Hoc eodem anno in laudato monasterio spiritum Deo reddidit Philippa a Iesu, virgo innocentia vitae exornata ac in fundendis precibus assidua.

Anna de Columna. *De Esperanza tom. 1. pag. 551.*
Philippa a Iesu. *Idem ibid. pag. 550.*

XXXI. In monasterio s. Clarae de Palma in provincia Angelorum rapta est Maria ab Incarnatione, quae habitu clarissarum induta anno aetatis suae septimo ita virtutibus floruit, ut brevi post tempore ad consummatam sanctitatem devenerit. Miro ferebatur amore in Deiparam cuius patrocinio quamplura obtinuit beneficia. In monasterio s. Clarae de Constantina eiusdem provinciae obiit Ioanna a s. Petro, huius monasterii fundatrix et abbatissa: Sacrum audiens tanta charitate aestuabat, ut in lacrymas efflueret et suspiria gemineret, ex quo adstantes sorores ad spiritus compunctionem excitarentur. Die xi. Iulii abiit in coelum in monasterio s. Clarae Palmae laudatae provinciae Maria a Iesu. Cum angelorum pane reficeretur aliquando sub infantis forma Christum Iesum in hostia videre meruit. In monasterio s. Mariae de Alania obdormivit in Domino Barbara a Iesu. Alta mente recolebat Iesu Christi passionem; inaccessa etiam loca monasterii petebat, ut ferreis flagellis se caederet ad sanguinis usque effusionem. Non semel rigente etiam hyeme, vestibus demissis se immergebat in aquam. Interim asperrimo cilicio amicta erat ad nudam carnem. Belvisii in monasterio s. Ioannis de Peccitectia diem clausit extremum Ioanna de Coena, virgo carnis maceratione velut attrita praecipuisque virtutibus exornata. Incidit ita in daemonis invidiam, ut saepe diris verberibus affligeretur; eius tamen astus eludebat orantis praesidio. Maiorum imperio missa fuit ad moderandum monasterium clarissarum de Guadalcanal et ad reformandum alterum s. Clarae de Alanis eiusdem provinciae.

Maria ab Incarnatione. *De Guadalupe pag. 561.*
Ioanna a s. Petro. *Idem ibidem.*
Maria a Iesu. *Idem pag. 563.*
Barbara a Iesu. *Idem pag. 573.*
Ioanna de Coena. *Idem pag. 599.*

XXXII. Mense Decembri spiritum emisit in monasterio s. Clarae Montiliae in provincia Granatensi Leonora de Christo. Singulo die duodecim horarum spatio orationi, licet in adversa valetudine, incumbebat flexis genibus. Interim revincta cilicio, flagellis se caedebat et sopori se dabat strata super nudam terram.

Leonora de Christo. *De Torres pag. 666.*

XXXIII. In monasterio s. Clarae Burgis obiit Maria de Pesquera, ab adolescentia ita pietati addicta, ut puella sancta vulgo nuncuparetur. In monasterium ingressa, pietatem fovit assiduis precibus, vigiliis, ieiuniis ac corporis macerationibus. Multa a Deo obtinuit, praesertim divinorum mysteriorum intelligentiam, de quibus mira eructabat. In monasterio s. Ludovici eiusdem civitatis felix ad astra migravit Beatriz de Rovelledo. Praeter caeteras maximarum virtutum exercitationes, totius anni tempore compassiva teneritudine Iesu Christi cruciatus recolebat, maxime vero eos quos sustinuit ob infixam a Iudaeis suo capiti spinarum coronam. Sexaginta dierum spatio ante obitum meruit iisdem Christi doloribus affici in capite suo. Hoc tempore nec potum nec cibum sumere valebat. Post mortem eius caput inspectum adparuit undique ceu a spinis perforatum sanguineque conspersum.

Maria de Pesquera. *Monum. prov.*
Beatriz de Rovelledo. *Ibidem.*

XXXIV. In monasterio s. Clarae Fulginei in provincia s. Francisci obiit spectatissimae vitae soror Clara nomine, ecstatica dicta, cuius anima visa fuit scandere coelum duobus angelis comitata, a quadam moniali eiusdem monasterii. In ecclesia s. Georgii oppidi Sambucae dioecesis Agrigentinae in Sicilia sepulcrum nacta est separato in loco Clara de Benedicto tertiaria, quae ferreo cilicio, vigiliis ac ieiuniis corpus edomabat. Florebat etiam eximiis virtutibus,

Clara Soror. *Monum. prov.*
Clara de Benedicto. *Tognoletto pag. 47.*

charitate potissimum erga Deum et proximum; infirmorum curam sedulo gerebat ac pauperibus annonam suppeditabat. Sponso suo adhaesit in coelo die xxv. Martii.

XXXV. Die xi. Octobris in monasterio s. Ioannis Treviris ad Mosellam
[Adelaides Schrickin. Hueber ad diem 11. Octobris.] e vita migravit Adelaides Schrinckin, virgo ex tertio ordine, quae ex Aquensi s. Augustini monasterio, austerioris disciplinae desiderio incensa ad illud se conferens, coelestibus contemplationibus iugiter incubuit. In iis ita eius animus igne charitatis exarsit, ut eo modo videre meruerit Christum Iesum, quo Pilatus ipsum populo tumultuanti ostendit et dixit: *ecce homo*. In monasterio
[Catharina Sibenentia. Idem ad diem 24. Octobris] Lexfridi in Algoia regni Sueviae die xxiv. Octobris obiit Catharina Sibenentia item tertiaria, magnae sanctitatis virgo. Ante sui mortem angelorum concentu invitata fuit ad aeternae retributionis mercedem. Quadraginta annis abbatissae munus ohivit in eodem monasterio.

[Greiderer tom. 2. p. 428. n. 330.] XXXVI. Hoc anno Maria Antonia comitissa de Wartemberg, Ferdinandi s. Bavariae ducis filia, ingressa est in monasterium clarissarum Monacense, in Anger dictum, ubi Deo vota nuncupavit. Altera eius filia Maria Magdalena item comitissa sacrum tertiariorum habitum sumpsit die xxiii. Octobris in monasterio Rideriano. Utrumque monasterium spectat ad Bavariae provinciam.

XXXVII. Promotus est die xvii. Augusti ad archiepiscopalem ecclesiam Tranen. in regno Neapolitano Ioannes de Rada; quinto post mense, inquit
[Ughel tom. 7. pag. 914.] Ughel, translatus fuit ad ecclesiam Pactensem in Sicilia. Ponente cardinali de Valle electus est die xii. Decembris Antonius Saenz episcopus Venetiolae sive de Caracas. Ita Torrubia pag. iii. Defuncto Francisco de Ortega primo episcopo Novae Carceres, ad hanc moderandam ecclesiam assumptus est hoc anno die xii. Decembris Petrus Godinez iuxta eumdem Torrubiam pag. x. Similia scribit Petrus de Alva in indiculo bullarii.

XXXVIII. Ad ecclesiam Cupersanam in regno Neapolitano promotus est
[Idem ibid. pag. 718.] die xxx. Novembris Petrus Capuleus Cortonensis minorita conventualis; eius inauguratio peracta fuit in basilica ss. xii. Apostolorum de Urbe ab Evange-
[Teuli in apparat. minorit. lib. 5. cap. 9] lista cardinali Pallotta die xiv. Septembris. Vigilius Sellani a Gualdo Nucerino eiusdem ordinis electus episcopus Segniae in Latio obiit antequam munus consecrationis obtineret. Hoc anno mense Octobri obiit Proceni in patria magni ducatus Hetruriae ubi se contulerat valetudinis causa, Antonius Guerrescus,
[Ughel. tom. 6 pag. 1214.] vir doctus et iam episcopus Segniae in Latio. Tumulum nactus est in ecclesia s. Martini sui ordinis, hoc in pariete apposito monumento.

FR. ANTONIO GVERRESCO DE PROCENO ORD. MIN. CONV. ART. ET SACRAE THEOL. DOCTOR A CLEMENTE VIII. FEL. RECORD. OB VITAE INTEGRIT. SCIENTIAEVEQVE PRAESTANTIAM STVDIO ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D. D. ALEX. DVCIS SFORTIAE ET LEONORAE VRSINAE DVCISSAE. EPISCOPO SIGNINO CREATO ET PER ILLVSTR. ET EXCELL. D. HIERONYMO GVERRESCHO I. V. D. PROCENI PLEBANO AC REVERENDISS. D. EPISCOPI SVANEN. VICARIO GENERALI. AD. R. P. M. IACOBVS GVERRESCHVS EIVSDEM ORD. ET PATRI OPTIMO ET FRATRI AMANTISSIMO HOC GRATI ANIMI MONUMENTVM POSVIT ANNO DOM. M. DC. XVIII.

Scripsit et edidit Bononiae anno MDLXXIII. typis Alexandri Benati *summam totius poenitentiae super articulis Bononiae propositis pro examinandis ad parochias confessiones et ordines*. Opus nuncupavit Alexandro Sfortiae cardinali legato Bononiae. *Varias etiam orationes*, quas habuit, scripsit.

Digitized by Google

XXXIX. Bonaventura Passerus Nolanus minorita conventualis, ingenii felicitate studiorumque assiduitate commendatus edidit hoc anno Neapoli per Tarquinium Longum *sermones diversos*. Sunt autem *septem conciones diversae*. Inter eos extat forsan *sermo latissimus de immaculata conceptione Deiparae virginis*. Ex eodem instituto Aegidius Passaviensis Germanus notis illustravit et edidit Francofurti in folio *varia opuscula rediviva Caesaris Spirensis pii minoritae*, olim Argentorati excusa. Typis Tinianis Mediolani vulgavit Bonifacius Faustus *orationem panegyricam de s. Carolo*.

Sbaral. in suppl. ad script. lit. B

Wadd. de script. lit. A

Sbaral. lit. B.

XL. Ex minoritis de observantia Emmanuel Rodericus Lusitanus ex provincia s. Iacobi nuncupavit hoc anno Francisco a Sousa generali ordinis administro opus suum anno transacto adprobatum, cuius titulus *nova collectio et compilatio privilegiorum apostolicorum mendicantium et non mendicantium* etc. Primo lucem aspexit anno MDCIX. Turaoni sumptibus Horatii Cardon, ac inde anno MDCXI. Venetiis castigatius apud societatem minimam. Emmanuel Tates Pimentelius eiusdem instituti in auctoris laudem sequens epigramma condidit.

Sbaralea lit. E.

Magna tui Emmanuel volitat Roderice per orbem
  Fama, vigetque tuum nomen, et altus honor,
Fama tamen minor est, minus est quoque nomen, honorque
  Quam sint virtutes queis tua vita nitet.
Nam quascumque peto satis ducentibus urbes
  Docti Rodriguez cerno vigere decus.
Est tibi doctrina cinctum virtutibus altis
  Pectus et eximiis mens decorata bonis,
Dogmata sunt totum tua iam diffusa per orbem,
  Ut repleant meritis climata cuncta tuis.
Tu siquidem iuris partes, tu vimque modumque,
  Tu cunctas leges, dogmata cuncta tenes.
Ergo te cuncti celebrent et aethera tollant,
  Nam sunt quae priscis singula, cuncta tibi.
Omne genus scripti vincit tua maxima virtus
  Et eum sincera religione fides.
Non opus est igitur longo praeconia versu
  Ut tua concelebrem; nam satis illa patent.
Sed tamen hoc unum dicam, te scilicet esse
  Eximiis hominem dotibus eximium.

XLI. Antonius Ruvius Hispanus Legionensis eiusdem provinciae vulgavit *commentarium in logicam Aristotelis, titulo logica Mexicana*, forsan Mexici elaborata. *Assertiones catholicas adversus Erasmi in operibus passim occurrentes errores libros novem* publici iuris fecit Salamanticae an. MDLXVIII. apud Canovam, et ad Philippum II. Hispaniarum regem misit. Eius etiam sunt *assertiones de beata Virgine*. Bonaventura Olgiati Comensis Mediolani typis tradidit *vitam Merandi martyris*, alias Meinardi eremitae, e teutonico in italicum idioma translatam. Eodem anno edidit a se translatam e teutonico in idioma italicum *historiam celeberrimi templi dicti eremus beatae Mariae virginis urbis Suitensis in Helvetia*. Franciscus Ortisius Lucius provinciae Castellae per Ludovicum Sanchez Matriti vulgavit *tractatum de crea-*

Idem et Wadd. lit A.

Idem lit. B.

Sbaralea lit. F.

tione mundi, peccato Adami ac de adventu Domini. Huic adiecit opus cui titulus *flores sanctorum seu vitas Iesu Christi. virginis Mariae et* Idem et Wadd lit B. *omnium sanctorum.* Balthassar Pacheeus ex provincia s. Michaelis Salamanticae apud Artum Taberniel typis mandavit *sermones dominicales a prima dominica adventus usque ad dominicam quinquagesimae exclusive.* Ibidem Sbaralea lit M. Beristain lit B. etiam hoc onno vulgavit *sermones de sanctis.* Marcellus de Ribaodeneira, quondam socius bb. martyrum Iaponensium, Neapoli praelo Ioannis Baptistae Subtilis edidit *coronam excellentiarum beatae Mariae virginis*, seu *de excellentiis coronae beatae Virginis* duobus libris; in quorum primo agit *de origine coronae quam recitant minoritae*, in altero *de excellentia* Sbaralea lit. A *eiusdem coronae.* Antonius de Sillis Bergomensis tertii ordinis claustralium, sacrae theologiae doctor et in iure canonico versatus Regii apud Bartolos edidit opus *de institutione tertii ordinis s. Francisci et de modo recipiendi ad habitum fratres tertii ordinis habitantes in propriis domibus.*

XLII. Apud Peruvianas gentes eximiam fidem, firmam spem et ardentem Acta ss. ad diem 24. Iulii pag 875. erga Deum charitatem ostendebat s. Franciscus Solanus. « Quasi rivus a fonte, *ita Navarrus apud Bollandistas*, lumen a sole, effectus a causa, sic externi hominum actus ab interno prodeunt principio; et quasi fructus arboris, quales sunt interiores affectus, tales prodeunt extrinsecae operationes Hinc est quod perfectionis magister Christus ex fructibus eorum docet homines cognoscendos. Ann min. ad ann. 1601. n. 38 1603, n. 60. Cum ergo ex praecedentibus mirabiles apparuerint Francisci nostri Solani operationis externae proventus, non incongruum est eas quibus córam Deo et apud homines se commendabilem reddebat, virtutes enumerare ».

XLIII. « Fides sine qua placere Deo nemo potest. et in cuius soliditate tamquam in basi totius spiritualis aedificii fundamentum subsistit, adeo virum Dei Franciscum invaserat, ut veritatibus catholicis firmum et indubitatum in omnibus praeberet assensum. Erat in eo non speculativa solum illa et otiosa fides languens et quasi mortua, sed viva, practica et operativa, qua quisquis exercet operando quod credit. hinc ortum est seminandi evangelii ac propagandae fidei desiderium, quo se ad barbaras Africae terras mitti a superioribus petiit; cumque optatum hac in parte finem assequi non posset, Deo aliter disponente, ad Peruviana regna pertransiit, et disertas illas et incultas regiones in fame, siti, frigore ac nuditate peragravit, et palmam martyrii tanta aviditate assequi concupivit, quanto ab avaro divitiae et sensuali corde voluptates optantur ».

XLIV. « Mysteria sacrosanctae Trinitatis, incarnationis, eucharistiae aliaque suprema nostrae fidei capita quam firmiter crediderit, tot affectus, suspiria, ecstases et cordis deliquia, quae in eorum simplici lectione vel auditione patiebatur, aperte testantur. Erat praeterea in viro Dei fides illa gratis data quae de liberali manu Dei procedens, hominem in adversis et periculis tutum, in proximi necessitatibus thaumaturgum reddit. Hinc est, quod in tot angustiis, peregrinationibus, naufragiis semper quietus imperturbatus apparens, divinam adesse periclitantibus opem, nec in aerumnis desperandum alios commonebat ».

XLV. « Spes autem theologica in Dei servo peculiarem sibi elegerat mansionem; per hanc enim inclinavit cor suum ad faciendas iustificationes Dei in aeternum; per hanc omnis affectus temporalis nexu soluto, totus ad coelestem aspirabat felicitatem, ex benignissima Dei promissione reddendam. Cupiebat namque dissolvi et ad patriam illam pervenire, in qua spei nostrae

obiectum clara visione prospectum, in perennem traditur fruitionem; oriebatur ex illa spe tamquam ex fonte rerum humanarum contemptus, coelestium amor, paradisi ardens desiderium ac gloriae tam efficax appetitus, ut ad solum illius nomen totus in iubila et ecstates solveretur ».

XLVI. « Charitas virtutum forma virum Dei Franciscum adeo sui iuris effecerat, ut velut ferrum ignitum eius incendio totaliter fuerit penetratus; ex illius namque fornace crebra illa et anxia trahebat suspiria, quibus se totum in summi boni dilectione liquefactum ostendebat; recogitabatur frequenter divinas illas beatorum mansiones, et in earum assecutione totus accensus suum prolongari incolatum dolebat. Inde etiam oriebatur tantus coelestium amor, ut cum aliquando a quodam aegroto statum valetudinis eius quaesivisset, respondente illo: *gloria Deo quia melius habeo*; ut audivit hanc divinae gloriae vocem, invisibili amoris sagitta percussus, duos ibidem repertos baculos apprehendit, ac uno alterum percutiendo, suavem de Christo et eius amore edidit cantilenam; sicque totus extra se raptus et in Deum suspensus, e loco illo festinanter exivit, sane ut liberiorem interno raptui aditum daret ».

XLVII. « Eum aliquando infirmantem quidam religiosus invisit, ac de coeli gloria et paradisi felicitate est allocutus; ad cuius verba adeo in viro Dei flamma amoris exarsit ac tantum beatae fruitionis desiderium accrevit, ut totus exhilaratus raptum sit mirabilem passus, ut manibus extensis et elevatis, ore aperto, oculis in coelum defixis, auribus ad voces religiosi omnino surdis totum in coelestis dulcedinis oceanum se contestaretur immersum ».

XLVIII. « Quondam ss. Trinitatis festo, paucisque diebus antequam mortis debitum solveret, cum in valetudinarii oratorio sacrosanctum eucharestiae cibum sumpsisset, ac dum tremendo sacrificio adesset, auditus his verbis ex missa: *benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu*, quamquam debilis et infirmitate consumptus, tamen in claustrum exivit, ac festino passu quasi volatu progrediens exclamabat: *benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu*, hoc repetens non sine magna audientium admiratione, monasterium circuivit. Alias etiam ex cellula egressus, haec verba affectuose proferebat: *servemus fidem et legem Iesu Christi*; ac brachiis in modum crucis extensis, oculis in illum erectis et in lacrymas solutis terribili voce repetebat: *patres servemus legem Dei et regulam, quam professi sumus: faxit Deus, ut ego nunquam sacra ipsius praecepta infringam* ».

XLIX. « Quoties autem de Deo aut eius amore coram viro Dei sermo instituebatur, prorumpebat in laetitiam cordis, et ut ignem sacrae dilectionis eventilaret, ab aliis secedens, solum in angulum coram cruce aut devota imagine, quasi hostia flammis coelestibus comburenda properabat. Illo etiam charitatis igne accensus saepe procedebat in publicum, et occurrentibus turbis Dei commendabat amorem: *o quam suavis est Deus, quam amabilis, quanta dignus dilectione* contestans. Et si quando religiosum aliquem peculiaris in Deum amoris dono conspicuum et honoris divini promovendi avidum agnoscebat, illum audiens sic aiebat: *videamus quis de duobus sponsum animarum nostrarum Christum ferventius diligat, et in signum maioris dilectionis hebdomada ista contendamus, quis plura isti praestabit obsequia, et gloriam ipsius ss. Matris diligentius procurabit* ».

L. « Ex ipsis etiam sensibilibus rebus, unde se ad divinum excitaret amorem, urgentes et efficaces deducebat rationes, contuens in operibus creatis factorem ipsum, et ex creaturarum inanimatarum effectibus animae suae mo-

tus regulabat. Unde cum ollam succensam et ebullientem quadam die vidisset, ab adstante religioso causam ebullitionis sciscitatus est, eoque illam igni materiali, ut par est, adscribente, erectis in altum oculis adiecit vir sanctus: *item quid prohibet, quominus et nos igne charitatis ardeamus et anima nostra quasi olla succensa flammis ebulliat?* Et his dictis sentiens incendium, quod optabat, in longam ecstasim suspensus haesit. Illius etiam intensissimae charitatis affectus sunt ea quae pro Deo passus est incommoda, quae suscepit pericula, quae concupivit martyria, quae praedicavit, quae egit, quae pertulit: eius et efficacissima iudicia sunt oratio continua, altissima contemplatio, ac reliquae tandem virtutes quibus eius animam fuisse decoratam, quae sequuntur capita demonstrabunt ».

LI. « Praeter eximiam erga sacratissimae Trinitatis mysterium devotionem quam laudibus, obsequiis et canticis testabatur, inhaerebat praeterea viro Dei Francisco ardens quaedam et tenera ad sacram Christi nativitatem propensio, et beatissimam illam noctem in qua Verbum carne indutum humanas assumpsit miserias, speciali cultu et religione celebrabat; hanc quippe ineffabilem aeterni Filii dignationem mente revolvens, totus in iubilo solvebatur: et aptas tantae solemnitati cantiones voce et exiguae lyrae sonitu decantabat. Dum in provincia Tecumani semen evangelicum spargeret, aliquando totam illam sanctissimam noctem orans, lacrymans et Deum collaudans, traduxit. Alias recurrente eadem nocte, gaudio impar per conventum recollectionis Limensem charitate ebrius et amore saucius discurrit, ac campanulam movendo canens atque psallens, fratres omnes ad admirationem ac devotionem provocavit ».

LII. « Sacram autem Christi infantiam tam pio ac tenero recolebat affectu, ut eam nec cogitare nec voce proferre, aut in imagine contemplari absque cordis et corporis immutatione valeret. Infantem sibi Salvatorem ante oculos mentis obiiciens, ai pastorum simplicem puramque reverentiam, et solemnem Magorum exhibebat adorationem; nec a se solo laudari ac benedici contentus, socium ad eadem iubilationis, cantus et amoris officia secum alternatim rependenda invitabat ».

LIII. « Pretiosissimam Christi passionem et crucem quantum vir Dei dilexerit, effectus non pauci testantur. Hanc enim continua meditatione tractabat, in praedicationibus extollebat, ad eam imitandam et ferendam populos hortabatur. Crucifixum quasi insuperabilem suae defensionis murum quocumque pergeret, semper gestabat. Uno verbo Iesu Christi mortificationem ac tormenta iugiter tulit in corpore suo, et aliorum mentibus ea imprimenda indefesse curavit. Cumque in missa passionis historiam quadam vice legeret, observatus est a religioso ministro in amaros et copiosos lacrymarum rivos resolvi ».

LIV. « Ad memoriale passionis seu augustissimum eucharistiae sacramentum toto viscerum ardore ferebatur; in eo suae fortitudinis arcem collocarat, in eius contemplatione totam suae conversationis dulcedinem et praesentis vitae consolationem posuerat. Sacerdos factus, se ad tanti sacrificii celebrationem vigiliis, abstinentiis, flagellis et orationibus disponebat. Missam dum celebraret, affectu mentis suavissimo reclusa in eius coeremoniis et ritu mysteria ruminabat, ac tanta videbatur celebrantis devotio, ut et multos audientes attraheret et plures certatim ministros ad sibi inserviendum induceret. Ipsemet excellentissimus Peruviani regni pro-rex Ludovicus de Velasco, marchio Salinarum frequenter ad conventum recollectionis accedens, e privato tanti sacerdotis sacrificio cui devote ministrabat, magnam percipiebat suavitatem ».

LV. « Saepe ad altare progressus, ue se vestimentis illis mysticis quibus mortalis et miser homo, Verbi incarnati sacerdotia simul et hostiae repraesentat figuram, sese lodutum attendens, in illius ineffabilis dignationis consideratione deficiebat, ac in laudes Christi et beatissimae Virginis quae taotom edidit cibum, prorumpebat. Aliquando visus est dum sacrificium perageret, io ecstasim rapi et in aera sursum attolli; alias dum ad altare s. Antonio dicatum missam celebraturus accederet, apparuit coram eo lux quaedam coelestis solis claritate non inferior, qua velut manoductus dicere poterat cum Psalmista 118. *lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* ».

LVI. « Solebat expleto sacrificii tremendi mysterio ac sacris vestibus exutus, exhibitaque gratiarum actione illico se in cellam recipere, et clauso ostio de regis coelestis praesentia exhilaratus, monera taoto hospite digna laudis et reverentiae promebat; ibi fruebatur dilecto et io illius suavissima contemplatione praevias paradisi degustabat delicias. Dum aliquando sic solus et in cellola reclusus, dulcia cum Christo miscebat colloquia, ad ostiolum quidam frater pulsavit, sed abstracta a sensibus viri Dei mens, duplicatos non audivit impulsus. Tunc alter obedientiae vim experiri volens, a superiore vocatum alta voce significavit. Ad hunc repente sonum Franciscus e somno spirituali expergefactus, ianuam aperiens, accenso et inflammato vultu, genis et ipsomet caputio lacrymarum imbre madefactis, se vocanti videndum exhibuit; agnito vero superioris mandato, illico ad eius qui factus est obediens usque ad mortem, imitationem, ut obedientiam impleret, alacri facie ad cellam praelati perrexit ».

LVII. « Alias dum sic post sacrificium vivificum in cella solus oraret, repetitis a quodam fratre ad cellulae ianuam ictibus excitatus vir Dei, pulsanti aperuit, et voce benigna ait: *Deus tibi parcat.* Visus est autem tam splendentes luminis radios ex vultu emittere, ot eiusdem fratris et alterius praesentis oculorum acies perstrinxerit, ac mentes ipsorum tanta reverentia et admiratione replevit, ut se gravia delicti reum qui sic importune pulsando eum a tam ineffabili colloquio averterat, existimaret. Quot autem in privatia illis com divioo amore congressibus gratias, illustrationes et beneficia amicus Christi Franciscus perceperit, oemini, quia vere humilis, manifestavit ».

LVIII. « Erat ille in eucharistiae venerabile sacramentum servi Dei affectus et amor quasi proles legitima verae et sincerae fidei, qua Christum sub speciebus panis et vini latitantem ita praesentem, ita veneraodum, amore dignum et adoratione reputabat, quasi eum io medio angelorum senatu regnantem et io empyreo ad dexteram Patris sedentem vidisset: unde cum divinae illius praesentiae assisteret, gaudio inexcogitabili et admiratione replebatur, ac totus io supremi ac tanti mysterii seria contemplatione absortus, in suavi lyrae sonu dulces edebat concentus. Cum officio custodis in provincia Tecumani fungeretur, recurrente corporis Christi festivitate, solito eiusdem in publica fidelium processione triumpho adfuit; cum autem fidei oculo regem gloriae praesentem conspiceret, subito voce elata dulces cantus effudit tanto amoris violentia, ut in medio Indorum coetus Davidem coram arca canentem et saltantem imitaretor; quo spectaculo commoti omnes lacrymis prae teneritudine obortis devotionem auxerunt venerationem ».

LIX. « Profunde quidem ac devote de omnibus christianae religionis mysteriis loquebatur, sed praesertim de ss. eucharistia tam alta tam sapida et profunda eructabat, ut gratiae divinae thesauros in se reconditos et secreta coelestia sibi tradita fuisse manifestaret. Ex illa vivifici sacramenti devotione oriebatur

inseparabilis a devoto et fideli corde vera et humilis ad sacros ministros et sacerdotes, sed praecipue ad summum et maximum sacerdotem et pontificem Christi vicarium ac Petri successorem reverentia et affectus. Dolebat insuper tantum mysterium indigne tractari, et de christianorum dum missae tremendis assistunt sacrificiis, indevota compositione ac profanis coram altaribus et in ecclesiis colloquiis, quibus persaepe magis fidelium templo, quam gentium delubra inhonorantur, gravem concipiebat moerorem ».

LX « Praedestinatorum et sanctorum specialis propensio est devotio Mariae; hanc vero praedestinatus et sanctus vir Dei Solanus toto mentis prosequebatur ardore ad huius obsequium intensissima cordis reverentia ferebatur. Illam sibi peculiarem advocatam et dominam elegerat, cuius gloriam, honorem et cultum in se et in aliis promovere satagebat; saepe revolvens animo quam eminentibus fuerit a Deo dotata privilegiis, ac infinitos fere magnitudinis et perfectionis gradus quibus reliquas superat creaturae attendens, aiebat: *gratulor tibi o sanctissima virgo simul et mater, et gaudio quod te tam pulchram, tam sanctam et tam puram divina manus effecerit.* Aliis etiam ignitae linguae praeconiis dilectae cordis suae patronae laudes promebat, ac in devotissimo cantu ad ecstasim usque et raptum ipsius merita personabat. Huius autem singularis affectus quem a teneris annis ad mortem usque semper augendo perduxit, quaedam suppetunt non incongrue referenda exempla ».

LXI. « Cum in conventu civitatis Truxilli moraretur, ecclesiam oraturus adibat, et aliquando patri Hieronymo a Turre sibi occurrenti dixit: *vado ad musicos modulandos accentus coram pulcherrima Virgine quae me expectat.* Ille autem, ut quid facturus esset vir Dei certo secreto deprehenderet, in angulo latitare solitus saepe ipsum coram altari et sacra virginis Mariae imagine positum vidit, et lyrae suae cordulas pulsantem tanta suavitate raptum et gaudio; ut in eo saltus miros et commotiones prorumperet, ac tandem genibus flexis quietum et in oratione perseverantem observaverit ».

LXII. « Pater Ioannes Anna Solanus ordinis praedicatorum in provincia Peruviana procurator generalis, virum Dei Franciscum in conventum recollectionis Limanum aliquando invisens, ipsi suadere tentavit ut ad mentem a continuis laboribus et poenitentiis vel leviter recreandam, per breve aliquot spatium ad civitatem exiret. Statim autem a servo Dei responsum accepit: *hoc in monasterio sunt recreationes et solatia, quoniam mihi datum est frequens inire colloquium ac suavem ducere conversationem cum Domina quadam, in qua levamen poenarum et cordis perfectam repleo laetitiam.* Mox amicum praedicatorem manu apprehensum ad ecclesiam traxit, et positis ab utroque coram altari maiori genibus, Franciscus detracto quo operiebatur, velo, sacram angelorum reginae imaginem detexit, subiungens: *ista est Domina animae meae depraedatrix, cui communico, cui meas dirigo voces et cum qua suave commercium duco.* Ad haec lacrymarum copiam effundens, ad piam imaginem tam suaves, teneros ac affectuosos dirigebat sermones, ut assistentem sibi religiosum admiratione mira repleverit et devotione ».

LXIII. « Viro Dei in eodem recollectionis conventu morante, cum in vigilia Assumptionis religiosa communitas gratias post prandium ante sacramentum soluturа venisset, ecce quod subito amoris impetu ac tantae Virginis ad coelum exaltatione commotus, in medium altaris maioris cappellae exiliens, oculis ad coelum erectis psallere coepit et canere: mox positis genibus in concinendis Mariae laudum devotis canticis, non sine intuentium admiratione

perseveravit. Aderat tunc pater Ioannes a Novareta, vir omnium virtutum genere illustris, sed in primis tantae poenitentiae, compunctionis et sanctae tristitiae exercitio clarus ut per multos annos nunquam ridere aut faciem bilarem ferre sit visus, sed semper ita doloribus Christi patientis intra se ruminandis attentus, ut ob copiosas compassionis quae fundebat, lacrymas, Ieremias novus fuerit oppellatus ».

LXIV. « Hic ergo cum recollectum minorum magis decere planctum, gaudium putaret, subitam illam Francisci nostri laetitiam non approbans, eum aliquo modo reprehendit: sed, o res mira! Illico vir Dei Solanus exurgens et in spiritus vehementis fervore ad patrem praefatum Ioannem a Novareta accedens, eum sic lacrymosum et moestum, paucis sed efficacibus verbis ad laudes Virginis celebrandas et concinendas ita provocavit, ut intrinsecus operante Dei invisibili manu mutatus, statim laetitia spirituali repletus sit, et qui prius moerorem praetulerat iucunditati, in cantus iubilationis proruperit, alternatisque vocibus certatim cum servo Mariae Solano triumphantis in coelo regionae gloriam decantaverit ».

LXV. « Erant Mariae laudes viro Dei laboranti requies, afflicto solatium et lasso refugium; in magnis enim et asperis pro Deo susceptis peregrinationibus fatigatus ex itinere, exhaustus labore, fame comsumptus, siti aridus, calore exustus, frigore exanimatus, Mariae nomen recogitabat ac in ipsius suavissimis laudibus oblitus poenarum, coelestem percipiebat dulcedinem. Hanc tandem erga piissimam Dei genitricem teneram devotionem et constantem fiduciam quam in vita tenuerat, in agone positus conservavit; nam cum extremus odesset vitae terminus, sacrum *magnificat* canticum et hymnos Virgini ab ecclesia dicatos coram se recitari a fratribus adstantibus postulavit, quoniam ex eorum suavissimis verbis doloris et mortis lenimentum percipiebat ».

LXVI. « Inter alios aulae coelestis gloriosos cives seraphicum ecclesiae doctorem Bonaventuram speciali devotione colebat, quem sibi potentem apud Christum advocatum et intercessorem elegerat. Solebat proinde dum in conventu Limensi moraretur, in aulam seu scholam theologiae secreto secedere, ibique coram devotissima eiusdem s. doctoris imagine longas orationis horas transigere, se flagellis ad copiosam usque sanguinis effusionem caedere; ibi apostolicum concipiebat et fovebat spiritum, quo plenus in plateas civitatis praedicaturus exibat, ubi seraphicam dilectionem illam dulcemque et benignam, qua se cunctis amabilem reddebat, conversationem et longanimitatem a tanto sibi imperari et communicari patrono merebatur. Ibi non semel visus est coelestibus quibusdam mirisque splendoribus circumquaque discurrentibus illustrari; quam grata vero sibi forent devota sui Francisci obsequia s. Doctor ostendit, dum ipsum eadem sui obitus die ex hac vita migrare, a divino consecutus est bonitate ».

LXVII. Ob bellorum tumultus suspendit summus pontifex literas suorum praedecessorum pro inducenda recollectorum fratrum familia apud Belgicas provincias: *Alias* die xv. Maii; supprimit monasterium clarissaram b. Mariae de Spina oppidi Moutis Calerii dioecesis Taurinen. et maniales alio transfert: *Quoniam* die xvii. Iunii; iubet ne extrahantur sanctorum reliquiae ab ecclesia monasterii s. Clarae Assisien. *Cupientes* die x. Octobris; similia iubet pro ecclesia s. Mariae Angelorum de Portiuncula eiusdem urbis: *Cupientes* die ii. Novembris; adprobat constructionem ecclesiae penes monasterium clarissarum s. Antonii Patavini in urbe Toletana, ac quaedam pacta inter moniales et

fundatores confirmat: *Regimini* die xii. Septembris; commutat testatoris voluntatem pro perficienda fabrica coenobii fratrum reformatorum Transtyberim de Urbe: *Expositum* die vii. Ianuarii; restituit regimini fratrum de observantia monasterium s. Mariae Pacen. a Clemente viii. paulo ante ordinario subiectum: *Cum felicis* die xii Decembris; item et monasterium s. Luciae Calaris in Sardinia anno mdciii. ordinario ab eodem pontifice subiectum: *Cum alias* die vii. Iunii; revocat licentiam concessam Mariae Maximilianae ducissae Bavariae ingrediendi in monasterium s. Clarae de Anger prope oppidum Monachii: *Indultum* die xv. Septembris.

LXVIII. Instituit Antonium Marzer minoritam de observantia visitatorem apostolicum fratrum reformatorum conventualium: *De statu* die x. Decembris; confirmat Paulum de Clavasio visitatorem apostolicum in custodiis reformatorum provinciae Romanae, s. Francisci et Marchiae: *Decet* die xxi. Iunii; item confirmat Dionysium a Turre visitatorem apostolicum reformatorum in provincia Ragusii: *Cum nos* die viii. Augusti; ut Simeon de Diano numerum inscribat legatorum existentium in conventibus fratrum reformatorum provinciarum totius regni Neapolitani: *Cum tu* die xv. Octobris.

LXIX. Plura indulget summus pontifex Petro episcopo Sophiensi pro christifidelibus in regno Serviae et finitimis regionibus. *Cum sicut* die xiii. Septembris; ut Franciscus Ianes minorita de observantia confessionis excipiendae causa Caroli de Borgia ducis Gandiae possit cum eo permanere vel in civitate Valentiae vel in oppidis Gandiae sive Olivae. *Piis* die xxvii. Iunii; ut Maria archiducissa Austriae una cum filiabus suis ter in anno ingredi valeat in monasterium clarissarum Graecii a se fundatum: *Piis* die x. Octobris; eximit a quibusdam vectigalibus moniales s. Luciae Fulginei: *Vestro nomine* die ix. Decembris; indulget ut Stephanus de Paulo minorita de observantia permaneat in conventu s. Francisci de Xabiegas Ulysipone pro explendis quibusdam negotiis: *Religionis zelus* die x. Decembris; ut Martinus Munoz possit aliquid largiri ex bonis suo studio acquisitis consanguineis parentibus: *Exponi nobis* die vi. Octobris; ut Ioannes Baptista Moles expleto octennio sui commissariatus generalis officii possit eligi ad alia munia sui instituti: *Religionis zelus* die xii. Octobris; ut Bonaventura Secusius patriarcha Constantinopolitanus, olim minister generalis, archiepiscopus Messanen. ob sui infirmitatem possit vesci quadragesimali tempore cibis vetitis: *Exponi nobis* die xxi. Octobris; ut moniales clarissae s. Salvatoris Ulyssiponen. licet non subsint regimini ordinis, possint frui privilegiis quibus gaudent moniales ordini subiectae: *Nuper* die xv. Novembris; ut Andreas episcopus Cocinen. secum retineat duos fratres minores de observantia: *Personam tuam* die xxiii. Decembris; ut moniales s. Marthae et s. Catharinae Firmi possint vendere duas aedes pro emendo fundo maioris pretii: *Exponi nobis* die xxxi. Iulii.

LXX. In mense Novembri summus pontifex, datis quas vulgamus literis, concedit statutis diebus indulgentiam plenariam ecclesias ordinis visitantibus, pro felici exitu generalis comitii celebrandi in conventu s. Ioannis Regum Toleti anno insequenti a minoritis de observantia.

PAULUS PAPA V.

Universis christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Meritis licet imparibus in domo Domini dispensatores constituti, thesaurum dominicum divinitus nobis commissum sic nos dispensare convenit, prout christifidelium animarum saluti conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum igitur capitulum generale fratrum minorum s. Francisci de observantia celebrandum sit, et illius celebratio in civitate Toletana et domo seu conventu s. Ioannis Regum eiusdem ordinis in vigilia et festivitatibus pentecostes anni proximi futuri MDCVI. sit decreta et instituta, ad ipsamque civitatem et ipsius capituli generalis celebrationem multi viri zelo religionis pleni, ac scientia et morum probitate praediti, a quibusvis mundi partibus praedicti ordinis professores favente Domino sunt accessuri, nos felici dicti capituli directioni et christifidelium animarum saluti paterna charitate prospicere volentes, cupientesque ut ipsi christifideles ad ecclesias eiusdem ordinis visitandas et alia pia opera exercenda, eo promptiores reddantur, quo ex hoc uberius dono coelestis gratiae conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui in paschatis resurrectionis D. n. Iesu Christi et pentecostes festivitatibus, ac singulis diebus infra octavam earumdem festivitatum pentecostes, ecclesiis domorum, conventuum ac monasteriorum eiusdem ordinis s. Francisci de observantia, tam virorum quam mulierum tam in Italia quam alibi locorum citra et ultra montes, et in quibusvis mundi partibus constitutas devote visitaverint, et inibi pias preces ad salvatorem nostrum Iesum Christum eiusque gloriosissimam Matrem pro suae sanctae catholicae ecclesiae, huius sanctae sedis apostolicae ac totius illius populi christiani defensione ac principum christianorum concordia adversus turcas et alios fidei catholicae hostes, necnon felici praedicti capituli celebratione effuderint; quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, ac etiam qui durante actuali celebratione dicti capituli generalis ecclesiam praedictam conventus s. Ioannis Toletani, ut praefertur, visitaverint et oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; non obstantibus constitutionibus etc. Chronologia ordinis tom. 1. pag. 532.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XII. Novembris pontificatus nostri anno I.

M. Vestrius Barbianus.

LXXI. Idem pontifex delegit praesidem generalis comitii Garziam Millinom archiepiscopum Rhodiensem apud catholicum Hispaniarum regem nuncium: *Cum sicut* die XII. Decembris.

LXXII. Concedit altare privilegiatum s. Mariae de Laureto in ecclesia s. Francisci observantium civitatis s. Iacobi Guatimalae in Indiis occidnis: *Omnium saluti* die X. Novembris; altare s. Antonii Patavini in ecclesia s. Francisci observantium Ferentini: *Omnium saluti* die XIX. Octobris; altare sub invoca-

tione sanguinis Christi in ecclesia monialium oppidi de Madrid Toletanae dioecesis: *Omnium saluti* die xx. Septembris; altare s. Andreae in ecclesia conceptionis monasterii moniallam oppidi de Escalona, precibus marchionis de Escalona fundatoris: *Omnium saluti* die xx. Septembris; transfert altare privilegiatum s. Francisci ad altare sacrorum stigmatum in ecclesia conventualium Caesenae, donec illud s. Francisci instauratur a magistro Dandi protonotario apostolico ac oratorii patrono: *Alias* die vi. Octobris.

LXXIII. Erigit archiconfraternitatem corporis Christi in ecclesia observantium s. Francisci Cracoviae: *Salvatoris* die xxi. Iulii; confirmat decretum cardinalis Bellarmini quoad erectionem confraternitatis conceptionis in ecclesia observantium s. Hieronymi Forolivii, quod irritum cupiebant minores conventuales ea ratione ducti, quia ante id temporis eadem erecta fuerat in eorum ecclesia: *Ex commisso* die xxii. Augusti; arigit confraternitatem s. Rochi in ecclesia eiusdem nominis in oppido Dogliano Salusiarum dioecesis: *Cum sicut* die x. Iunii; confraternitatem conceptionis in parochiali ecclesia s. Stephani oppidi de Pedrosa de Castro Burgen. dioecesis: *Cum sicut* die ii. Iunii; confraternitatem conceptionis in ecclesia s. Francisci conventualium Corinaldi: *Cum sicut* die xiii. Iulii; confraternitatem s. Francisci in ecclesia eiusdem nominis oppidi Clavarini dioecesis Ianuen. *Cum sicut* die xxviii. Iulii; confraternitatem conceptionis in ecclesia maiori, vulgo *porto oppidi del Caglier* Limae: *Cum sicut* die xxvii. Augusti; confraternitatem conceptionis in ecclesia observantium Smirnen. in provincia Anatoliae: *Pastoris aeterni* die i. Septembris; confraternitatem chordigerorum in ecclesia b. Mariae virginis Gratiarum oppidi de Burgo Manerio Novarien. dioecesis: *Cum sicut* die x. Septembris. Idem sodalitium hoc eodem anno erectum fuit in ecclesia observantium Sabiniani provinciae Bononiensis. Erigit confraternitatem s. Antonii Patavini in ecclesia sub eadem invocatione monialium oppidi de Valenca Bracharen. dioecesis: *Cum sicut* die xxiv. Octobris; confraternitatem conceptionis in ecclesia s. Andreae de Masine Paduanae dioecesis: *Cum sicut* die xv. Novembris.

Flaminius a Parma tom. 2. pag. 519.

LXXIV. Alia summi pontificis brevia notamus ex indiculo bullarii Petri de Alva. Pro monialibus capucinis loci de Castrillorum Tudertin. *Aequum reputamus* v. idus Iunii; pro coenobio ss. xii. Apostolorum de Urbe: *Ex iniuncto* iii. nonas Augusti; pro monialibus clarissis Savonen. *Ex iniuncto* xiv. calendas Novembris; de clarissis monasterii s. Martini Pisan. *Ex iniuncto* xv. calendas Iunii; pro monialibus clarissis s. Agnetis Asten. *Ex iniuncto* calendis Decembris; pro monasterio monialium s. Mariae de Aracoeli Vicentin. *His quae* v. idus Novembris; de coenobio conventualium Rocchaecontratae Senogalliensis dioecesis: *Ex iniuncto* iv. calendas Octobris; de ingressu religionis capucinorum Francisci de Testa canonici: *Dignum* iii. nonas Iulii; simplex beneficium in altari conceptionis in ecclesia s. Stephani Firman. *Dignum* xiv. calendas Novembris; beneficium conceptionis in altari s. Crucis ecclesiae Lucan. *Apostolicae sedis* calendis Iulii; beneficium in altari conceptionis parochialis ecclesiae s. Thomae Valentin. *Rationi congruit* iv. calendas Iulii; cappellania perpetua sub invocatione conceptionis in ecclesia Lucan. *Apostolicae sedis* v. idus Maii; pro monialibus clarissis monasterii s. Iacobi de Pinarolo: *Ex iniuncto* iv. calendas Iulii; pro conventu s. Francisci Assisien. circa quamdam petiam terrae: *Ex iniuncto* v. nonas Octobris; extinctio legatorum conventus reformatorum Bisinianen. Casentin. *Aequum reputamus* iv. calendas Iunii; renunciatio legatorum fratrum terrae Salandriae: *Aequum reputamus* iv. idus Iunii; pro monasterio clarissarum s. Matthaei Florentin.

Ex iniuncto xxii. calendas Augusti; pro monialibus clarissis Assisieo. circa aliqua bona: *Ex iniuncto* ix. calendas Martii.

LXXV. Eiusdem summi pontificis voluntate hoc eodem anno sacra reformationis apostolicae congregatio sequentia edidit decreta quoad certum determinatum oumerom religiosorom designandum io uooquoque coenobio.

Sanctissimus in Christo pater et d. noster d. Paulus divina providentia papa v.

§. 1. *Cum ex plurimis iisque gravissimis decretis quae fel. rec. Clemens* viii. *ad regularem disciplinam restituendam et augendam condidit, illud maximi momenti esse animadverterit, quod a sacro concilio Tridentino multo ante cautum etiam fuerat, ut is tantum religiosorum hominum numerus in singulis monasteriis, conventibus et domibus regularibus constitueretur, qui vel propriis reditibus et obventionibus, vel consuetis emolumentis ac eleemosynis ali commode possent, magnamque fortasse observantiae regularis iacturam inde factam esse, quod ordinum superiores illud exequi nimium distulerunt, ut hoc etiam adhibito remedio, huiusmodi incommodo prospiceret, aditumque iis praelatis regularibus praecluderet, qui plures ad suam religionem admittentes quam monasteriorum et conventuum census, eleemosynae et qualitates ferant, non levem subditis vitae claustralis relaxandae occasionem praebere videntur.* *Ex bullario Cherubini tom. 3. pag. 187.*

§. 2. *Decrevit et praecepit, ac praesentis decreti virtute praecipit et mandat omnibus et singulis generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus, praepositis, guardianis, vicariis et quibuscumque aliis superioribus monasteriorum, conventuum et domorum, quovis nomine nuncupentur, ordinum, congregationum et institutorum tam monachorum quam mendicantium et non mendicantium regularium quorumcumque existentium intra fines Italiae et insularum adiacentium, ut singuli ad quos pertinet, in qualibet provincia, adhibitis duobus aut tribus monachis fratribusve sui ordinis vel congregationis probatioribus et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, reditus et proventus omnes, consuetas item eleemosynas et obventiones tam communes monasteriorum, conventuum et domorum eiusdem provinciae, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum diversorum habita ratione, diligenter ac mature recognoscant, iis omnibus detractis quae reparationes, praestationes, grandines, sterilitates aliave cuiusvis generis onera consueverunt absorbere, eaque omnia scripto fideliter exarata idem superior, cuius interest, in primo capitulo seu congregatione provinciali coram tribus iudicibus ab ipsomet capitulo seu congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi reditibus, eleemosynis et obventionibus universis ac oneribus ut superius detractis, sedulo exaniment quot religiosi homines in unoquoque monasterio, conventu et domo regulari, iuxta regionis et proprii instituti morem, victum et vestitum in communi habentes competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redituum, eleemosynarum et onerum praecisam notam ipsimet congregationi capitulove provinciali exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cuicumque familiae, conventus, monasterii et domus regularis quovis nomine nuncupatae in singula quaque provincia certus earum tantum personarum*

numerus communi patrum capitularium voto praefigatur, quae reditibus, eleemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

§. 3. *Ne vero superiores qui id praestare debent, serius aut remissius, quam par est, muneri suo satisfaciant, mandavit et mandat sanctitas sua ut infra annum a die dati praesentis decreti computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta in authenticam formam redacta ad congregationem reformationis apostolicae singuli mittant, numerumque familiae singulorum conventuum, monasteriorum et domorum huiusmodi regularium, capituli vel congregationis provincialis sententia et auctoritate praefinitum iidem superiores ordinum, congregationum et institutorum quorumcumque tam generales et provinciales quam locales omnes perpetuo servare omnino teneantur.*

§. 4. *Eos autem superiores cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, qui praedicta omnia praefixo termino non praestiterint, vel numerum huiusmodi praescriptum quovis modo augere praesumpserint, privationis omnium officiorum quae tunc temporis obtinebunt, vocisque activae et passivae ac ad omnia suae religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque aliis etiam graviaribus ad sanctitatis suae et successorum suorum arbitrium infligendis poenis subiacere voluit et declaravit.*

§. 5. *Vult praeterea sanctitas sua per hoc decretum eiusdem congregationis reformationis apostolicae secretarii manu subscriptum consuetisque almae Urbis locis affixum et publicatum, omnes et singulos ordinum regularium superiores ad quos spectat perinde affici ac si fuisset cuilibet personaliter intimatum.*

§. 6. *Non obstantibus etc.*

Datum Romae apud s. Petrum die IV. Decembris MDCV. pontificatus eiusdem s. d. n. anno I.

Barezus quarta par. chronic. pag. 1285.

LXXVI. Francisca ex gente Guidinelli uxor Ioannis Marzi inter cives Panormitanos in Sicilia opibus et nobilitate illustris, filium ex coniugio accepit, nomine Franciscum. Cum autem ambo impense colerent pietatem erga beatam Dei genitricem ac seraphicum s. Franciscum, eum in amore et timore Domini erudiebant. At id invidens humani generis hostis, variis primum carnis illecebris pientissimam feminam aggressus est; sed vano prorsus conatu. Tunc daemon tantum edendae carnis filii sui appetitum in eam ingessit, ut eo suis manibus enecato ac in binas partes discisso, partem camino domus appenderit, alteram vero ferro transfixam combusserit manducandam. Tunc advenit maritus, et cognito uxoris facinore furens cubiculum eius ingreditur, ut eam gladio perimeret. At mulier poenitentia illico ducta, b. Francisci patrocinium fusis lacrymis invocabat, qui ambobus illico apparens, iussit ut corporis filii partes ad ipsum adducerent. Quo peracto, eas inter se univit, et puerum parentibus obtulit vivum ac maiori quam antea pulchritudine donatum. Post haec Sanctus evanuit.

Acta ss. ad diem 28. Septembris.

LXXVI. Carolus comitis Alexandri Mezzabarba Ticinensis filius parvulus suum in os imposuit nummum argenteum et usque ad fauces deglutivit ita, ut neque ultro intromittere, nec minus reiicere prae sui magnitudine valeret. At frustra humana remedia. Cum autem mater puerulum moribundum moerens conspiceret, illum b. Bernardino Feltriensi commendavit. Edito voto, puer sponte nummum illico reiecit et omnis mali expers evasit. Ut autem acceptum a Beato beneficium testarentur parentes, vestem filii ad Beati altare appensam voluere.

ARGUMENTUM

Fratres minores de observantia comitia celebrant in urbe Toletana. Mittuntur fratres in Insulas Moluchas. Laurentius a Brundusio capucinus mira operatur in Germania et in Hungaria. Domus excitantur pro fratribus et sororibus. Iulianus a s. Augustino, aliique viri Dei ac virgines occumbunt. Viri docti decedunt et inclarent. Eliguntur episcopi et pontificis concessiones memorantur.

Die xiii. Maii coacto a fratribus de observantia comitio in coenobio s. Ioannis Regum Toleti, proeside Garzia Millino archiepiscopo Rhodiensi apud regem catholicum nuncio, totius ordinis clavum, loco Francisci de Sousa, demandatum fuit Archangelo de Messana, provinciae Siciliae iam administro. Patrum conventum cohonestavit praesentia sua pientissimus Philippus iii. Hispaniarum rex, qui solemni sacro ac concertationibus singulari comitate interfuit, et in publica per urbem supplicatione incessit cum fratribus. In hoc comitio Alphonsus de Frias ex provincia Castellae *concionem ad patres habuit*, et Petrus Gonzalez de Mendoza eiusdem provinciae e rostris item dixit *de immaculatae Virginis conceptione*. Utraque oratio typis commissa fuit anno insequenti; prior Compluti; altera Toleti. Petrus de Navarro ex laudata provincia Toleti apud Petrum Rodriquez edidit hispanice *discursum et relationem capituli generalis fratrum minorum Toleti anno* mdcvi. *celebrati, in quo electus fuit minister generalis rev. Archangelus Messanensis.*

Chronol seraph tom 1 pag. 526.

Sbaralea lit. A

Idem lit. P.

Idem lit. P.

II. Munus commissarii generalis cismontanae familiae in eo obtinuit reverendissimus p. Petrus Gonzalez de Mendoza provinciae Castellae custos; definitor pro utraque familia institutus fuit p. Franciscus de Sousa generalis praeteritus; pro ultramontana vero familia p. Franciscus de Belgioioso commissarius generalis praeteritus; procurator ordinis in curia romana p. Paulus de Laed secretarius ordinis et provinciae s. Francisci commissarius; in curia Romana commissarius p. Franciscus de Herrera provinciae s. Iacobi continuatur.

III. Caeteri rerum publicarum administratores delecti sunt; definitores nimirum ultramontanae familiae Bernardinus de Polistina provinciae ss. Septem Martyrum, Angelus a Fugnano provinciae Bononiae custos, Ioannes de Castromonte provinciae s. Bernardini custos, Salvator a Roma provinciae Romanae custos, Octavianus de Incisa provinciae Tusciae minister, Albertus de Ragusio provinciae Ragusinae custos. Cismontanae familiae definitores sunt Franciscus Soyer provinciae Franciae minister, Nunius Daza provinciae Conceptionis minister, Ioannes Reginaldus provinciae Franciae Parisiensis minister, Ioannes Lambiglion provinciae Flandriae minister, Philippus de Ayola provinciae Castellae minister, Carolus Incuria provinciae Argentinae commissarius. Candiae minister instituitur idem Carolus Incuria mox laudatus; minister vero provinciae Hiberniae Florentius Courio. Guardianus et commissarius Terrae Sanctae Laibantius Veronensis provinciae s. Antonii; guardianus Constantinopolitanus Franciscus a Scio provinciae Siciliae; praeses poenitentiariae Lateranensis ecclesiae Antonius a Caprarola provinciae Romanae definitor. Guardianus s. Clarae Neapolis ad arbitrium reverendissimi p. generalis.

Digitized by Google

LEGES EDITAE IN CAPITULO TOLETANO.

PRO UTRAQUE FAMILIA.

IV. « In primis praecipimus omnibus et singulis nostrae religionis patribus et fratribus, quocumque nomine vocantur, ut declarationes nostrae evangelicae regulae per Nicolaum III. et Clementem V. fel. rec. editas omnino observent, nulla admissa dispensatione contra puritatem praedictae regulae exhibita; et qui contra fecerint poenis contra instituti nostri fractores subiaceant. Declaratur autem quod usus syndici vel procuratoris sedis apostolicae, ad quam proprietas illorum quibus utimur, spectat, non est dispensatio sed modus a pontifice romano exhibitus, ut purius et perfectius regula observetur, ut ipsi pontifices testantur ».

DE CULTU DIVINO.

V. « Cum autem ordinis statuta, constitutiones et decreta in regula fundentur eique innitantur et inniti debeant, regula vero coelestis disciplinae semitam paret ad vitam et felicitatis aeternae aditum pandat ad gloriam, evangelicam vivendi normam tradens, inde initium sumentes statuimus, divinum cultum, laudes divinas, sacrificia, crebra ieiunia, orationem tum vocalem tum mentalem, silentium ac reliqua omnia spiritualia exercitia quae pietatem exercitant, regularis vitae disciplinam iuvant, et Deum reddunt propitium, exquisite et rigorose quidem instaurentur ac serventur iuxta formam in statutis Vallisoletanis ac Toletanis (in quibus copiose et exacte quidem provisum est) pie ac sancte traditam. Provinciales vero seu praelati locales, qui in eorum observantia negligentes fuerint, suspendantur officio ipso facto, vel etiam priventur pro negligentiae modo superiorum arbitratu ».

DE VOTO ET PRAECEDENTIA PATRUM.

VI. « Iuxta dispensationem ss. d. n. d. Pauli divina providentia papae V. de consilio, consensu et voto totius capituli generalis secreto ab illustriss. d. nuntio praeside explorato, renovantur statuta Neapolitana et Vallisoletana concedentia votum et praecedentiam in omnibus congregationibus etiam capitularibus: patribus ordinis et provinciarum ibidem adnumeratis, videlicet illis qui ministri et commissarii generales, officiales romanae curiae, definitores ordinis, ministri provinciarum, secretarii reverendissimorum generalium et commissariorum generalium iuxta bullam unionis electorum per continuum triennium in capite, et guardiani Terrae Sanctae extiterunt, ea lege quod nullum habeant aliud privilegium vel exemptionem, nisi votum et praecedentiam, virtute illorum statutorum. Et quia idem ss. dominus (Gregorii XIII. fel. rec. vestigia sequens) qui in sua extravaganti *Consuevit* etc. haec ait: (Nec enim aequum censemus, ut iis qui negotiorum ordinis habent experientiam et notitiam exclusis, per solos generalem, et definitores novos rerum religionis non ita gnaros aut expertos statuitur etc.) Id concedit statuendum capitulo generali, non obstantibus literis Clementis VIII. fel. rec. praedicta statuta revocantibus et annullantibus, ne desint in definitoriis et aliis capitularibus congregationibus viri graves et experti,

decernimus quod si aliquis vel iam obtinuerit, vel in posterum impetraverit privilegium praedictorum patrum sine reali et actuali exercitio officiorum in praedictis statutis enumeratorum, intelligatur dictum privilegium de sola praecedentia, non autem de voto exhibendo: et hoc idem intelligatur in sola familia ultramontana de his, qui non in propria, sed in aliena provincia ministratus officio functi sunt, scilicet quod sola praecedentia gaudeant, non autem voto; et inter eos qui in propria ministri fuerunt ultimum locum teneant ».

DE NUMERO FRATRUM PRAEFIGENDO ET DE PROMOVENDIS AD ORDINIS OFFICIA

VII. « De mandato ss. d. nostri duo strictissime serventur: alterum quod non habitent in quolibet conventu plures fratres, quam commode et sine distractione possint sustentari; alterum quod nullo modo ad officia praelatorum promoveantur religiosi, qui monasticae disciplinae communem vivendi formam in omnibus non sequantur ».

DE TAXANDIS MISSIS.

VIII. « Quia sacrosanctum concilium Tridentinum remittit ad dioecesanas synodos, vel ad capitula generalia taxationes missarum et aliorum obsequiorum, quae testatores aliqui reliquerunt sine commoda retributione nimium oneris imponentes, et ad hoc nostrum generale capitulum ex diversis locis quaestiones circa hoc delatae sunt, quae regulam generalem praescribendo dirimi non possunt, decernitur et statuitur, quod in his omnibus quae iuxta speciale decretum expeditae non fuerint, observetur, quod in similibus eventibus statutum est per synodos illius dioecesis, ubi fuerit structus conventus ».

PRO FAMILIA ULTRAMONTANA DE MAGISTRIS NOVITIORUM.

IX. Cum idem ss. d. n. Paulus divina providentia papa v. ad maiorem novitiorum ordinis utilitatem et incrementum mandaverit, nonnulla privilegia impertiri debere iis qui magistri novitiorum per continuum quinquennium fuerint, si in magisterio ipso digne ac laudabiliter se gesserint, decernimus quod transacto quinquennio sint perpetui discreti locales, et inter eos qui definitoriatus officio functi sunt, connumerentur omnino et computentur, caeterosque fratres praecedant ».

DE STATUTORUM OBSERVANTIA.

X. « Obedientia porro quam insignis Christi sectator fidelis Dei servus seraphicus p. n. b. Franciscus sibi ac regulae suae professoribus perpetuo servandam elegit ac proposuit, nobis necessaria est ad salutem; quare ut ea stabili et firmo nitatur fundamento, uniformem vivendi normam tradere volentes, omnem varietatem ac multiplicitatem ordinationum, constitutionum et statutorum quorumcumque ordinaria ordinis facultate edita, penitus et omnino abrogamus et abolemus, et solo decreta seu statuta generalia Vallisoletana sub anno Domini mdxciii. edita fideliter et integre servanda proponimus, sancimus ac sancte decernimus, cum additionibus et declarationibus quae in praesenti capitulo generali de patrum consilio et voto hic subnectuntur, sub poenis in iisdem contentis transgressoribus ipso facto incurrendis ».

DE LAICIS.

XI. « Ultra ea quae in praedictis Vallisoletanis constitutionibus de laicis generatim praescripta sunt, decernimus, quod praeter ea, nullus post emissam professionem de laicatu ad clericatum ascendere possit quacumque ordinis auctoritate, sub poenis in eis contentis ipso facto incurrendis ».

DE AROMATARIIS.

XII. «. Extenditur quoque et declaratur statutum de aromatariis, quod videlicet accepti et expensi rationem singulo quoque mense exactissime guardiano, una cum discretis reddat, et ministro provinciali saltem semel in anno in acta visitationis; et contrafacientes proprietarii quoquomodo poenam incurrant: nullus aromatarius in huiusmodi officio perduret ultra triennium, nisi aliter capitulo provinciali expedire videbitur ».

DE STUDENTIBUS.

XIII. « Declaratur etiam statutum circa negligentiam studentium, quod omnes videlicet qui in studiis sacrae theologiae ultra quatriennium permanserint, et publicas conclusiones non sustinuerint, et alias publicas et privatas functiones de more non fecerint, a provincialibus omnino ad propria remittantur et extra studia locentur, sub poenis privationis officiorum contrafacientibus ».

DE SPOLIIS MORTUORUM.

XIV. « Decernitur quoque, quod in qualibet provincia in primo capitulo vel congregatione post notitiam praesentium a provincialibus ipsis cum definitorio, ubi non fuerit seminarium, morientium spolia in aliquem pium usum de eorum consilio et voto omnino applicentur. Curentque provinciales ipsi sub poena privationis officiorum. quod nullo pacto alicui personae particulari appropríentur sub proprietarii poena ».

DE CONFESSARIIS MONIALIUM.

XV. « Quod in statutis Vallisoletanis decretum est de confessariis monialium tam ordinariis quam extraordinariis, quoad aetatem et caeteras conditiones ibidem expressas, omnino servetur a provincialibus praelatis, sub poena privationis officiorum contrafacientibus ipso facto incurrenda ».

DE INFAMATORIBUS.

XVI. « Ad praecludendam viam calumniatoribus et quomodocumque infamatoribus decernimus et statuimus, quod si quis in posterum convictus fuerit, literas infamatorias, seu ut vulgo dicunt memorialia, quomodocumque vel qualitercumque expresso vel suppresso nomine, scienter ac malitiose scripsisse, asportasse, proiecisse, affixisse vel quoquomodo publicasse vel manifestasse in detrimentum famae proximi sui cuilibet personae vel tribunali, eisdem poe-

nis omnino subiaceat, quae contra deponentes falsum in iudicio, in statutis Vallisoletanis pie ac sancte decreta sunt ».

DE TERTIARIIS.

XVII. « Decernitur quod nullus deinceps tertiarius sive receptus in ordine ad famulatum tamen cuiuscumque conventus, caputium plenum vel semiplenum vel omnino aliquod vestimentum in forma caputii indui possit, sub poena privationis officii, guardianis id permittentibus superiorum arbitratu subeunda ».

DE UNIONE PROVINCIARUM.

XVIII. « Ex duabus Hungariae provinciis una efficiatur, quae vocetur provincia Hungariae. Iustis ac rationabilibus de causis pro Dei gloria decernitur, quod conventus s. Francisci civitatis de Scio qui olim erat provinciae Candiae, subiaceat provinciae Siciliae, et eius minister de guardiano et fratribus in posterum semper provideat ».

PRO CISMONTANA FAMILIA.

XIX. 1. « Provincia Saxoniae s. Crucis aggregatur provinciae Argentinae. Nullibi capitulum provinciale celebretur absque eo, quod praecedat visitatio facta a praelatis generalibus vel alio religioso qui visitet provinciam et capitulum celebret; qui quidem ex eadem provincia quam visitat, assumi non debet, sed ex alia earum quae proximae sunt, assignandus est, nisi propter bella vel aliud grave impedimentum ex eadem provincia eligendus sit. Quod tamen praestandum non est, nisi praedicta vel alia simili urgente necessitate ».

2. « Officia guardianorum quae vacaverint extra capitulum, distribuantur in definitorio et non suffragiis conventuum. Quod si ad congregandum definitorium difficultas aliqua intercesserit, minister provincialis usque ad debitum tempus praesidem designet. Et animadvertitur circa constitutionem apostolicam prohibentem ne ultra triennium quisquam guardianus in eodem conventu, vel minister persistat in eadem provincia, dispensasse Clementem VIII. fel. rec. ut praelati generales ultra praedictum tempus capitula provincialia per spatium sex mensium differre possint, dum illis expediens visum fuerit ».

3. « Libertatis examen quod secundum Tridentinum concilium praestare debent ordinarii, antequam monialis novitia ad professionem admittatur, solum fiet ad retia monasterii iuxta decretum Pii V. fel. rec. et novitia quae alio modo testimonium suae libertatis postulaverit et voluerit, a monasterio excludatur et deinceps nullatenus admittatur ».

4. « Item patres ministri provinciales vigilantissimam curam habeant exequendi ad unguem decretum apostolicum latum contra eos, qui ad saecularia tribunalia recurrunt, vel in appellationibus excedunt ordinem praefixum in praedictis statutis per sedem apostolicam denuo confirmatis ».

5. « Item quoniam iuxta statuta generalia Barcinone confecta et Toleti reformata et cum successive aliqua innovata et aliqua addita sunt, capitulum generale graves et doctos religiosos destinavit, ut praedicta statuta in compendium redigant et in debita forma typis mandentur, per omnesque mittantur provin-

cias; quae quidem statuta praecipimus ut rite observentur, et quidquid illis contradixerit, revocamus ».

6. « Qui in aliis provinciis provincialium munus ministrorum exercuerint, si ad proprias revertantur, non erunt perpetui definitores; in reliquis autem potiantur omnibus privilegiis quae concessa sunt, qui in sua provincia ministri provinciales extiterunt ».

7. « Item custos custodum habebit suffragium in definitorio ».

PRO HISPANIS.

XX. 1. « In novitiorum receptione omnino observentur decreta apostolica, nulloque modo admittantur probationes de qualitatibus ad habitum requisitis, ut fiant ad eorum petitionem vel aliorum suo nomine, sed omnes secreto fieri debent industria praelatorum, utendo licentia et facultate quam a sede apostolica in hoc obtinemus: ut scilicet a saecularibus iuaiurandum possimus exquirere. Quod ut debite fiat, praecipimus guardiano conventus proximioris patriae praedicti novitii, quod cum fuerit monitus a guardiano vel praeside conventus ubi novitius habitum recepit, incunctanter praestet, quod ad hoc attinens requisitum ab illo fuerit, licet praedictus guardianus vel praeses non sit eiusdem provinciae ».

2. « Item, ut id quod in anteacto capitulo generali stabilitum est de monialium conventibus non adeundis, effectum debitum consequatur, praecipitur sub actnum legitimorum privationis poena, ut religiosus nullus cuiuscumque fuerit qualitatis, in praedictis alloquatur monasteriis, absque eo quod in scriptis licentiam habeat superioris, qui nec generaliter nec pluribus vicibus, sed pro una dumtaxat illam concedere possit; quod si secus fecerit, ab officio suo suspendatur ».

3. « Item quia aliquibus religiosis necessitas concedit, ut lineis et calceamentis utantur aliisque rebus quae interdicuntur eis, qui huiusmodi non astringuntur necessitatibus, praecipitur patribus guardianis sub poena privationis suis ab officiis, ut si temporali medico fuerit significata obligatio regulae et status nostri, et ipse iuramento interposito declaraverit praedictum religiosum constringi necessitate ad usum aliquarum rerum ex praedictis, guardianus proprius illi teneatur omnino de talibus omnibus providere, et adhuc communitatis expensia illius faciat lavari vestes ita prorsus, ut dum superfluum et vitiosum vitetur, iustum et necessarium ministretur. Patres autem ministri provinciales specialem horum fratrum in proprio libro rationem habeant. Hi autem cum non valeant exequi rigorem communis et regularis disciplinae, ad officia praelatorum non debent promoveri. Religiosus vero qui absque tali ordine et dispensatione praedictarum rerum usum habuerit, actibus legitimis ipso facto privetur; quod si iuvenis vel laicus fuerit, probationis habitu per annum puniatur ».

4. « Item cum in capitulo generali ultimo Romae celebrato praeceptum sit, ut in vestibus uniformitas tam quoad formam et modum, quam quoad colorem et humilitatem observetur, attendentes quod pleraeque provinciae Hispaniae viliori utuntur panno, vulgo saial, et quod aequum est, ut pauciores pluribus conformentur, praecipimus stricte ut deinceps nullus habitus vel pallium fiat nisi ex praedicto vili indumento, scilicet de saial, quod sit cinericii coloris et totius expers curiositatis; et guardiani qui contrarium permiserint, sint officio privati ».

5. « Item quantum ad distributionem rerum, quibus religiosi defuncti utebantur, observetur statutum vel consuetudo uniuscuiusque provinciae, dummodo libri tantummodo excipiantur, ex quibus in specialibus cellis et conventus confici debent bibliothecae; circa quod minister et definitores cuiuscumque provinciae quod rationabilius visum fuerit, praecipiant ita, ut praedicti libri in talibus cellis conserventur, et eorum incolis tradantur per inventarium, sub censurisque et aliis poenis caveatur, quatenus huiusmodi libri non distrahantur, et ita quoad fieri possit, intolerabiles vitentur expensae quae fiunt in delatione librorum ex uno in alterum locum. Quamvisque religiosorum nulli in speciali iubeamus, ut libros quibus utitur ad huiusmodi tradat effectum, si tamen ultro et sponte religiosus quisquam hoc praestiterit, ministri libenter huiusmodi acceptent renuntiationem, et quantum in se fuerit, grato animo rependant ».

6. « Item in omnibus conventibus monialium promulgentur et executioni mandentur apostolicae literae Clementis VIII. fel. rec. prohibentes, quemlibet qui non sit ex nostro ordine, in praedictis conventibus habere concionem absque expressa licentia praelatorum. Si quae tamen ab ipsis fuerint ad hoc concessae facultates, revocantur ».

7. « Item sub poena privationis officii ipso facto prohibetur, ne olla dos aut pars illius in aliquam necessitatem conventus expendatur, sed quod omnino dotes omnes in annuos reditus convertantur, circa quod provinciales ministri nullo modo dispensare possint ».

8. « Item quoniam summi pontifices attendentes gravia incommoda quae proveniunt ex multiplicatione conventuum et aliarum congregationum quae eleemosynis victum quaerunt, specialia circa hoc statuerunt decreta, et ultimo sanctitas d. n. Pauli ad illustriss. nuntium praesidem huius capituli scribit, ut magna cura in hoc incumbat et capitulum generale Romae celebratum confirmans congregationem habitam Victoriae, facultates ad nova erigenda coenobia remisit solum ad capitulum generale. Sed tamen nunc attendendo, quod nihil ex supradictis alicuius fuerit emolumenti, cum nullus quippe erigere intentaverit conventum, qui non voti compos evaserit, et insuper cum in solo regno Castellae et Portugalliae triginta et sex conventus denuo erigi modo postulentur, et plerique illorum in huiusmodi locis in quibus iam constructi, necessario propter victus inopiam destruentur. Diffidens capitulum generale aliud commodum remedium adhiberi posse, cum sit res quae vulgo sub falso zelo pietatis longe aliter expeditur, quam ratio et tempora postulabant, irritat praedictum statutum in quo talem facultatem ad se solum advocaverat, et plenam tribuit licentiam provinciis, ut maturo praehabito consilio, quod magis ad rem visum fuerit expectare, circa hoc arbitrari possint, divinoque implorato auxilio ante dioecesanos et curiam romanam de debito curent obtinendo remedia. Quod si fuerint in litis ventilatione condemnatae, humiliter et patienter obediant, deserantque conventus quos non potuerint commode et sine distractione sustentare. Religio enim nostra quam non credimus ab omnipotenti Deo esse destitutam, licet in hoc desideret, quod magis ad eius obsequium attinuerit, plane fatetur se ultra progredi non posse, et submisse religiosos omnes exposcit, ut divinam in hoc extremo periculo maiestatem deprecentur ».

9. « Item in omnibus vicis et civitatibus principalioribus cura diligens adhibeatur, ut confraternitas ordinis tertii quam s. n. Franciscus pro saecularibus

Digitized by Google

instituit, in hoc regno Castellae promulgetur, ut in eo, sicut in regno Aragoniae in dies producat florida germina sanctitatis. Ministri autem provinciales summopere conentur, ut hoc nostrum statutum consequatur optatum effectum, quidquid ad hoc fuerit requisitum providentes et praecipientes ».

10. « Item denuo confirmatur decretum quo statutum erat, ut conventus monialium s. Clarae de Candia immediate subiaceat iurisdictioni praelatorum generalium tantum ».

11. « Item renovatur antiquum statutum quo cavetur ne quis guardianus permittat eleemosynarios quaestus, qui verno tempore solebant fieri in villis pernoctando et diurno tempore commorando. Praelati autem qui circa hoc fuerint negligentes, puniantur poena privationis suorum officiorum ».

PRO GALLICIS ET BELGICIS PROVINCIIS.

XXI. 1. « Cum aliqui religiosi in sui favorem literas impetraverint a praelatis generalibus vel a ministris curiae, debita reverentia admittantur: si tamen ea earum executione aliquod grave incommodum visum fuerit provenire, praedicta talis executio suspendatur, sicut in iure sancitum est: de hoc quantocius moneatur superior, qui decernet quod magis opportunum iudicaverit. Si vero absque rationabili causa mandatum executioni non fuerit, quod ipse praecepit, graviter et severe, ut decet, huiusmodi puniat inobedientiam ».

2. « Item apostolica statuta et constitutiones nostri ordinis prohibentia, quod guardiani in suis officiis non continuentur ultra tempus praescriptum, rigorose observari praecipimus. Quod si aliquando ob inopiam benemeritorum fratrum ad hoc munus obeundum necessarium fuerit dispensari cum aliquo, ut in alio conventu in guardianum iterum eligatur, fieri debet de consensu omnium suffragiorum capituli, nemine discrepante, vel auctoritate et voluntate reverendiss. ministri generalis. Nullus tamen eligi possit, qui in omnibus et per omnia aptus non sit, ut regularem vitam communem degere possit, quemadmodum in nostris stabilitur constitutionibus; commissarii autem qui designati fuerint, nullatenus tenorem suae commissionis excedant, sed omnino generalia statuta observent, quae limites suae iurisdictionis praescriptos designant ».

3. « Item iuxta nostra antiqua statuta declaramus, quod guardianus insignis nostri conventus Parisiensis in capitulo generali suffragium habeat; et confirmantur omnia statuta edita et confirmata ab omnibus ministris generalibus, et quae ultimo per reverendiss. p. f. Franciscum de Sousa decreta fuerant. Ad electionem autem praedicti guardiani Parisiensis suffragium activum habebunt patres discretorii dumtaxat et baccalaurei, qui cum ad minus studiorum suorum annum transegerint; tum etiam habitatores fuerint praedicti conventus iuxta decretum quod capitulum generale approbavit ad instantiam procuratoris ipsiusmet coenobii, revocando statutum novum in quo praedicta electio remittebatur ad definitorium provinciae, quae vocem passivam habebat iuxta morem antiquum. Et hoc ita sane decernimus, ut vitentur pleraque incommoda et inconvenientia, quae promanabant ex eo, quod praedicta electio fieret par suffragia scholasticorum dicti conventus; hoc omnino interdicitur; et si aliter fiat, electio sit irrita et nulla ».

PRO INDIIS.

XXII. 1. « Confirmatur erectio provinciarum s. Didaci et Zacathecarum in Nova Hispania ».

2. « Item confirmatur statutum proeteriti capituli generalis, quo decloratur duas esse provincias distinctas, illam quae duodecim Apostolorum de Lima nuncupatur, et illom quae dicitur s. Antonii Charcorum, et modus in divisione servandus remittitur ipsius provinciae definitorio ».

3. « Item provincia Mechiocacan dividatur in provincias de Guadalaxara, et de Xalisco ».

4. « In provinciis ubi sunt conventus recollectionis, omni cura curandum est, at conserventur, et ad hoc per ministros auxilium et favor aequo animo tribuatur; ubi autem conventus praedicti non fuerint constructi, cura et diligentia debet adhiberi, ut quantocius commode fieri potuerit, fundentur et erigantur ».

5. « Item ut factiones inter fratres ab Hispania oriundos et apud Indos natos, qui vulgari vocabulo appellantur Criollos, et illos qui ex Hispania ad illas provincias sunt missi, penitus deleantur; omnes et singulae constitutiones etiam antiqua consuetudine firmatae, quae aliquam inter hos differentiam assignant, cassantur et annullantur, tum pro receptione habitus, quam pro electione ad quaecumque officia ordinis, sive sint oneris sive honoris, ut ex omnibus, quos eadem fides et religio vere fecit esse germanos, nullo ad locum ubi nati sunt habito respectu, digniores aequaliter eligantur, recipiantur et promoveantur ».

XXIII. Ex Hispaniorum provinciis Manilam accesserunt hoc anno qui sequuntur fratres discalceati, ut auxilio forent sodalibus in disseminando Dei verbo in Insulas Philippinas. Cunctorum nomina sunt Ioannes a s. Martha, Franciscus de Tribaldos, Attilanus a s. Francisco, Bartholomaeus de Tembleque, Dominicus de Martyribus, Didacus a s. Maria, Ioannes Evangelista . . . Ioannes de Candelera, Petrus de la Cruz, Marcus a Iesu, Paschalis Serrano, Petrus a Conceptione, Antonius Grinon, Franciscus a s. Antonio, Petrus a s. Paulo, Franciscus a s. Andrea, Alphonsus de Archilla, Franciscus a Salamanca, Didacus Cabezula sacerdotes; Bartholomaeus a s. Iacobo, Ioannes de Buendia, Franciscus Corrales, Petrus Duran, Antonius de la Cruz et Lucas Salas laici. *Martinez lib. 1. pag. 103*

XXIV. Petrus de Acuna capitaneus, armorum vi ad catholici regis obedientiam adduxit hoc anno Insulas Moluchas positas in archipelago s. Lazari inter sinum Bengalensem et Philippinas Insulas. Cum eo advenerant tres franciscani fratres Ioseph a s. Maria, Alphonsus Goerrero ac Didacus a s. Maria, zelo dilatandae fidei christianae accensi. Laborum suorum uberem fructum retulerunt praesertim in insula de Ternate, ubi coenobium et valetudinarium posuerunt sub invocatione s. Iosephi. Anno MDCXII. summus pontifex Paulus V. *Ad augendam* eidem ecclesiae concessit indulgentiam plenariam in die festivitatis eiusdem ss. Patriarchae. *Idem ibid pag. 107.*

XXV. Vix Laurentius a Brundusio capucinus munus vicarii generalis sui instituti absolvit, animarum salutem sitiens ad totius Germaniae provincias quae tunc temporis haereticorum erroribus maculatae erant, se voluit conferre. Hinc pontifex ipsum ad eas partes abeuntem apostolica communivit facultate ubique verbum Dei disseminandi.

Digitized by Google

PAULUS PAPA V.

Dilecto filio Laurentio a Brundusio fratri ordinis capucinorum salutem et apostolicam benedictionem.

Ex reg. secr. brev. in libro diversorum in mense Maio pag. 248.

Religionis zelus sacrarum literarum scientia aliaque religiosae virtutis quibus personam tuam insignitam esse, fide dignorum testimonio accepimus, nos inducunt ut te specialibus favoribus et gratiis libenter prosequamur. Cum itaque tu ad Germaniae partes, tuorum superiorum iussu te conferre intendas, nos sperantes ex tua praedicatione fructus aliquos ad Dei laudem et catholicae fidei propagationem proventuros, tibi, ut de tuorum superiorum licentia, in quibuscumque Germaniae partibus verbum Dei praedicare libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem impertimur. Mandantes in virtute sanctae obedientiae quibuscunque locorum ordinariis et ecclesiarum quarumcumque praepositis et superioribus, ut permittant te in eorum ecclesiis et locis verbum Dei praedicare, et ad hunc effectum te benigni favoris gratia prosequantur, nullumque tibi desuper impedimentum inferre patiantur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XII. *Maii.*

XXVI. Eidem summus pontifex speciales gratias concedit pro christifidelibus in Hungaria contra turcas militaotibus.

PAULUS PAPA V.

Dilecto filio Laurentio a Brundusio fratri ordinis capucinorum salutem et apostolicam benedictionem.

Ex eodem regest in mense Maio pag. 493.

Cum tu ad exercitum charissimi in Christo filii nostri Rodulphi Romanorum regis illustris in imperatorem electi, in Hungaria contra turcas militantem, ut ibi spiritualia exercitia ad christifidelium in dicto exercitu militantium spiritualem consolationem et animarum salutem facias, de tuorum superiorum licentia, iussu nostro propediem accessurus sis, nos te infrascriptis spiritualibus gratiis prosequendum duximus. Propterea tibi, ut quorumcumque christifidelium in dicto exercitu militantium confessiones audire, eosque ab omnibus peccatis et censuris ecclesiasticis in quibuscumque casibus, etiam nobis et apostolicae sedi quomodolibet reservatis, etiam in literis die coenae Domini legi solitis contentis, in foro conscientiae tantum, iniuncta illis salutari poenitentia absolvere, necnon eorum vota quaecumque (castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, ac illis ss. eucharistiae et extremae unctionis sacramenta ministrare, necnon missas super altare portatile in loco clauso et a ventis tuto in terra cum debitis honore et reverentia celebrare: praeterea ut aegrotantibus eiusdem exercitus plenius satisfacere valeas, ut tu, si opus fuerit, pro ipsorum aegrotantium necessitatibus in exercitu aut alibi eleemosynas petere, quae tamen penes syndicum aut procuratorem aliquem abs te eligendum, conserventur et in infirmorum necessitatibus expendantur; itaque tu huiusmodi eleemosynas nec recipias

Digitized by Google

nec administres, nisi quatenus tua regula permittit. Insuper quod tu quandocumque ventum fuerit ad arma contra infideles, fidelibus et pugnantibus dicti exercitus, nomine nostro benedictionem impendere valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus. Praeterea omnibus et singulis fidelibus de dicto exercitu, iis quidem qui gratis militaverint pro prima vice, qua contriti et confessi sacram eucharistiam devote sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concedimus; stipendiatis vero militibus, contritis et confessis, sacram communionem devote sumentibus, prima vice decem annos et totidem quadragenas; omnibus vero tam stipendiatis, quam non stipendiatis caeterisque vicibus, quibus contriti et confessi communicaverint, quinque annos et totidem quadragenas qualibet vice. Item omnibus qui missae sermonibusve aut concionibus tuis, aut horis matutinis et vespertinis habendis devote interfuerint, toties quinquaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma ecclesiae consueta relaxamus. In mortis vero articulo constitutis atque in praedicta expeditione vel pugna seu praeliis morientibus, contritis tamen, plenariam quoque omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem quam tu a nobis concessam esse pronuntiare poteris, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, concedimus et impartimur. Ne autem tu, dum aliis prodesse studes, animae tuae detrimentum patiaris, tibi, ut propriam regulam observes, mandamus, tibique donec in dicto exercitu praemissis pietatis officiis fungendo manseris, ut ex defectu lenitatis, dummodo in alicuius mortem non opereris, nullam irregularitatis notam incurras, auctoritate et tenore praesentis concedimus et indulgemus.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XXVIII. Maii.

XXVII. Iis soffultus favoribus, in Germaniam, Bohemiam ac Pannoniam *De Pise tom. 3 pag. 314.* advenit, ubi disputationibus ac concionibus christiana dogmata ardenti zelo vulgabat. Cum autem multos haereticos ad ecclesiae sinum adduceret, ita in gravem aliquorum offensam incurrit, ut plerumque male exceptus, pugnis et calcibus dire ab ipsis impeteretur. At Laurentius iniurias sibi illatas constanti animo perferebat, martyrii desiderio cupidus. Ut Bavariae duci haec innotuerunt, mox parari iussit militum copias, quae eius vitam ab hostium insultibus tuerentur. At Laurentius ducem enixe rogavit, ut dimissa militum cohorte, ipsum solum incedere pateretur; dixit enim ei: *non est, serenissime princeps, non est armis propaganda illa fides, quam inermis apostolorum coetus toto terrarum orbe propagavit. Praecipua armorum genera, quibus orthodoxae fidei dogmata tum defendere tum ampliare catholicis convenit, doctorum sunt mores innoxii, illibata vita et praeclara patientiae exempla inter angustias et pressuras infidelium aspectibus exhibita. Apostoli proprio sanguine effuso, fidem per plures orbis provincias ac vastissimas regiones, quam prodigiis ad stuporem antea patratis effudere. Pemitte igitur, optime princeps, ut et ego similiter apostolico more apostolicam fidem in tuorum subditorum cordibus, quibus haeresis lutherana illudit serere valeam; namque armorum fragor et fides sincera non bene conveniunt. Ipsa suis armis secura satis est, mori nescia, sed parata neci fortiter occurrere.* At

Digitized by Google

votis suis haud cessit princeps; quinimo de vita Laurentii tuenda magis magisque solicitus, armatorum catervam eidem iterum destinari mandavit.

XXVIII. Bavariae loca discurrens, eximium animi sui zelum ostendebat in fide catholica propaganda. Tanta enim evidentia dogmatum veritatem demonstrabat, ut homines quos curiositas prius ad eum audiendum induxerat, mox pietas ad detestandos errores vel ad componendos mores compelleret. Quae autem e rostris dicebat, privatis etiam colloquiis ita firmabat, ut detersa errorum caligine, verae fidei luminis illos participes redderet.

XXIX. Miro tamen exarsit fidei zelo Pragae et Bohemiae, ubi eo tempore ad generalia imperii comitia electores convenerant. Saxoniae dynasta secum duxerat Polycarpum ministrum haereticum inter suos maxime celebrem, qui e suggesto in catholicos debacchans, depravatos fidelium ac ecclesiasticorum mores acriter insimulabat. Primo solos haeresis sectatores habuit auditores; at postea furtive eis sese plures catholici et immiscuere, qui eius blasphemas voces audire non erubescebant. Vulgata re putavit Laurentius ad se pertinere cum ministro congressum. Hinc divini honoris et catholicae fidei zelo succensus, falsa Polycarpi dogmata se velle refellere omnibus notum fecit. Non defuerunt optimates catholici Laurentium dissuadentes, ne in arenam ascenderet cum Polycarpo, alias in Saxoniae ducis indignationem incurreret. Arguit diffidentes vir Dei, et in consessu imperii procerum parato in ecclesia sui ordinis, die praestituta comparuit. Aderat et ipse Polycarpus, qui cùm eius doctrinam ac eloquentiam demiratus esset, et argumenta contra eius falsa dogmata audisset, congredi timens, fuga sibi consuluit et cedendo loco, fama similiter quae de ipsius ingenio prius invaluerat, excidit.

XXX. Rodulphi II. imperatoris hortatu, inter plures Germaniae principes Laurentius foedus inivit contra turcas, qui in varias Hungariae partes effusi, agros populabantur, arces fortissimas oppugnabant, ac orbi christiano indubiam cladem, nisi eorum impetus reprimerentur, protendebat. Omnium christianorum legionum praefectus constitutus fuit Mathias archidux Austriae, qui a Laurentii consiliis directus, insignem de inimicorum phalangibus cumulatissimam palmam reportavit. Aderat inter milites christianos et ipse Laurentius, cum turcae ex interiecto colle tormentis bellicis grave catholicis damnum inferre poterant. Disparitas collis turcis valde propitia, milites christianos iam pene consternatos, aptiores ad fugam quam ad certamen fortiter auspicandum reddebat. In tot angustiis constituti, Laurentium consuluere, qui, exhortatione ad duces ad fortiter dimicandum habita, inter caetera dixit: *ego hoc crucis vexillo praetenso castra praecedam, et Christi fretus auxilio hostium cuneos penetrabo securus, viamque victoriae sternam, quam certam vobis praenuntio. Eia igitur excedat ille pavor qui in animas vestras irrepsit: procedite, fortiter agite, pugnate, vincite, triumphate.* Hinc ob podagrae morbum equo impositus, cruce exercitum benedixit, ac inde cunctis eum cruce praecedens, ad certaminis locum accessit, ubi contra bellica turcarum tormenta extensa cruce, ea inutilia adversus christianos reddidit; secus vero illa foederatorum fuere; nam in hostium castra immissa, multorum cladem inferebant. Quare turcae perterriti, campum christianis cessere.

XXXI. Dum haec pro Dei gloria in Germania et Hungaria praestabat Laurentius, praedicatione item sua multos devios in bonam frugem reducebat Iosephus a Leonissa item capucinus in Italia. « Porro cum tantis laboribus pro fidelium utilitate susceptis congruum foret, ut fructus amplissimus respon-

Ex monumentis s. r. congregationis apud Benedictum XIV. tom. 7. pag. 82.

deret, mirum esse non debet, quod Iosepho in via Domini strenue adeo laborante, plantante, rigante, Deus maximum dederit incrementum. Certum enim est, quod homines flagitiosissimi ad sanam frugem revocati fructus poenitentiae dignissimos ediderunt; quod mulieres libidinis coeno sepultae a peccandi consuetudine feliciter emerserunt; quod et privatae personae et familiae complures, et integri pene populi cum odiis acerbissimis inter se multo tempore dimicassent, iis extinctis in gratiam fide optima redierunt; quod blasphemiis ad infernum detrusis omnium ora Dei laudibus reserarunt; quod templa in pluribus locis aut reparata aut sacra supellectili decenter ornata, aut a fundamentis extructa sunt; quod aleae vitium eliminatum: quod repressa chorearum licentia; quod baccbanaliorum consuetudines extirpatae ».

XXXII. « Interea cum tot tantasque quotidianas clades acciperet infensissimus humani generis hostis, et tanta ipsi inferretur, aut Iosepho auctore, pernicies, incredibile dictu est, quanta in eum indignatione excandesceret, quantas ipsi moliretur insidias, quantas contra illum excitaret tempestates. Quoniam vero diu collectam rabiem ipse per se in Iosephum effundere prohibebatur, effecit ut hoc ipsum per improbos quosdam homines ministros suos, quorum vitia moresque corruptos apostolica libertate reprehendebat, abundantissimo consequeretur. Itaque cum innumeris fuisset ab iis lacessitus iniuriis, maximisque contumeliis affectus, eo tandem furoris insaniaeque diventum est, ut in publico omnium conspectu medioque oppidi foro barba ipsi per summam iniuriam avelleretur, verberibus et colaphis immanissime caederetur, et parum abfuerit quin a scelestissimo quodam, arrepto utraque manu caputio, eoque collo arcte perstricto elisisque faucibus praefocaretur. Quae tamen omnia tam aequabili invictoque animo vir vere christianus toleravit, ut charitatis, patientiae, humilitatis exemplar evaserit admirandum. Gaudio siquidem in tribulatione pro Christo superabundans, cum malediceretur, benedicebat, eum persecutionem pateretur, sustinebat, cum blasphemaretur, obsecrabat; et Christi Iesu mortificationem in corpore suo circumferens, eiusque consilium peragens, percutienti maxillam, alteram protinus offerebat ».

XXXIII. « Neque vero constanti adeo voluntate aeternam tantum animarum salutem Iosephus operabatur, sed dici vix potest, quantam susceperit etiam corporum curam, quantoque amore inopes homines complecteretur. Hinc non solum eos cibos qui sibi contingebant, maiori ex parte cum pauperibus communicabat, et omnes communis mensae reliquias diligentissime colligebat egenis impertiendas, sed non exiguam insuper horti aream, de superiorum licentia, suis ipse manibus colens, quidquid inde aut fructuum accipiebat aut olerum, id omne amantissime pauperibus elargiebatur. Guardianus porro eum fuit, et si nunquam domo diverteret, quin secum deferret aliquid, quo obvios in via pauperes solaretur; quandoque tamen cum nihil sibi praeterea reliquum foret, eo usque voluit esse misericors, ut suis ipse vestibus trementes ex frigore pauperes operiret. Si vero quandoque apostolico muneri incumbens in aliquo extra conventum hospitio degeret (quod saepissime contingebat), tum in illud pauperes turmatim compellere, ibi eos a capitis vestiumque sordibus purgare, pedes eorum tergere, plagas curare et osculari gaudebat; tum lautioribus quibus poterat, esculentis reficere, somnoque opportuno in praeparatis lectulis recreare. Quin etiam in ipsas se insinuans secretissimorum carcerum obscuritates, confectos ibi squallore ac fame homines, omni quocumque modo poterat relevare satagebat; si quem vero eorum vel innocentem deprehenderet, vel morti de-

stinatum intelligeret, illius causam apud iudicem agere; hunc vero omni quo posset, officii genere apud Deum iuvare et consolari studebat. Cum autem vehementissime optaret, ut, qua ipse aestuabat, singularis charitas in omnium animos diffunderetur et ad futuras etiam aetates transmitteretur, a ditioribus quibuscumque qua precibus, qua monitis, qua minis, qua pollicitationibus impetravit, ut suam in sublevandis pauperibus operam collocarent. Quo factum est, ut, ex eleemosynis collata pecunia, plura in diversis oppidis vel instauraverit vel excitaverit pauperum et peregrinantium hospitia, et certos perpetuosque Pietatis, ut vocant, Montes solertissime stabiliverit, quorum fructus in egenorum beneficium erogarentur ».

Conv. Ubedae. *De Torres pag. 156.* XXXIV. Parantur aedes pro fratribus minoritis de observantia. Franciscus Ramirez provinciae Granatensis minister immisit fratres in coenobium s. Antonii Patavini ad unum milliare ab urbe Ubedae dioecesis Giennensis, instructum in fundo eis oblato a d. Martino de Gila vicario collegiatae ecclesiae Ubedae, opibus subinde auctum d. Ignatii Bernuy loci marchionis. Aedem primo excitaverant et incoluerant duo sacerdotes saeculares de Gadea Franciscus et Balthassar. In provincia Cantabriae eis accessit coenobium sub invocatione Conv. s. Sebastiani. *Monum. prov.* nominis Iesu in civitate s. Sebastiani ad oram maris oceani, quod suis impensis aedificavit pro XXIX. fratribus continendis eques Ioannes Amezqueta incola civitatis. Multa etiam ad totius operis molitionem contulerunt alii christifideles.

XXXV. Petrus Tylicki episcopus Culmensis confectis actis contra haereticos *Monum. prov. Ann. min. ad ann. 1603. n. 13.* Augustanae, Helveticae et Bohemicae confessionis, et ad curiam regiam delatis, Sigismundus III. Poloniae rex iussit, ut quae per dioecesim Thorunensem catholicorum ecclesiae ab haereticis erant occupatae, restituerentur. Il licet inviti, cesserunt tamen regio mandato. Tunc laudatus episcopus in parochialem aedem s. Ioannis urbis Thorunensis immisit societatis Iesu presbyteros, ut ibidem collegium pro instituendis iuvenibus fundarent. At id aegre ferentes consules civitatis, eos hoc anno a collegio amoverunt; anno tamen insequenti denuo aedem occuparunt. Gabriel Czerniciensis administer provinciae Poloniae destinavit Thorunium Bonaventuram Posnaniensem, et Antonium Prakl, ut agerent apud magistratum acatholicum pro recuperando eorumdem coenobio sub invo- *Annal. min. ad ann. 1578. n. 74.* catione s. Mariae posito in dioecesi Culmensi; at frustra. Idem tamen Bonaventura supplicem literam ad episcopum Culmensem dedit hisce verbis instructam.

Illustrissime et reverendissime domine domine patrone clementissime.

Ex speciali r. p. ministri provincialis mandato et commissione venimus Thorunium XXIV. Ianuarii anni currentis, ut rem nostram respectu recuperandi conventus nostri promoveremus. Videmus ergo maximam difficultatem nostrae causae obstantem, eo quod rr. pp. societatis sint in controversia cum civibus, tum quod fortassis serenissimus rex noster sit extra regnum profecturus. Et adiecta catholicorum in rebus eiusmodi tepiditate ac remissione, nos quoque pedem, si non retrahere, saltem sistere iubemur in hoc statu. Unicum est solatio nostro, sancto in promovendo Dei nostri cultu, vestrae illustrissimae celsitudinis pietas, et prompta in ordinem nostrum voluntas, ut dum statum rerum nostrarum Thorunensium perspexerit, nobis pro sua in nos benevolentia et amore

non desit; quod quidem p. guardiano Lubaviensi commisimus nomine r. p. provincialis nostri tractandum cum sua illustrissima celsitudine. Sufficit enim nobis pro conscientio in hac causa promovenda non defuisse nec defecturos esse. Deus optimus maximus suae sanctae ecclesiae et reipublicae optime meritum, suam illustrissimam celsitudinem, uti nostrum patronum pientissimum servet et tueatur. Hoc precamur etc.

Datum Thorunii XVII. Ianuarii MDCVI.

Tandem anno MDCCXXVII. restitutus, incolas admisit ex provincia Maioris Poloniae.

XXXVI. Hoc tempore iidem fratres incolebant coenobium sub invocatione s. Ioannis Baptistae extra moenia urbis Cremsiriensis in Moravia. Eius initium ignoratur. Cum autem fratribus non esset satis uecommodum, Franciscus a Dietrichstein cardinalis ac episcopus Olomucensis alium pro eis anno MDCXX. paravit locum apud sacellum ss. Trinitatis. Hoc autem sacellum novis aedificiis ampliovit. Conv. Cremsiriensis *Greiderer tom. 1. p. 819. n. 99.*

XXXVII. In provincia Pedemontona extitit et pro eis coenobium s. Mariae Lavezzolarum prope oppidum s. Damiani Asteusis dioecesis, in colle, cui, *Lavezola*, nomen est inditum Deiparae virginis aediculae vetustate et venerantium frequentia celebris. Coenobii structuram pro quinque fratribus continendis curarunt Ludovicus de Lao concionator, ac Angelus Maria ab Entraquis loci guardianus. Conv. s. Damiani. *Britius pag. 144.*

XXXVIII. Fratres provinciae s. Bernardini, mandato s. c. episcoporum et regularium sub die VI. Augusti, redierunt in conventum s. Mariae Pietatis prope oppidum Ripae dioecesis Teaten. Anno MDXXX. erectus fuerat pro fratribus de observantia; ab eis postea dimissum occupaverant fratres praedicatores. Conv. Ripae Teaten. *Monum. prov.*

XXXIX. Ratam habet summus pontifex: *Exigit pietas* die XI. Septembris cessionem domus factam eisdem fratribus a sodalibus ss. Annuntiationis oppidi Lattarici Bisinian. dioecesis in provincia Calabriae pro construendo eo loci coenobium. Communibus incolarum sumptibus perfectionem accepit sub invocatione s. Francisci. Scribit Pirrus hoc tempore aedificatum fuisse pro observantibus provinciae Siciliae coenobium in oppido Rafadalis Agrigentinae dioecesis, studio fr. Gerardi ab Agrigento. At coenobium hoc desideratur in albo provinciae Siciliae. Conv. Lattarici. *Pirrus in notit. eccl. Agrigent. pag. 721.*

XL. Henricus IV. Galliarum rex ex cleri gallicani consulto hoc anno Parisiis coacto mandavit, ut fratribus recollectis coenobia observantium concederentur etiam ab archiepiscopis et episcopis, licet iisdem observantibus invitis. *De Gubernatis tom. 8. pag. 410. et seq.*

HENRICUS DEI GRATIA REX GALLIAE ET NAVARRAE.

Primo nostri apparitori vel cursori ad hoc vocato mandamus et tibi per praesentes iniungimus, ut significes provincialibus observantiae arrestum consilii nostri hic annexi sub contra sigillo cancellarioe nostrae hac die datum, ad supplicationem in ipso praesentatam a religiosis strictioris observantiae s. Francisci nuncupatis recollectis, ut assignent dictis religiosis recollectis in suis provinciis tot conventus quot indigebant optos, et ipsorum reformationi convenientes toties quoties requireretur ab ipsis; et iis denegontibus declarare, quod archiepiscopi et episcopi assignabunt

dictos conventus in suis provinciis et dioecesibus in locis opportunioribus secundum formam et tenorem bullarum ss. pontificum Clementis VII. Gregorii XIII. et Clementis VIII. Quibus archiepiscopis, episcopis et aliis mandamus tibi dictum arrestum significare, ut non possint ignorare, et facias actus, significationes et expeditiones necessarias pro executione dicti arresti; et ad hoc faciendum concedimus tibi plenam auctoritatem et potestatem absque obligatione petendi aliam permissionem; nisi (sic) *pareatis; et quia dictus arrestus et praesentes literae in multis aliis locis possunt esse necessariae, volumus ad vidimus* (sic) *dictarum debite collationatarum ab uno ex nostris amatis et fidelibus consiliariis, notariis et secretariis eadem fides adhibeatur ac praesenti originali; nam sic volumus.*

Datum Parisiis XXVII. Iunii anno Domini MDCVI.

Conv. Meloduni. *Monum. prov.*
Conv. Bolenae. *Monum. prov.*

XLI. Eisdem fratribus obvenit coenobium immaculatae Conceptionis, positum extra moenia civitatis Melodunensis. Pro eisdem fratribus custodiae s. Bernardini erectum fuit alterum coenobium sub invocatione s. Crucis intra urbem Bolenae in comitatu Avenionensi. Ad operis molitionem fundumque consequendum cuncta tulit nobilis vir d. Antonius Du Pon. Bibliothecam interim suis impensis instruxit librisque ditavit, et in supremis tabulis quinquaginta aureos ad alios comparandos legavit. Ibidem degunt XV. fratres.

Martinez lib. 1. pag. 102.

XLII. Fratres discalceati provinciae s. Gregorii Insularum Philippinarum cesserunt sodalibus discalceatis s. Augustini coenobium de Nayon, erectum in regione de Calilaya. Opibus Francisci Gomez de Arellano archidiaconi metropolitanae ecclesiae Maniliae instauratum fuit coenobium fratrum discalceatorum de Dilao, solo aequatum incursione Sinensium.

Conv. Matriti. *Monum. prov.*

XLIII. Vix Vallisoleto Matritum accessit pientissimus Philippus III. Hispaniarum rex, haud quievit de construendo pro fratribus discalceatis s. Iosephi provinciae altero coenobio iuxta aulam suam eo modo quo egerat Vallisoleti. Hinc dux Lermensis catholici regis nomine sequentem literam dedit ad ministrum generalem ordinis Vallisoleti degentem, ut discalceatos fratres immitteret in parochialem aedem s. Aegidii.

Reverendissime Pater.

Catholici nostri regis maiestas adeo vicinitate fratrum discalceatorum qua in conventu s. Didaci Vallisoletano fruebatur, venit allectus, ut alium in ecclesia parochiali s. Aegidii regiae domus proxima fratribus huius s. Iosephi provinciae aedificare velit. Quod sane mihi manifestare v. p. reverendissimae praecepit ad id, quod regio suo nomine ab ipsa postulanda esset licentia, et ut simul insinuarem, quod v. p. reverendissima fratribus discalceatis praeceptum iniungat domum ecclesiae contiguam statim adeundi ipsam habitaturis, interim ac conventus fabrica mox aedificanda perficitur. Nec dubiam possim v. p. reverendissimae fidem dare, etiamsi fatear (cum sim huius sanctae religionis filius) me non parum in hac conventus erectione interesse habere. Nostrum tamen catholicum regem ita huiusmodi fabrica incipienda delectari, ut cum v. p. reverendissimam iam huc venientem ipsi significarem, nihilominus mihi de mittendo cursore praeceptum imposuit pro obtinenda ex parte regis fa-

Digitized by Google

cultate. Itaque per ipsum cursorem v. p. reverendissima mittere iuverit, quo quidem magnum noverit obsequium regiae maiestati praestare. Ceterum v. p. reverendissima pro voto felicitet Deus.

Datum Matriti VII. *Martii* MDCVI.

Sit vero in corde v. p. reverendissimae, quod s. Bernardini conventus, prout existit, semper existat.

V. p. reverendissimae devotus semper filius
dux Lermensis.

XLIV. Literam acceptam cum altera suo nomine inscriptam idem generalis misit ad Antonium de Abula s. Iosephi provinciae praesidem, qua mandabat, ut regis votum quantocius expleret.

Reverende Pater.

Nostris his literis aliam excellentissimi d. Lermensis ducis inclusam paternitati vestrae remittimus, qua quidem non poterit semel regis nostri latere praeceptum de nostri conventus prope regale palatium fundatione, absque ulla s. Bernardini conventus alteratione vel innovatione aliqua, sed existat omnino sicut in praesentiarum existit. Quodcumque etiam de regiae maiestatis voluntate interea sibi constiterit circa habitationem fratrum in quadam ecclesia s. Aegidii contigua domo, qua super re literae per cursorem ad nos sunt modo missae, ut per ipsum cursorem licentiam et facultatem, quae ad id operandum necessaria et expediens fuerit, continuo et sine retardatione mittamus. Quapropter per praesentes ad cuncta praedicta omnem nostram auctoritatem paternitati vestrae concedimus, ut ipsa suffultus, quidquid catholici regis nostri maiestas praeceperit, operetur et promptitudine possibili exequatur; solicitus tamen in aptandis domi fratribus bonae et probatae vitae se gerat consonoque rationi iudicio ex definitoribus unum conventus praesidentem fieri usque dum guardianus institui contingat; quod totum fidenter mittimus prudentiae p. v. quam Deus etc.

Datum Vallisoleti die VIII. *Martii* MDCVI.

F. Franciscus de Sousa minister generalis.

XLV. Minoritae de observantia cesserunt hoc anno in provincia Tusciae patribus reformatis conventum s. Petri prope oppidum Scanziani; in provincia Bononiae conventum s. Crucis prope oppidum Villaeverculi dioecesis Bononiensis, et conventum s. Mariae prope oppidum Castri Arquati dioecesis Placentinae; in provincia s. Bernardini conventum s. Francisci prope oppidum Capistrani nullius dioecesis. In provincia Marchiae obvenit eis coenobium prope oppidum Montisnovi Senogalliensis dioecesis, erectum in rurali ecclesia s. Cecis piorum incolarum impensis. Coenobii erectionem adprobavit summus pontifex: *In supereminenti* XV. calendas Iulii. Idem etiam pontifex ratam habet cessionem aedis eisdem factam in terra de Bastia in Insula Corsicae pro continendis totius custodiae infirmis: *Decet* die II. Maii. Fratres claustrales de tertio ordine recipiunt in provincia Calabriae conventum s. Mariae Angelorum Cosentiae. Monum. prov. Conv. Montisnovi. Conv. Cosentiae. Bordonus pag. 405.

XLVI. Capucini fratres incoluere coenobium Biturgi, *Borgo s. Sepolcro*, in provincia s. Francisci; in provincia Lombardiae conventum Castellio-Stive- Ex Michaele a Tugio

rorum dioecesis Brixien. et conventum Goiti dioecesis Mantuae; in provincia Brixiensi conventum Caravagii, Ripaltae dioecesis Cremonensis et conventum Edulii dioecesis Brixiensis; in provincia Genuae conventum Plebis Teuci, *Pieve*, dioecesis Albinganensis; in provincia Pedemontana conventum Cariniani nullius dioecesis in Civitate Ducali et Iporediae; in custodia Tridentina conventum Alae dioecesis Tridentinae; in provincia Cosentiae conventum Belimontis dioecesis Tropeiensis et conventum Murani dioecesis Cassanensis; in provincia s. Angeli Apuliae conventum s. Severi; in provincia Barensi conventum Vigiliae; in provincia Syracusana conventum Augustae dioecesis Syracusanae; in provincia Helvetica conventum Surlaci dioecesis Constantiensis; in provincia Bavarica conventum Rosenhemii dioecesis Frisingensis; in provincia Bohemiae conventum Brunae dioecesis Olomucensis; in provincia Viennensi conventum Lincii; in provincia Styriae conventum Muraeponti dioecesis Salisburgensis et conventum Labaci; in provincia Parisiensi conventum Antisiodori et conventum Meloduni dioecesis Senonensis; in provincia Turoniae conventum Vindonici dioecesis Blesensis; in provincia Britanniae conventum Meduani dioecesis Cenomanensis; in provincia s. Bonaventurae conventum Augustoduni et conventum Therni dioecesis Claramontensis; in provincia s. Ludovici conventum Civitatis-Oppidum et conventum Regi dioecesis Massiliensis; in provincia Campaniae conventum Caroloputi dioecesis Remensis; in provincia Catalauniae conventum Cervariae; in provincia Navarrae conventum Pampelonis.

Monast. Angrense.

XLVII. Indulget summus pontifex: *Expositum* die v. Augusti, ut Petrus Machado incola urbis Angrensis sumptibus suis erigat in eadem civitate monasterium clarissarum, Conceptionis titulo. Item adprobat fundationem monasterii conceptionistarum discalceatarum sub invocatione s. Iosephi in Civitate Regum, sive Limae in Peruviano regno: *Ex iniuncto* die xiv. Ianuarii. Committit episcopo Aesino translationem clarissarum e monasterio s. Bernardi, dicto *Terra Vecchia*, ad aliud nuper erectum in principe urbis via: *Sanctimonialium* die xxix. Maii. Scribit Baldassini in sua historia hanc translationem peractam fuisse anno mdcix. Prorogat tempus triennii pro erigendo monasterio monialium s. Clarae Scyllacaen. ex bonis relictis a quondam Marcello Minuiti illius urbis incola: *Expositum* die xxix. Decembris. Singula haec subsunt ordinario loci. Mandat episcopo Nannneten. ut moniales clarissae suae civitatis subsint fratribus recollectis: *Ut spirituali* die iii. Iulii.

Monast. Civitatis Regum.
Monast. Aesii.
Baldassini storia di Iesi pag. 376.
Monast. Scyllacaei.

Ex summario pro eius canonizatione pag. 53

XLVIII. Cum pro muneris sui ratione beatus Iulianus a s. Augustino laicus minorita de observantia stipem quaereret in oppido de Torres, gravi morbo correptus ad coenobium s. Didaci Complnti remeare voluit, ibidem mortalitatis sarcinam depositurus; ab anno enim mdci. obitus sui tempus praedixerat. Licet coenobium a Compluto sex milliaria distaret, et ipse Beatus viribus prae assidua corporis maceratione pene destitutus, noluit tamen equum paratum ascendere, sed pedester, aliquorum piorum adiutorio usus, iter peragere voluit. In coenobii valetudinarium adductus, obedientiae praecepto in lectulo in quo totius vitae suae cursu nunquam quieverat, non exiguo animi moerore se posuit. Item ei iussit coenobii praeses, ut celatam qua erat revinctus gravis ponderis catenam auferret; quod et illico praestitit, eam sub stramine obducens.

XLIX. Aegritudinis incommoda morbique dolores non solum aequo animo, sed et summa alacritate hilarique vultu tulit, praebendo insuper adstantibus

salutaria monita. Ne vero in minimo ab observantia sui instituti deficeret, renuntiationem rerum sibi spectantium egit, quae nihil aliud erant, nisi asperrima cilicia. Unde dixit guardiano se reliquisse in oppido de Torreson quamdam catenae partem et quemdam baculum in oppido de Santorcaz. Insuper ab eomet guardiano habitum omnium despectum ac detritum, et sepulturam in qua humaretur, postulavit.

L. Ingravescente morbo postrema ecclesiae sacramenta eximia animi devotione suscepit. Sacro namque, ut petierat, habitu indutus, praemissaque conscientiae expiatione, supra lectum genibus submissis divino Christi corpore refectus fuit, eo tamen animi sensu, ut adstantes in lacrymas excitaret. Non multo post extrema unctione munitus, defixis in coronam precatoriam quam manibus tenebat, oculis, sereno vultu animam Deo reddidit sabbato die viii. Aprilis anno mdcvi. Delato ad ecclesiam viri Dei corpore suavem odorem spirante, ingens populorum concursus ad eius funus accessit prae eximia suae sanctitatis fama, qua ab adolescentia cumulatus fuerat.

LI. Tenella enim adhuc aetate sua singulari redolebat modestia miraque corporis compositione, ac neglectis puerilibus ludis, praesto erat in visitandis ecclesiis, in mundandis altaribus, in deserviendis sacerdotibus sacrum peragentibus. His iactis sincerae pietatis fundamentis divinoque lumine illustratus ardenter concupivit inter minoritas de observantia connumerari. Hinc sarcinatoris usu relicto, habitum postulavit et obtinuit in recessu b. Mariae de la Salceda provinciae Castellae. Verum tantis mox insuetis se dedit corporis macerationibus, ut religioso habitu exutus, ceu demens e coenobio fuerit alienatus. Moerens ac dolens in oppidum de Santorcaz in dioecesi Toletana se contulit, ubi magno animarum lucro tunc temporis verbum Dei annuntiabat Franciscus de Torres, vir eximius inter minoritas de observantia. Iuvenis indolem, modestiam ac pietatem idem Franciscus demiratus, ad eum in apostolico ministerio sequendum invitavit. Nulla interposita mora, laetus in comitem se illi dedit, tintinnabulum parvum pulsando pro congregandis fidelibus ad audiendum Dei verbum.

Ibid. pag 2. Ann. min. ad ann. 1575. n. 137. ad ann. 1585. n. 100.

LII. Cuncta quae ei evenerant aperuit eidem Francisco Iulianus. Quare Franciscus ad praesidem laudati coenobii s. Mariae de la Salceda se conferens ita egit, ut inter tyrones franciscanos idem Iulianus iterum cooptaretur. Vix ordini iterum adscriptus, vitam austeriorem quam antea arripuit, unde velut amens, denoo ab instituto expellitur. Tunc ab ipso composito prope coenobii montem tuguriolo, ibi orationi, corporis afflictationibus assidue vacabat, missis inserviebat et per contermina loca discurrens, petebat pro fratribus eleemosynam eamque ad eos deferebat. Ipse vero semel in die ad coenobii fores accedens, panis frustulum cum pauperibus sumebat. At inspecta eius vitae sanctitate ab Antonio de Aquilar illius provinciae commissario, denuo inter tyrones admissus, tandem solemnia vota Deo nuncupavit.

LIII. Ut cognovit se Deo per solemnia vota intimius coniunctum, illico id vitae genus prosequutus est, ut in omnibus promissis se fideliter gereret. Ac in primis sedulus fuit in regula ac constitutionibus sui instituti servandis non solum circa ea quae respiciunt mandata, verum consilia ac monita tantaque vero perfectione, ut cunctis sodalibus, licet grandaevis, exemplar foret ac magister. *Ex Summario n. 60.*

LIV. Angelica prorsus animi puritate refulgens, immaculatum semper se custodivit ab hoc saeculo. Cuncta eius verba ac opera castitatem eximiam re- *Ibidem num. 31.*

dolebant; aliis pia consilia ad eam custodiendam dabat, et libidinis vitio inquinatos suis adhortationibus ad meliorem frugem adducebat. Plures etiam mulieres a turpi quaestu, poenarum infernalium metu avocasse tradunt. Choreas item ducentes, velut impuritatis seminarium, ardenti zelo redarguebat, et iniurias ei illatas aequo animo tolerabat.

a Ibidem num. 69. LV. Altissimae paupertatis fuit eximius cultor. Nunquam cellam ac stratum habuit. Brevi sopori flexis genibus se dabat vel in choro, vel in ecclesia vel penes confessionaria. Eius tunica consarcinata caeterisque abiectior erat. Dives tantum erat catenis ac ciliciis; corona precatoria ferrea corpus dire caedebat; crucem item ferream ad pectus semper gestabat. Ad instar autem crucis alteram e collo pendentem, unaque cum annulis ferreis ponderis decem et octo librarum habuit ad nudam carnem vigintiquatuor annorum spatio.

Ibidem num. 58. LVI. Heroico etiam in gradu explevit obedientiae votum. Cuncta namque suorum mandata celeri mirabilique alacritate prosequebatur. Si aliquando ad petendem eleemosynam temporis spatio sibi assignato redeundi ad coenobium mittebatur, ne praeceptum violaret, temporibus licet adversis imbrium, nivium ac ingentium calorum, hora tamen statuta ad coenobium remeabat. Non semel coenobium repetiit ieiunus. Illis autem qui ad manducandum eo tempore eum invitabant, dicebat. *sat ne supererit mihi temporis ad perveniendum hinc ad conventum meum infra noctem, postquam manducavero?* Et ieiunus abibat. Interrogatus quadam die a quibusdam religiosis, cur semper prompto animo extra coenobium iret, eis respondebat: *vos nescitis, quod quamvis existo foras, sum velut passer, quem puerulus habet alligatum; quod licet passer volet in diversas partes, si funiculus trahitur, statim revertitur in manum: ego enim sic sum, quod licet extra domum eo, non absum, nisi quantum mihi ex obedientia est permissum; etsi mihi praecipitur, ut redeam domum, illico exequor.*

Ibidem n. 9 et seq. LVII. Eximiis interim virtutibus ornatus fuit. Eius fides quae inter theologicas virtutes principem tenet locum et sine qua impossibile est placere Deo, tanta erat, ut de rebus divinis semper loqueretur; et licet literarum expers, non semel difficillimas sacrae theologiae quaestiones mira facilitate explanabat. Assidue vero firmissimam fidem exterius manifestabat, edendo multiplices et diversos actus directe ad fidem pertinentes. Iter faciens hortabatur omnes ut veram et catholicam fidem servarent. Piis etiam rudimentis instruebat pueros quos obviabat, et inter eos sedens, munuscula eis largiebatur, ut eos benevolos sibi redderet. Maurorum salutem etiam cum vitae discrimine curabat. In oppido de Paralcada cum degeret, fidem catholicam docebat filios et filias Maurorum; at parentes indignati, multis percussionibus saturabant Beatum. Hinc eius socius timore mortis ab eis inferendae perculsus, dixit Beato: *pater discedamus, relinquamus eos ne nos interficiant.* Cui Iulianus: *quid ipse desidero, ut me interficiant in terra Maurorum ob praedicationem verbi Dei?* Altera vice haud timuit lapidibus obrui, ut ad catholicam fidem adduceret quemdam Maurum, qui post aliquot dies in morbum incidens, sacrum baptisma petiit et obtinuit, veniamque poposcit a Beato de iniuriis sibi ab eo illatis.

LVIII. Peculiarem fidem ostendit summa eius devotio quam a pueritia fovit erga ss. eucharistiae sacramentum, merito *mysterium fidei* vocatum. Iter namque faciens, quamvis interdum lassus aestuque aut frigore fatigatus, illico tamen nulla interposita mora nullaque fractis membris requie concessa, ad

ecclesiam advolabat, ibique quae in promptu erant, missis fervore pleno inserviebat; quinimo cum in vicina paga aliae quoque celebrandae missae non deessent, citius eo accurrebat sacerdotibus suam operam daturus. Saepe interim ob obsequium tanti ineffabilis sacramenti, eucharistico pane, multis praemissis precibus ac inde gratiarum actionibus se reficiebat.

LIX. In eo effulsit et spes heroica; siquidem eius solicitudo ac studium fuit totius vitae suae tempore singulos actus od Deum dirigere, ipsum desiderare, in eo confidere et quiescere. Insuper spe consequendi aeternam beatitatem et summa bono fruendi, multis asperitatibus voluntariis proprium corpus afflixit. Unde interrogatus quid faceret pro consequenda aeterna felicitate, respondit: *semper habeo indutu calcaria et habenas in manibus ad reprimendum vitia.* Postremo nihil solicitua erat de iis, quae proprium commodum respiciebant, sed iactabat omne cogitatum suum in Domino. Unde non semel Deus servo suo sociisque suis esurientibus extemplo viaticum paravit. Iis vero in aliqua egestate constitutis dicebat: *sperate in Dei misericordia, quoniam ipse consolabitur vos.* *Ibidem num. 13.*

LX. Floruit et virtute charitatis erga Deum. Dum sibi dabat occasio, mira eructabat de divinis perfectionibus, de fidei mysteriis ac de coelesti beatorum gloria, et in quibus dicendis aut meditandis saepe elevabatur. Ex ardenti zelo quem favebat de Dei honare ac gloria, totis viribus avertere studebat divinas offensas, et praesertim quae in publicis tripudiis et choreis patrari solent. Horrebat cuiusvis generis peccata. Hinc moderatorem suae conscientiae testimonio compertum est, ipsum ab omni lethali peccato, imo et levi saltem ex plena deliberatiane commisso immunem fuisse usque ad sui obitum. Ne vero a Dei amore avocaretur, asperrimis mortificationibus quoad vixit, carnis desideria afflixit ac cruciavit. At ardentissima eius charitas nimis patebat, dum eucharistico cibo se reficiebat; eo enim tempore dulcea ecstases patiebatur. Charitatis erga Deum ardorem augebat orationis nunquam intermissae studio cui se dabat die noctuque in ecclesia, publicis in viis et agris, licet urentibus radiis solaribus, hyemali saeviente frigore ac decedentibus aquis vel nive. *Ibidem num. 25.*

LXI. Praeter dicta de ardenti charitatis zelo quo aestuabat Beatus, ut devios ad rectum salutis tramitem perditasque mulieres od poenitentiam revocaret, ac infideles ipsos ad fidei veritatem adduceret, multa et alia exhibuit charitatis signa erga proximum. Nondum in ordinem ingressus, pauperem nndum proprio exutus habitu, induit; pro pauperibus eleemosynam petebat, et in coenobio degens, maiorem partem modici cibi pro suo alimento parati, pauperibus largiebatur. Cum autem aliquando eleemosyna pauperibus erogando non sufficeret, ex miraculosa multiplicatione abundavit; panis enim ponderis dimidiae librae datus a Beato Elisabethae Baptistae Fernandez ita auctus fuit, ut plane sufficeret sibi marito suo aliisque quatuor filiis familiae suae. *Ibidem num. 41.*

LXII. Prudentia duce, media quae ad ultimum aeternae vitae consequendae finem ordinata sunt, perfecte explevit Beatus. Quare in Dei timore de die in diem procedens, vias bonas selectas strenue et indefesse calcavit, novumque hominem cum actibus suis induit. Prudentiae dona a Deo ipsi collata ac virtutes sedulo ex humilitate occultabat. *Ibidem num. 48.*

LXIII. In virtute iustitiae cuius partes sunt a malo declinare et facere bonum, emicuit idem Beatus. Cum summum bonum ardenti amore prosequeretur, odio semper habuit quamlibet culpam etiam levem, et vitae innocentiam semper custodivit. In faciendo bonum sedulus, peculiari devotione ss. eucharistiae *Ibidem num. 55.*

Digitized by Google

sacramentum colebat, divinas, ecclesiasticas et seraphici parentis leges ac vota ab eo emissa solemnia fideliter custodivit. Ut autem Deo intimius adhaereret, precibus ac rerum divinarum meditationibus continuo vacabat.

Ibidem num. 58. LXIV. Ardua quaeque aggressus est et sustinuit Beatus toto suae vitae decursu, in quibus consistit fortitudinis virtus. Corpus namque semper habuit revinctum ferreis catenis, lecto unquam cubavit, altissimam paupertatem custodivit, flagellis carnem edomavit, pro catholicae fidei exaltatione opprobria et percussiones sustinuit, toleravitque invicta constantia animadversiones maiorum absque causa eidem illatas. Hyemali tempore ad magis comprimendam carnis petulantiam per glaciem ac nivem nudipes incedebat.

Ibidem num. 71. LXV. Temperans adeo fuit, ut fere se aluit semper modico pane et aqua, et si aliquando aliqua dape se reficeret, haec tamen exiguae erat vilissimaeque conditionis. Ob tam asperam macerationem ita eius corpus instar cadaveris evaserat, ut praeter pellem et ossa nihil habere videretur. Proprias laudes refugiebat, contemni ab omnibus intime gaudebat, omnium scelestissimum se praedicabat.

Ibidem num. 32. LXVI. Continua et nunquam intermissa eius oratio fuit, omnisque locus erat ei templum ad orandum. Saepe in oratione coelesti lumine perfundebatur ac a sensibus alienatus ita, ut licet ab aliis vocaretur aut moveretur, immotus tamen et silens videbatur. Inter aeris inclementiam nocte ac die orationi vacabat, et quamvis nivium et aquarum copia efflueret, madefactus unquam apparuit vir Dei. Rigente frigore, divinae charitatis igne ita succensus erat, ut sibi appropinquantes etiam calefaceret. Aves etiam circa ipsum in oratione positum volitabant nec recedebant, licet aliqui ad eum accederent. Commorans Beatus *Ex processu auditorum rotae pag. 17.* domi Michaelis Dominguez et Isabellae Garciae coniugum oppidi de Frontes et orans in coquina, cum iidem coniuges et filia divertissent in alio cubiculo proximo, media nocte audierunt angelorum voces canentium Dei et Deiparae laudes in loco ubi stabat Beatus.

Ibidem num. 45. LXVII. Cumulatum a Deo fuisse Beatum eximiis supernis donis aperte novimus. Ac primo quidem sapientiae ac scientiae dono; nam et si latino sermone rudis ac literis expers, de divinis tamen mysteriis apte disserebat, imperviasque de divina gratia deque peccato originali quaestiones facile dissolvebat. Aliquando ipsi magistri academiae Complutensis in difficilioribus aperiendis fidei arcanis Beatum consulebant.

Ex summario pag. 121. LXVIII. Prophetiae spiritu et cordis scrutatione inclaruit. Praedixit Annae de Mecho mortem in primo partu, si nuberet; nupsit, et obiit in primo partu. Similia praedixit et evenit Margaritae Ximenez aliisque duabus puellis. Praedixit Gabrieli Diaz graviter infirmo sanitatem recuperaturo, et diuturnam vitam ad alios septem annos; infelicem vitae suae exitum homini obstinato in ducendis inhonestis choreis, cuius pertinaciam improbaverat Beatus; nam animo cadens, se proiecit in fluvium de Xarama. Iuveni studenti grammaticae praedixit, quod regularem habitum foret suo tempore suscepturus. Licet in prima aetate reluctaretur, nihilominus religiosus postea evasit. Similia adolescentulae praenunciavit et monialium habitum induit.

Ibidem pag. 183. et seq. LXIX. Miraculorum gloria floruit Beatus cum viveret. Pauca notamus. Suis nutibus et imperio animalia parebant; modo enim sola voce ea mansueta reddebat; modo vero quidquid eis praecipiebat, statim executioni demandabant. Qua in re cum intra alveum cecidissent quatuor muli plaustrum trahentes, et ibidem permansissent integra die cum vitae periculo, quia auriga non

poterat e loco illos amovere, fortuito, eo transeunte viro Dei, ad eios vocem muli se erexere illico et celeri incessu planstrum traxeruut extra flumen. Aves etiam assos ac ad manducandum in mensa paratos, benedictione eis impartita avolare fecit Beatus. Non semel pullos ex eleemosyna collectos e cestula educebat, ut eis potum daret; postea eis imperabat, ut cestulam repeterent; quod et praestabant solicite.

LXX. Ex itinere peracto in petendis eleemosynis, viribus peue defecerat Beatus. Cum autem aliquid ad manducandum pro viribus reficiendis peteret, fuerunt ei subministrata cibaria una eum pane nigro. Panis vero qni sibi superfuit, albns evasit eum ingenti adstantium stnpore. Orante viro Dei coram imagine Deiparae virginis pro filio Mariae Prietae delapso ex turri campanaria, illico puer convaluit ex lethali vulnere in capite accepto. Maria de la Cuba difficili partu laborans et in discrimine vitae adducta, vix sibi imposuit Beati baculum quem penes se habebat, illico foetum feliciter edit Maria Garzia nata in oppido de los Barnos ita oculorum infirmitate laborabat, ut per duodecim annos nihil penitus videret. Eins mater Catharina Beatum rogavit, nt filiam infirmam visitaret. Ingressus ad eam, unam manum imposuit super filiae caput, alteram vero in eius fronte tangendo oenlos eum proprio rosario. Hisce peractis, ab ea infirmitate libera evasit et exclamavit: *video, video, et pater Iulianus me sanavit.* *Ex processu auditorum rotae pag. 18.*

LXXI. Eximiam b. Iuliani sanctimoniam Deus testatam voluit post sui mortem multorum miraculorum gloria, qnibns excitati cuiuscumque ordinis christifideles, mox eidem cultnm publicnm exhibuere. Corpus enim antea humili in loco sepositum, illatum fnit in oratorium ad sui honorem erectum, ubi pro beneficiis a Deo sua intorcessione conseqnutis tabellae ac argenteae lampades appositae fuernnt. Beati sepnlcrum saepe coluere Philippus III. Hispaniarum rex eiusqno uxor Margarita regina, cardinalis archiepiscopus Toletanus, elerus saecularis et regularis, ac Complutensis academiae professores. Potiora notamus prodigia. *Ex summario pag. 134.*

I. Anna Garzia diu in altero ex uberibus apostemate cum valida febri afflicta, nt eius filius Hieronymus apostema inunxit oleo lampadis Beati, perfecte convalnit, et lac cum eo ubere infantnlo praebuit. *Ibidem pag 138.*

II. Lazarus Daganzo puer quinquennis ob metum canis fugiens, ex lapsu fracturam cruris tulit circa malleolnm. Cunctis remediis frustra adhibitis, ad Beati sepnlcrnm delatus fuit; et rupto crure innncto oleo eiusdem lampadis, perfecte sauus evasit et liber domnm repetiit.

III. Lucia de Olivares diu vexata intercostali dolore, se in lecto de nno ad alterum latns movere non poterat. At eodem oleo linita admotoque parti laesae Beati habitus frustnlo, illico sanitatem obtiunit.

IV. Michael Gonzalez Sanchez a profunda ac foetenti plaga in ore afflictus, nec eibnm nec potnm sumere valebat; insuper pedes nlceratos habebat. De sero se innnxit eodem oleo lampadis Beati, et sequenti mane valotudinem recuperavit.

V. Petrus Matritensis a quatuor annis apostemate affectus in interiori parte gutturis, nihil fere deglutire poterat, licet adhibitis natorae remediis. Cum autem in vitae discrimine versaretur, item de sero partem laesam eodem oleo unxit, et die sequenti disrupto apostemate perfecte se habuit.

VI. Eodem oleo sanus evasit Didacus de Soto biennis puer, apostemate ac tnmore laborans in gnttnro.

vii. Catharina Pastora diu cruciata in ore et in maxilla dextera a magno ac duro apostemate, bis eodem oleo in morbosas partes uncta, evanuit apostema et perfecte sanam se vidit.

viii. Melchior de Cuenas Gonzalez puer quinquennis ob acutum morbum viribus ferme destitutus, ingentem foetidi sanguinis copiam ex ore emittebat. A medico pro derelicto habitus, eum mater detulit ad Beati sepulcrum, illumque inungens eiusdem lampadis oleo, illico puer sanitatem obtinuit.

ix. Biennis puer Casildae del Gada in puteum fortuito cadens, sex palmos circiter aquae continentem, invocato ab eadem matre patrocinio Beati pro filii sui liberatione, extractus fuit liber et sanus, licet spatio fere dimidiae horae in puteo fuisset.

Ex processu auditorum rotae pag. 18 x. Franciscus de Nava medicus gravi febri ac apostemate in podice laborans, frustra adhibita artis remedia, apposito super apostemate frustulo habitus Beati, sequenti mane ab utroque morbo sanus surrexit a lecto.

xi. Alphonsus Garzia annorum viginti sacco farinae per torrentem oneratus transiens, lapidem incompositum pede offendit. Tunc cum omnia pedis ossa convulsa remansissent, illico extremo dolore correptus, humi se prosternere coactus fuerit et vim sibi pedibus ac manibus faciens, in molendinum intravit. Eius socius illum super equum imponens, ad oppidum de la Guardia adduxit, ubi maximis doloribus vexatus, mansit duobus diebus. Aderat in eo oppido Petrus Lopez franciscanus qui habebat crucem parvam Beati cum qua infirmum signavit. Ad eius tactum illico ossa in pristinum locum redierunt, et surgens pedibus suis deambulavit incolumis.

Ibidem pag. 19. xii. Franciscus de Hena annorum duorum puer, febri lethali ac sanguinis fluxu laborans, a medicis pro derelicto habebatur. Ioanna eius mater filium morti proximum ad Beati sepulcrum detulit ibique cum sacrum celebraretur pro intercedenda valetudine filii, ad sacrae hostiae elevationem puer sanus surrexit, clamando *mater, mater*.

Ibidem. xiii. Marcus de Monterone incola oppidi de Torres cum fornaci lapidum incensae interesset, ex eisdem lapidibus alter super eius crure casu cecidit, ex quo ictu odusta in ea parte remansit caro. Vulnus ex ictu enatum, post annum transiit in ulcus lethale a quo plurimum affictabatur infirmus. At vulnere inuncto oleo lampadis Beati a Crispina uxore Blasii Ruiz, illico patiens a doloribus liberatus, sanus evasit.

Ibidem pag. 20. xiv. Gabriel filius Ioannis Garzia incola oppidi de Anchuelo annorum quinque incidit in paralysim et phraenesim quae triginta dierum spatio continuarunt. Cum tunica iam pro funerali amictu parata esset, parentes eius eamdem tunicam frumento plenam Beato obtulerunt. Sensim puer convalere coepit, et intra quatuor dies vires integras recepit.

Ibidem. xv. Quae duo sequuntur prodigia rata habuit s. r. congregatio in actis pro eius beatificatione confectis. Elisabeth Gonzalez gutturis sive anginae morbo, hispanice *garrotiglio*, dire conflictabatur. In Parte enim interiori gutturis aderant ulcera gangraenosa, quorum indubia signa erant pulsus languidus et frequens, indicans febrim perversam, difficilis respiratio et foetida. Multis licet remediis adbibitis, medici die sequenti e vita migraturam dixerunt; tamen eidem mulieri alia plura et ipsi parari iusserunt. At illis reiectis, ait mulier: *non aliam volo unctionem, quam illam oleo lampadis sancti Iuliani.* Tunc dixit viro suo, ut invocato ter nomine Iesu et viri Dei Iuliani, illius guttur liniret. Cessit ille votis uxoris semel et iterum de nocte. Post

haec mulier a somno correpta fuit; at paulo post vigilans, ita valentem se habere coepit, ut a doloribus et gutturis ardore libera, recte loqueretur. Cum de mane medici ad eam rediissent, inspectis partibus interioribus gutturis consolidatis et integris, miraculum praedicarunt.

XVI. Franciscus de Valle octo annorum puer, diu affectus fuit saevo apostemate in una inguinum malignantis naturae. Plura artis remedia pro eo curando usa fuere; at frustra, morbo in deterius abeunta. Eius mater videns filium morti proximum, ad Beati sepulcrum adduxit, ubi implorato servi Dei patrocinio, partem affectam oleo lampadis innuxit. Idipsum praestitit et de nocte. Sequenti mane filius matrem vocans, laetus ei dixit se esse sanum, et per domum exiliens, consequuti miraculi testimonium reddebat. *Ex summario pag. 139*

LXXII. Haec ex actibus super Beati virtutes et miracula notavimus, partim etiam missis anno MDCVII. ad summum pontificem Paulum V. cum literis Philippi III. Hispaniarum regis pontificem exorantis, ut committere dignaretur archiepiscopo Toletano vel alteri sibi viso inquisitionem virtutum ac miraculorum Iuliani, *ne quid de illo*, ipsius verba usurpamus, *occultum remaneret*. Similia egerunt, ut caeteros praetereamus, idem archiepiscopus Toletanus eum suo canonicorum collegio, senatus et academia illius urbis, necnon et academia Complutensis. Hinc pontifex datis literarum fascicalis ad s. r. congregationem, eadem s. c. decrevit die XIV. Iunii anno MDCVIII. ut Iuliani acta conficerentur ab ordinario loci, et ad Urbem mitterentur; quod paractum fuit quam citissime. Nam anno insequenti eadem s. c. commisit cardinali Millino in Hispaniarum regno legato examen virtutum et miraculorum servi Dei; qui cum retulisset *constare ex processibus* ab ipso expensis vitae sanctitatem et miracula Iuliani, ideo s. c. imperavit, ut denuo ordinaria potestate iidem processus conficerentur. Post haec pontifex brevi sub die XXX. Iulii eidem congregationi facultatem tribuit mittendi literas, ut aiunt, *remissoriales et compulsoriales* pro eodem absolvendo, selectis tamen ad id operis eximiis viris. Mandatis obtemperavit s. congregatio; nam literis sub die XXV. Iunii anno MDCXI. signatis, delegit iudicem remissorialem cardinalem Roia archiepiscopum Toletanum. Cuncta apostolica auctoritate qua erat suffultus, absolvit, et ad eamdem congregationem misit; quae tamen, ipsius s. congregationis voluntate, iterum expensa fuere a tribus s. rotae auditoribus, nempe Ioanne Baptista Coccini decano, Alphonso Manzanedo patriarcha Hierosolymitano et Philippo Pirovani rotae auditore. *Vidal in vita Bea pag. 100. et seq*

LXXIII. Iidem rotae auditores numeris omnibus absolutum super virtutibus ac miraculis servi Dei compendium ad Urbanum VIII. pontificem anno MDCXXIV. electum detulerunt, sperantes huiusmodi causam, ut moris est, mox instituendam. At vulgato anno MDCXXXI. eius oraculo circa cultum venerabilium Servorum Dei, Iuliani corpus quod publice colebatur, ab oratorio semotum, iterum priori tumulo humatum fuit. Post annum MDCLVI. denuo super eius virtutibus instituto iudicio, die VIII. Iunii anno MDCCLXXVII. sequens prodiit ex voluntate pontificis Pii VI.

DECRETUM.

TOLETANA

Redemptor humani generis qui pro lapsi medela hominis in utero Virginis caro factus, semetipsum exinanivit usque ad mortem crucis, ut humanum ge-

nus tam ineffabili excitatum exemplo per humilitatis semitas secum ad aeternae gloriae exaltaret consortium, studiosum fidumque discipulum nactus est in venerabili servo suo Iuliano a s. Augustino, laico professo ordinis fratrum minorum de observantia s. Francisci; qui post magistri vestigia progrediens, omnis perfectionis, sed humilitatis praecipue vitaeque innocentiae praestantissima exempla consodalibus suis reliquit. Ut autem haec cunctis praelucerent et exemplo forent, quod posset imitari, de egregii viri virtutibus examen institutum fuit primo in congregatione ante-praeparatoria die xix. Septembris mdcclxix. in aedibus reverendiss. cardinalis Calini ponentis, mox instauratum in praeparatoria in palatio apostolico quirinali die xiv. Ianuarii mdcclxxii. absolutum tandem in congregatione generali coram ss. d. n. Pio papa vi. pontifice maximo in palatio apostolico vaticano habita die iii. Iunii mdcclxxvii. in qua eodem reverendissimo cardinali Calini referente dubium: *An constet de virtutibus theologalibus fide, spe et charitate in Deum et proximum, necnon de cardinalibus prudentia, iustitia, fortitudine et temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.* Sanctitas sua, auditis reverendiss. cardinalium et consultorum suffragiis, qui omnes constare de illius virtutibus in gradu heroico censuerant, nil tum decernens, ad eum qui operatur virtutes in nobis tam in suis, quam alienis precibus confugit humiliter deprecando, ut notum ei faceret sacramentum voluntatis suae. Hac vero die dominica iii. post pentecosten sacro summa religione peracto, accersitis coram se reverendiss. cardinalibus Ludovico Calini causae relatore et Mario Marefusco s. r. congregationis praefecto, necnon r. p. Dominico de s. Petro fidei promotore, meque infrascripto secretario, infallibili suae vocis oraculo decrevit: *constare de virtutibus theologalibus et cardinalibus, earumque adnexis ven. servi Dei* Iuliani a s. Augustino *in gradu heroico in casu et ad effectum, de quo agitur.* Quod decretum publici iuris fieri et in acta sacrorum rituum congregationis referri mandavit. Hac die viii. Iunii mdcclxxvii.

Loco ✠ Sigilli

M. card. Marefuscus praefectus.
M. Gallo s. r. congr. secretarius.

LXXIV. De miraculis tantum erat inquisitio instituenda, quae tamen inchoata fuit anno mdccxciv. Verum ingruentibus illius aevi calamitatibus, licet inita, plurium annorum spatio suspensa remansit. Reddita ecclesiae tranquillitate, de summi pontificis Pii vii mandato, s. r. congregatio anno mdcccxxii. hoc tulit de servo Dei iuliano

DECRETUM.

TOLETANA

Largitor omnium bonorum qui secreta coelestia abscondit sapientibus et prudentibus, parvulisque revelat, virum ven. Iulianum a s. Augustino benedictionibus suis ita praevenit, ut s. mem. Pius papa vi. heroicas praenuncians eiusdem virtutes decreto die viii. Ianuarii anni mdcclxxvii. hoc de ipso tulerit elogium, perfectione scilicet omnis generis, et humilitate praesertim vitaeque innocentia in luculentissimum sodalium exemplum praeluxisse. Quam quidem

evangelicae perfectionis commendationem, misericordiarum Pater qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, miraculorum etiam gloria testatam voluit in humili hac planta, quam lectissima franciscalium quos observantes dicunt, familia ex horto suo mirificum odorem dedisse gratulatur. Tribus itaque a causae postulatoribus s. r. congregationi propositis miraculis, disquisitae primum fuerunt consultorum sententiae, binis ex more habitis comitiis nimirum altero penes el. mem. card. Ioannem Franciscum Albani tum causae relatorem v. idus Decembris an. MDCCXCIV. altero in apostolico quirinali palatio XI. calendas Februarias an. MDCCCXX. Deinde vero coram ss. d. n. Pio papa VII. ad diem XXVIII. nuper elapsi mensis Augusti convenere eiusdem s. congregationis reverendiss. patres et consultores caeteri, ac re iterum in deliberationem deducta, duo ex allatis miraculis approbari posse visum est amplissimis patribus. Pro summa tamen rei gravitate divini luminis praesidium multa prece exorandum duxit sanctitas sua, laetissimaeque huius diei faustitatem, qua ob auspicatissimam virginis Mariae nativitatem universa congaudet ecclesia, apprime cumulavit, uti impense minorum observantium voto efflagitabant. Acceitis namque ad palatium apostolicum quirinale reverendiss. cardinalibus Iulio Maria de Somalia s. collegii decano sacrorumque rituum congregationis praefecto, et Petro Francisco Galeffi causae relatore, necnon r. p. Alexandro Buttaoni promotore fidei meque infrascripto secretario, post sacrum in pontificio sacello peractum rite decrevit: ex tribus miraculis quae proposita fuere, a Deo patrata post imploratum ven. Iuliani a s. Augustino auxilium, constare in tertio genere de duobus nimirum de primo: *instantaneae perfectaeque sanationis Elisabethae Gonzalez ab angina gangraenosa maligna, vulgo garrotiglio*; et de secundo: *subitae absolutaeque sanationis pueri Francisci de Valle a diuturno putrido et immedicabili ulcere in inguine sinistro*. Atque hoc decretum in acta s. r. congregationis referri et in vulgus edi mandavit. VI. idus Septembris an. MDCCCXXII.

Iulius M. card. episc. Ostien. et Velit. de Somalia
s. eccl. vice-cancellarius s. r. c. praefectus etc.

Loco ✠ Sigilli

I. A. Sala s. r. c. secr. coadiutor.

LXXV. Postremum hoc eodem anno sub die XXVI. Novembris eamet s. c. oraculum vulgavit pro b. Iuliani beatificatione

DECRETUM

TOLETANA

Plures vel a primis temporibus e minorum familia prodiere viri magna virtute, qui in humili laicorum quos dicunt gradu, lucernae fuerunt ardentes, quas licet sub modio ponere ipsi pro sua humilitate conniterentur, colluxisse tamen in caeterorum exemplum ecclesia Christi gratulata est. Id de viro venerabili Iuliano a s. Augustino praedicandum omnino videtur, qui laicis professis adnumeratus inter minores observantes levavit mirifice se supra se, talemque extulit virtutum facem luculentissimam, ut nedum suae professionis sodales, sed et universum Hispaniarum regnum quod natale ipsi solum extitit, in summam sui admirationem traduxerit. Hinc porro factum est, ut ad novum

evangelicae perfectionis exemplum apostolica auctoritate commendandum, quaestione primum de ipsius virtutibus instituta cunctisque ex apostolicarum constitutionum praescripto in s. r. congregatione apprime peractis, placuit s. m. Pio vi. decretum die vii. Iunii mdcclxxvii. pronunciare, quo de ven. Iuliani virtutibus constare in gradu heroico sancivit. Concionit coelum voci Petri multitudine prodigiorum, quae ex implorato ipsius Iuliani auxilio contigisse enarrabantur. Bina tamen ex illis post habitas, uti in more est, tres in eadem s. r. congregatione de eorum examine actiones, visum est sanctissimo d. n. Pio vii. pont. max., causam referente reverendiss. cardinali Galeffi, in tertio genere adprobare hoc ipso anno vi. idus Septembris. Cum autem post haec edita decreta id unum desideraretur, ut eadem sanctitas sua ediceret tuto posse ad beatorum honores ven. Iuliano sanciendos procedi, dubium de ea re in frequentissimo coram eodem sanctissimo domino n. patrum conventu die xxvi. superioris mensis Novembris propositum fuit. Licet vero cunctorum in suffragio probatum fuerit, censuit ss. d. noster preces adhuc ingeminare ut in tanta re definienda maiora sibi a Patre luminum auxilia compararet. Hunc itaque diem quem prae caeteris solemnem Hispaniarum regnum et universus minorum ordo ob honorem conceptionis Deiparae peculiari veneratione prosequuntur, sanctitas sua ad communia regni illius, praesertim vero Toletanae dioecesis, necnon minoriticae familiae vota explenda, pro sua benignitate designavit. Quare post sacrum in domestico sacello quirinalis palatii piissime peractum, coram reverendiss. cardinalibus de Somalia s. r. c. praefecto, et Galeffi causae relatore, necnon r. p. Alexandro Buttaoni fidei promotore meque infrascripto secretario, in ea verba decrevit: *tuto procedi posse ad beatificationem ven. ser. Dei* Iuliani a s. Augustino. Atque hoc decretum publici iuris fieri et in acta s. r. c. referri, necnon literas apostolicas in forma brevis de beatificatione in basilica vaticana sub tempore celebranda iussi expediri. vi. idus Decembris an. mdcccxxii.

Iulius M. card. episc. Ostien. et Velit. de Somalia
viee-cancellarius s. eccl. et s. r. c. praefectus etc.

Loco ✠ Sigilli.

I. A. Sala s. r. c. secretarius coadiutor.

LXXVI. Eas de solemni beatificatione beati Iuliani literas vulgavit Leo papa xii. quas ponimus.

LEO PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Umbriae atque adeo occidentis totius praecipuum decus divus Franciscus Assisiensis demissionem animi seu humilitatem — quae si omittitur, virtutum congregatio nonnisi ruina est — ut habet divus Bernardus, suis hortatibus suoque exemplo asseclis institutae a se religiosae familiae praecipue colendam reliquit. Itaque omni arrogantia, omni honoris appetentia, omni propriae virtutis opinione radicitus e corde avulsa, contra vero contumelias, ludibria, contemptus ultro atque hilariter subeundo, semper ex eo ordine plures in humilitatis virtute se naviter exercuerunt, ut mirandum non sit, quum elationem animi tantopere aversetur

Deus, illiusque demissionem impense diligat, seque demittentes atque abiicientes attollat, si in praeclaro fratrum minorum ordine, humilitatis cultore, omni aetate ampla seges evectorum ad aras heroum sanctorum effloruit. Cuius virtutis novum tamquam lumen e modio subtractum ad spiritalem eorum fratrum omniumque christianorum utilitatem in ecclesia lucebit Dei servus Iulianus a s. Augustino, *olim laicus inter pientissimum institutum divi Francisci professus, eique peculiari familiae minorum addictus, quae ab observantia nomen adepta est. Is enim a fel. rec. praedecessore nostro Pio* vi. *ob humilitatem pruecipue morum innocentiae sociam, amplissimum praeconium meruit in eo decreto, quo de sententia unanimi generalis congregationis ritibus sacris praepositae post habitas actiones antepraeparatoriam ac praeparatoriam, ut vocantur, illum die* viii. *Iunii anni* mdcclxxvii. *declaravit ad heroicum gradum pervenisse virtutum. Quum autem fel. item rec. praedecessor noster Pius* vii. *examine tribus pariter in actionibus instituto de miraculis, quae, servo Dei* Iuliano *deprecante, patrata ferebantur, duo ex illis pro germanis prodigiis agnoverit per decretum editum* vi. *idus Septembris anno* mdcccxxii.*, idque decretum alio decreto cumulaverit* vi. *idus Decembris eiusdem anni quo sanxit tuto ei posse honores beatorum tribui, sane quaecumque pertinent ad hoc iudicium omnia expensa, discussa, acta, absoluta sunt. Nihil igitur moram obiicit, quominus obsequamur precibus universis fratrum minorum ordinis quibus olim cl. mem. Philippus* iii. *Hispaniarum rex catholicus, Isabella regina, archiepiscopus Toletanus cum suorum canonicorum collegio, cum clero et cum Toletana academia, aliique dignitate ac pietate praestantes viri sua studia ac postulata iunxerunt, quique omnes Dei servo Iuliano ab apostolica hac sede sacrum honorem quaesierunt. Quapropter sententiae congregationis venerabilium fratrum nostrorum* s. r. e. *cardinalium sacris ritibus praepositorum inhaerentes, auctoritate apostolica concedimus et indulgemus, ut Dei servus* Iulianus a s. Augustino, *cuius animo bonorum largitor omnipotens clarissimarum virtutum germina insevit et ad heroicam altitudinem provexit, cuiusque sanctimoniam et coelestem felicitatem, editis prodigiis, testatus est, Beati nomine nuncupetur, eius corpus ac reliquiae (non tamen in supplicationibus quae sacras reliquias circumferendo fiunt) colendae proponantur, imagines radiis ornentur, officium denique ac sacrificium fiat cum approbata a nobis oratione iuxta romanas rubricas de communi, ut dicitur, confessoris non pontificis die* viii. *Aprilis qua mortali functus est vita, tum in dioecesi Seguntina intra cuius limites ortum habuit, tum in dioecesi Toletanu in qua corporeis evolavit e vinculis, tum in ordine fratrum minorum universo. Ac quod spectat ad sacrificium pertinere hoc indultum volumus etiam exteros ad sacerdotes, quicumque eo die in earum dioecesum ordinisve templis rem divinam facient. Praeterea concedimus et indulgemus, ut anno dumtaxat ab hisce datis literis primo, in Indiis vero intra decursum anni qui initium sumat a die quo nostrae literae delatae illuc fuerint, celebrentur solemnia beatificationis servi Dei* Iuliani *in templis dioecesum et ordinis de quibus habita est mentio cum officio et sacrificiis duplicis maioris ritus. Quod quidem fieri praecipimus die ab ordinariis sacris praesidibus indicenda, ac post quam ea solemnia in vaticana nostra basilica augustis*

cum caeremoniis fuerint celebrata, cui nos sacrae pompae vaticanae diem xxiii. huius ipsius mensis atque anni statuimus. Volumus autem ut harum literarum exemplia etiam impressis, dummodo manu secretarii dictae congregationis subscripta sint et sigillo praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus quoque iudicialibus fides habeatur, quae nostrae voluntatis significatione, ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Datum Romae apud s. Petrum die vi. Maii mdcccxxv. pontificatus nostri anno ii.

Pro domino cardinali Albano
Franciscus Capaccini substitutus.

LXXVII. Superiorum mandato Beati vitam scripsit Franciscus de Herrera einsdem instituti ac provinciae adservatam mss. tribus tomis in conventu s. Didaci Compluti. Ex eodem instituto raptus est hoc anno die xix. Augusti

Petrus de Aguirre. *Torquemada tom. 3. pag. 585.*

in conventu s. Francisci Mexici Petrus de Aguirre sacerdos, qui adhuc clericus professus in provincia Cantabriae, Mexicum advenit cum egregio viro p. Hieronymo de Mendieta. Diu novitiorum curam egit. Angelica puritate corporisque maceratione enituit. Quotidie enim tenui victu et flagellis carnem domabat. Impense colebat b. Virginem et s. Andream apostolum, quem ob crucis martyrium ab ipso passum primum omnium christianorum nuncupabat. In coenobio s. Francisci Montiliae in provincia Granatensi sancte occubuit

Michael del Prado. *De Torres pag. 312.*

Michael del Prado Razadel, sacerdotio initiatus obedientiae merito; nam prae sui humilitate tantam dignitatem reluctabatur. In eius transitu vox illa super eum insonuit: *raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.* Multis virtutibus cumulatus obiit in coenobio s. Petri Cordubae in eadem provincia

Ioannes de Angelis. *Idem ibidem.*

Ioannes de Angelis laicus, diu versatus in cura infirmorum. Nullo unquam lethali peccato maculatum fuisse tradunt.

Honuphrius a Calatahierone. *Tognoletto pag. 478.*

LXXVIII. Cessit e vita Honuphrius a Calatahierone sacerdos, plurimum commendatus in observantia regulari. Cunctis sodalibus praelucebat sanctitatis exemplo. Munus obivit confessarii in regio clarissarum Neapolis monasterio. In coenobio s. Mariae Angelorum Assisii praenunciato suae mortis die raptus est

Ioannes a Stronconio. *Monum. prov.*

Ioannes Belforte o Stronconio laicus, abstinentia, oratione et charitate erga infirmos quibus praeerat, eximius. Pisauri in coenobio s. Ioannis Baptistae

Gabriel a Montecicardo. *Monum. prov.*

provinciae Marchiae dies suos complevit Gabriel a Montecicardo sacerdos, vir summae austeritatis. Duplici namque ferrea catena lumbos cingebat. Eximio devotionis affectu recolebat Iesu Christi Matrisque dolores. Munus commissarii visitatoris obivit in provinciis Umbriae ac Marchiae. Eum non semel concionatorem quadragesimali tempore habere voluerunt Urbini dynastae.

Didacus a Castellon. *Panes pag. 424.*

LXXIX. S. Ioannis Baptistae fratrum discalceatorum provinciam pretiosa iustorum morte illustravit hoc anno die vii. Aprilis Didacus a Castellon sacerdos, defunctus in conventu Valentiae. Aliquando mercatoris munus obivit et saeculi vanitatibus indulsit; sed audito quodam verbi Dei praecone, mundo nuncium remittens, eorumdem fratrum habitum obtinuit. In instituto multis virtutibus floruit. Continuis namque poenitentiae operibus carnem macerabat, die ac nocte precibus vacabat. Guardiani, magistri novitiorum ac provincialatus officium summa cum laude sustinuit, cunctos devincens animi sui comitate,

Didacus de Campo. *Idem pag. 428.*

benignitate ac humilitate. In coenobio s. Francisci Iumillae vix biennio a sua professione expleto coelestia petivit Didacus de Campo clericus, qui carnem

suam ita vigiliis, ieiuniis ac flagellis domabat, ut cunctis sodalibus se praeberet sanctitatis exemplar. Oculis in terram defixis suos semper alloquebatur, et responso ab eis accepto, eorumdem habitum deosculabatur. Liriae in conventu s. Francisci obiit Ioannes Ximenez laicus, mirae perfectionis cornisque macerationis vir. Quotidie trium horarum spatio flexis genibus ac immobilis divinis contemplationibus se dabat. In conventu s. Didaci Murciae quievit Petrus de Aranda item laicus. Solitudini ac silentio vacans, consortia cunctorum licet consadalium solicite fugiebat. Hortorum culturam egit triginta annis summa animi sui alacritate. Paralysi licet in manibus, pedibus aliisque in membris affectus, aegre tamen ferebat lecto recumbere; unde de nocte e lecto exiliens, stratus humi coelestia meditabatur.

Ioannes Ximenez. *Idem pag. 434.*

Petrus de Aranda. *Idem ibidem*

LXXX. Capucini fratres et pie decedunt. In conventu Aulesiae revelata sibi a Deo morte vitae cursum complevit Michael a Valentia sacerdos, multis cumulatus virtutibus. Summo enim studio colebat obedientiam, humilitatem, paupertatem ac puritatem. Post sui obitum miraculis inclaruit. In provincia Flandriae occubuit Michael Lovaniensis sacerdos, pluribus virtutibus ac praecipue assidua oratione in qua saepe raptus patiebatur, commendatus.

Michael a Valentia. *De Aremberg tom. 2 pag. 490.*

Michael Lovaniensis. *Idem ibid. pag. 367.*

LXXXI. Aetatis suae anno xxxvi. obiit die prima Iunii in conventu Teneramundae in provincia Belgica Archangelus Scotus. Matrem habuit Margaritam Gordianam, filiam marchionis de Huncle ex regia Stuartorum familia ortam; patrem vero comitem de Forbes, ditione ac opibus illustrem. Dispar autem erat eorum cultus; siquidem mater catholicam fidem, pater vero calvinianam sectam profitebatur. Cum autem ipse minis ac terroribus Margaritae animum a fide catholica haud dimovere potuisset, eidem libellum repudii obtulit, aliam ducens puellam calvinistarum erroribus imbutam. Illa domo pulsa ac pro fide profuga, inter notos et propinquos aliquondo latuit, donec evoluto quod gestabat foetum, pariendi tempore, puerum edidit, cui nomen Ioannis imposuit, Archangelus inter capucinos deinde nuncupatus. Ut haec patri innotuit, vim ac dolos omnes intentat, ut vel puerum natum, vel matrem simul cum puero e medio tollat. Biennio post puerum a matre vi abstractum, ad se deferri curat. At mater ubi puer rationis compos esse potuit, sedulo curavit per secretos monitores et fideles nuncios, filium ad catholicae fidei professionem hortari. Hisce piae matris monitis magis magisque confirmatus, in Belgium proficisci cogitat, ubi a Farnesio principe honorifice exceptus, inter praestantes catholici regis copiarum viros adscribitur. Breve tamen illius militiae tempus fuit; nam assumpto Archangeli nomine inter capucinos adscriptus, vitam duxit austeritatis plenam, et Gandavi necdum sacerdotio inunctus, cum in choro divinas laudes decantaret, placidissime Deo animam reddidit.

Archangelus Scotus. *Idem ibid pag. 181.*

LXXXII. Versabatur eo tempore in Scotia Ioannes Archangeli germanus, qui saepe se conferebat ad Iacobum Gordianum e societate Iesu patruum suum, eo in regno catholicam fidem disseminantem. Hinc tum matris suae literis, tum ipsius patrui colloquiis instructus ac in fide confirmatus, tandem ad ecclesiae unitatem advenit. Licet pater suspicatus de eius in fide catholica professione, rem tamen dissimulabat. Ut animum eius a fide averteret, protinus nobilem puellam haeresi affectam illi matrimonio paravit. Licet invitus, nupsit tamen. At ut quae de Christi fide hauserat, servaret Ioannes, fugam a paterna domo, sponsamque sibi paratam relinquere meditabatur. Agebat duodevicesimum circiter annum, quando ludo pastridie simulato, parentibus, primogenitura, amplissima haereditate contemptis et sponsa, velut alter s.

Alexius, relicta, in Belgium, pastoritio sago amictus, proficiscitur. Post varios fortunae casus, tandem visione coelesti a Deo in capucinorum institutum vocatus, die II. Augusti anno MDXCIII. annos numerans XXIII. inter eos tyrocinium inchoavit, Archangeli fratris qui Gandavi nuper obierat, nomen sortitus.

LXXXIII. Nuncupatis Deo votis, tale mox indixit sensibus ac vitiis omnibus bellum, ut praeter virtutum exemplar nihil in oculis, in habitu ac in moribus praeseferret. Peracto studiorum curriculo, ad praedicationis munus adsumitur; quod nisi celerius morte interceptus fuisset, in Scotiam ut catholicam fidem disseminaret, redire decreverat. Teneramundae guardiani munus fungens, Dixmundam advolavit, ubi divinae eloquentiae vi trecentos et amplius Scotorum milites eo praesidiarios ad catholicam fidem adduxit. Alterum in eodem itinere Scotorum haereticorum agmen Mennonis ad catholicae ecclesiae sinum attraxit. Quemdam etiam comitem haereticum ad haeresim abiurandam compulit. His aliisque peractis, cum Waestmonsterium oppidum in quo lues grassabatur profectus, pestilenti morbo corripitur. Quare celerius Teneramundam rediens, ne coenobii familia ea tabe inficeretur, sacris summa pietate susceptis, in hortum se deferri iussit, ubi mortalitatis sarcinam deposuit.

Franciscus Tyrolensis. *Idem ibid. pag. 481.*

LXXXIV. Vitae terminum et explevit Franciscus Tyrolensis sacerdos, vir admirandae simplicitatis, patientiae et charitatis. Animas in purgatorio detentas opitulabatur piis exercitiis ac sanctis ecclesiae indulgentiis. Savonae in provincia Pedemontana occubuit Augustinus Genuensis sacerdos, pluribus coelestibus visionibus a Deo illustratus, et prophetiae dono cumulatus. Patientia huius viri a Deo probata fuit triginta circiter annis, podagrae et chiragrae morbus a quibus ita affictabatur, ut toto hoc tempore lectulo decumberet. Scripsit *historiam b. Mariae virginis*, quae XV. calendas Aprilis anno MDLXX. apparuit, populoque Savonensi e colle vicino bene precata est. Mantuae septuagenario maior obiit Franciscus a Costa, Venetae provinciae vicarius et fervidus Dei praeco. Idem namque munus cum obiret, inveterata odia expellebat, inimicitias propulsabat et rebelles quasque impiorum mentes ad lacrymas et poenitentiam inflectebat. Aliqua praedixit, eventu deinde comprobata. Iter aliquando faciens, in lupum incidit, qui puellam ore gestans, in sylvam devorandam asportabat; quapropter cursu arrepto, fugientem lupum insequitur, puellamque ex illius ore erutam suis restituit. Apuae, sive Pontremoli in provincia Tusciae cursum vitae complevit Franciscus a Ripa sacerdos, ita carnis macerationi deditus, ut nullum absque arctiori abstinentia diem traduceret. Somnum ad tertiam non amplius horam producebat, reliquam vero noctis partem in rerum divinarum contemplatione insumebat. Futuros eventus praedixit et animi cogitationes detexit.

Augustinus Genuensis. *Idem ibid. pag. 275.*

Franciscus a Costa. *Idem ibid. pag. 156.*

Franciscus a Ripa. *Idem ibid. pag. 487.*

LXXXV. Lethali aegritudine correptus spiritum Deo reddidit in conventu Rodii provinciae s. Angeli Salvator Canianensis laicus. Perpetuo a carnibus se abstinuit; maiorem anni partem solo pane et aqua transigebat, et super nudam tabulam breve somnum capiebat. In provincia Neapolitana occubuit Alexander a Lauro sacerdos, miris virtutibus, praesertim obedientia exornatus. In Messanensi provincia obiit Franciscus a Cephalodio diuturna a Deo patientia probatus. Morti proximus meruit beatae Virginis aspectu recreari.

Salvator Canianensis. *Idem ibid. pag. 758.*

Alexander a Lauro. *Idem ibid. pag. 491.*

Franciscus a Cephalodio. *Idem ibid. pag. 44.*

LXXXVI. Coelorum regnum petiere aliquot sacrae virgines. In monasterio s. Mariae de Angelis Baetiae in provincia Granatensi sanctis operibus ditata obiit Leonora de Medina. Ferrea catena ac asperrimo cilicio revincta erat ad nudam carnem. Summa charitate interim exornabatur erga infirmas sorores.

Leonora de Medina. *De Torres pag. 817.*

Palmae in monasterio s. Clarae provinciae Angelorum ad Dominum abiit die xxiii. Octobris Leonora ex comitibus de Portocarrero, virgo magni spiritus altaeque contemplationis. Cruentis flagellis corpus dilacerabat assiduisque ieiuniis in pane et aqua. Praesedit abbatissa monasteriis Palmensi et Constantiniensi, subditarum spiritum fovens paupertatis, humilitatis ac observantiae regularis exemplo.

Leonora de Portocarrero. *De Guadalupe pag.* 561.

LXXXVII. Decessit die ii. Februarii in monasterio de Esperanza de Abrantes in provincia Portugalliae Christina de Angelis, singulari prorsus charitate dicata erga ss. eucharistiae sacramentum; genibus enim flexis ante sacrum altare die ac nocte ferventes preces fundebat. In monasterio Consolationis de Figueiro eiusdem provinciae obiit die v. Aprilis Iustina de Salvatore. In divinis contemplationibus saepe elevabatur. Orationis praesidio obtinuit a Deo alimoniam extemplo monialibus summa in egestate constitutis. Die vi. Augusti migravit e vita in monasterio s. Clarae de Goarda laudatae provinciae Maria a Purificatione. Diris quatuor per hebdomadis dies fragris se caedebat, et aliquot panis unciis quotidie se reficiebat. Carcinomatis morbum in pectore affectam a mensibus novem quod ob virgineum pudorem suis manibus medebatur, patientia summa tulit, illud crebro repetens: *misericordias Domini in aeternum cantabo.* Eo in monasterio die vi. Decembris obiit Isabella Baptista, inter conversas, ut vulgo dicitur, humilitatis gratia cooptata. Hilari vultu monasterii munia semper gessit humiliora, cunctis interim sororibus summa charitate deserviens.

Christina de Angelis. *Agiolog. Lusitan. ad diem* 2. *Februarii.*

Iustina de Salvatore. *Ibidem ad diem* 5. *Aprilis.*

Maria a Purificatione. *De Esperanza tom.* 2. *pag.* 334.

Isabella Baptista. *Idem ibid. pag* 335.

LXXXVIII. In monasterio s. Ioannis Baptistae Monacensi provinciae Bavariae decessit die xix. Iulii Catharina Nadler tertiaria, anno aetatis suae xxxi. Ultimo morbo correpta, miram patientiam ostendit, et fervidos charitatis erga Deum actus emisit. Acerrima certamina cum daemonibus eo tempore tulit; at de iis, invocatis b. Virginis ac s. Francisci nominibus, illustre triumphum reportabat. Die xxxi. Iulii obiit in monasterio s. Crucis tertii ordinis Ulmeti in provincia Conceptionis Agnes Bizzerra, virgo orationibus, lacrymis et charitatis operibus sedulo intenta.

Catharina Nadler. *Greiderer tom.* 2. *pag.* 378. *n.* 228.

Agnes Bizzerra. *Arturus ad diem* 31 *Iulii.*

LXXXIX. Viri docti ex fratribus de observantia decedunt. In conventu Mealhada in provincia Arrabidorum obiit die xvii. Aprilis Alphonsus a Mediana ex oppido Carrionis Veteris Castellae et provinciae Conceptionis, vir pius, humilis ac placidi moris. Scripsit vulgari lingua tractatum iterato excusum *de oratione et contemplatione.* Salamanticae e vivis ereptus est Marcellus de Ribandeneira hispanus. Praeter a nobis commemorata, eius sunt scripta nimirum *laudes et praerogativae s. p. n. Francisci et duodecim eiusdem sociorum; privilegia et decora cinctorii seu chordae s. Francisci; excellentiae et decora b. Mariae Magdalenae.* Hispanice vulgavit *sermonem summi sacerdotis Tartarorum.* Inter conventuales obiit Pisis vir doctus Franciscus Maurus e Montegranario cum in ea civitate munus gereret inquisitoris generalis contra haereticam pravitatem et theologi primarii illius universitatis. Praeter librum ab eo scriptum *de schola monachali*, ipsius est etiam *epigramma* doctum, quod legitur in principio *compendii privilegiorum* Hieronymi a Sorbo capucini anno mdxciv. editi.

Agiologium Lusit. ad diem 17. *Aprilis* *Sbaralea lit. A.*

Wadd. et Sbaralea lit. M.
Ann. min. ad ann. 1597. *n* 86 *ad ann* 1601 *n* 76 *ad ann.* 1602. *n* 41.

Idem lit. F

XC. Alii minoritae conventuales literis praestantes florent. Cum ab anno mdcii. inter Paulum summum pontificem et Venetam rempublicam ob nonnullas leges ab ipsa latas, quibus apostolicae sedis iura laedebantur, ortum esset dissidium et pontificium interdictum peperisset, Marcus Antonius Capellus, non vero Antonius Capellus, ut scribit Waddingus, Atestinus ex Veneta

Wadd lit. A. *Sbaralea lit. M*

provincia aliqua super hac re vulgavit. Eius est enim hoc anno editus Venetiis typis Roberti Meietti *tractatus de interdicto Pauli v. num legitime publicatum fuit in Venetos una cum aliis vi. theologis compositus* sermone italico. Liber positus fuit in indice librorum prohibitorum. Item scripsit opus *de controversiis inter summum pontificem et Venetam rempublicam*, italico item sermone. Contra eum scripserunt Antonius Possevinus, Benedictus Iustinianus, Iacobus Gretzerus, Paulus Comitolius iesuita et Lelius Medici conventualis. *Responsum* eius sive *rescriptum ea de re ad Antonium Possevinum* extat cusum Venetiis hoc eodem anno et Vicentiae anno insequenti.
Sbaral. lit. S. Sanctes Sala Panormitanus concionator magni fervoris scripsit et Florentiae edidit *methodum recitandi devotas preces*, vulgo *coronam humanitatis Christi Domini a se inventam*.
Idem lit. T. Theodorus Pelleonus ex Apiro provinciae Marchiae, egregius item verbi Dei praeco praecipue apud Taurinos populos, edidit hoc anno *orationem in laudem s. Bassiani episcopi Laudiensis* ab eo habitam in maiori ecclesia illius urbis, apud Paulum Bertuettum impressam.

XCI. In observantium familia florebat Alphousus Trugillo Mexici natus,
Beristain in biblioth. Mexicana lit. T. strenuus verbi Dei praeco triginta annorum spatio. Scripsit *sermones para todos los domingos y festividades del ano, quatro diferentes para cada dia in lengua megicano*. Scripsit etiam auxilio Stephani Bravo opus *sermonario completo quadruplo*, typis commissum hoc anno a fratre Ioanne Baptista sodali suo, qui in prologo operi praefixo eius ingenium commendat.
Sbaralea lit. B. et Wadd. Bernardinus Bonavoglia Fulginas concionator et lector generalis vulgavit Romae typis HH. Aloisii Zanetti opus dicatum Francisco cardinali Sfortiae, cui titulus *quintuplices quodragesimales inventiones*. Anno MDCVII. etiam Coloniae impressum fuit. In prologo spem facit auctor aliorum operum; inquit enim: *quoniam si huius primi tomi inventiones vobis placuisse cognoverimus, alios duos de tempore scilicet et de sanctis edemus, necnon de componendis concionibus instructiones: et quadragesimalium etiam evangeliorum passus quatuordecim viis modisque explicatos, sacrae videlicet scripturae auctoritatibus, figuris, conceptibus, pp. doctrinis, scholasticorum rationibus, conciliis, sacris concionibus, legum inductionibus, philosophorum placitis, multigenis exemplis, astrologia mystica, poetarum dictis, antiquis hieroglyphicis ac tandem historiis variis tum sacris tum ethnicis.* Ea adornasse significare videtur ante sui obitum, quae tamen non edidit. Decessit
Sbaralea lit. L. enim in patria anno MDCIX. Ludovicus de Robelledo minister provinciae Baeticae Toleti edidit hoc anno praelo Thomae de Guzman *orationem funebrem in exequiis comitis de Chincau* ad comitium generale eadem in civitate coactum.

Wadd. et Sbaralea lit. N. XCII. Eiusdem instituti Nicolaus Gazzaeus Attrebatensis vulgavit Duaci *sacrum misericordiae palatium variis sacrae scripturae locis, atque septem misericordiae operibus quasi peristromatibus exornatum*. Ex gallico in idioma latinum convertit Ioannes Schillert eiusdem ordinis, quod anno MDCXVIII.
Sbaralea lit. P. typis Ioannis Schleuter vulgatum fuit Augustae Trevirorum. Petrus de Abreu sive de Abergo ex provincia Baetica, XXIII. annos natus sacrae theologiae professor edidit Hispali per Clementem Hidardo eius *orationem funebrem in obitu ducissae de Medinacoeli*. Anno aetatis suae circiter XLIV. Duaci edidit
Idem lit. P. per Petrum Borremanum nuncupavitque Paulo v. pontifici Philippus Boscherius opus latinum a se scriptum hoc titulo: *orator Terrae Sanctae, seu philippicae sacrae adversus turcarum tyrannidem et importunas christia-*

Digitized by Google

norum discordias ex psalmo *Deus, venerunt gentes etc.* Seraphinus a Calatabierone ex provincia Sicula Neapoli praelo Iacobi Carlini vulgavit *regulalam succintam proficere cupientibus in oratione mentali et vocali.* Silvester Puppiansis Hetruscus collegit et edidit *pia carmina de s. Francisco et Monte Alverniae, et de mysteriis vitae Domini nostri Iesu Christi* hetrusco sermone scripta hoc titulo *sette canzoni di sette famosi autori* (nimirum *Chrysostomi Talenti* monaci Vallis Umbrosae, *Desiderii Scaglia* ordinis praedicatorum, *Francisci Lelii Ubaldini* minoritae de observantia, *Gabrielis Chiabrera*, *Maffei Venerii* episcopi Corcyrensis, *Pauli Aemilii Barbarossae* eremitarum s. Augustini, et *Petri Martyris Naldini* ordinis praedicatorum) *in lode di s. Francesco d' Assisi*, adiunctis carminibus fratris Bernardini Turramini minoritae de observantia. Florentiae haec vulgavit typis Antonii Chanei, et Raphaelis Grossi. Eadem in civitate publici iuris fecit per Volemar Timan *rime spirituali di diversi autori in lode del serafico padre s. Francisco, e del sacro monte della Verna.* Item praelo Ioannis Chanei ibidem edidit *seconda parte delle rime spirituali di diversi autori sopra varie materie intorno all' incarnazione, natività, passione e morte di nostro Signore, e altre in lode della Madonna e d' altri Santi con la sequenze.* Ludovicus Hieronymi de Ore ex provincia ss. xii. Apostolorum Peruviani regni typis commisit Alexandrinae Statelliorum *tractatum de indulgentiis.* Stephanus Materre Gallus ex Aquitaniae provincia edidit gallice apud Ioannem Sevestre Parisiis librum, cui titulus *horologium spirituale.* Vigilius Greiderer meminit Ioannis Francisci Kemminger hoc anno defuncti, qui haereticis per quaedam opuscula bellum indixerat. Coelestinus Bergomas capucinus per valerinm Venturam Bergomi edidit *vitam ss. martyrum Firmi et Rustici.*

Idem ibi. S.

Wadd. et Sbar. ibi. L. et ibi. S.

Greiderer tom. 2. p. 571. n. 215. Sbaralea ibi. C.

XCIII. Matthaeus de Burgos episcopus Pampelonensis die xvi. Ianuarii transfertur ad ecclesiam Saguntinam die v. Novembris. Stephanus Cecchi fit episcopus Samandriensis sub archiepiscopatu Spalatensi. Hic successit Nicolao Ugrinovichio, de quo ita Daniel Farlati. « Sub exitum saeculi xvi. fr. Nicolaus Ugrinovichius ex ordine franciscano episcopus Samandriensis, Dumnensem pariter et Macariensem ecclesiam sibi commendatam administrabat. Huic M. Antonius de Dominis archiepiscopus Spalaten. procurationem utriusque ecclesiae adimere conatus est; utramque enim ad suam dioecesim adiungere cupiebat. Illum igitur inscitiae et incuriae accusavit apud Michaelem Priolum episcopum Vicentinum anno mdciii. cum is visitatoris apostolici munere in Dalmatia fungeretur. Aiebat praeterea Nicolaum suae diocesis Samandriensis contentum esse debere; triplicis dioeceseos administrationem latius patere quam unus idemque episcopus, qua opus erat, vigilantiam, curam operamque singulis impendere posset; certe quidem Nicolaum mediocriter a doctrina, angustius etiam a natura instructum, tanto oneri ferendo non esse. Sed nihil aliud impetrare potuit, quam ut visitator apostolicus unam alteramve parochiam ab episcopatu divulsam cum dioecesi Spalatensi coniungeret. Post mortem Nicolai Ugrinovichii a turcis anno mdcvi. interfecti, M. Antonius suae potestatis et iurisdictionis amplificandae cupidus, apud Paulum v. omnem contentionem adhibuit, ut Dumnensem et Macariensem episcopatum aboleret; quidquid vero terrarum ac gentium utrique suberat, dioecesi Spalatensi attribuerit. Ea de re dum Romae consulitur, neutri ecclesiae datus est episcopus, sed procuratio utriusque demandata fuit patribus Franciscanis de observantia usque ad an-

Farlati in Illyrico sacro tom. 4. pag. 181.

num MDCXV. » Episcopus Cavensis in regno Neapolitano institutus est die XI. Decembris Caesar Lippi a Mordano in Agro Imolensi minorita conventualis. Minoritae de observantia obtinuerunt sui instituti patronum Pompeium cardinalem, Arigonium nuucupatum, tituli s. Balbinae, loco Hieronymi cardinalis Matthaei iam defuncti: *Cum per obitum* die II. Martii.

XCIV. Hoc anno XIV. colendas Octobris solemnia vota Deo emisit in coenobio immaculatae Conceptionis oppidi Matozinhi provinciae Portugalliae minorum de observantia Lucas Waddingus, die XVI. Octobris an. MDLXXXVIII. Woterfordiae in Hibernia, parentibus Gualtero et Anastasia, opibus, sanguinis claritate et catholica fide illustribus natus. Eius vitam longo sermone scripsit Franciscus Haroldus item franciscanus, primo eorundem Annalium volumini praefixam, in qua dicit se nescire, qui irrepserit annus MDCVI. et dies XIV. calendos Octobris, cum IX. calendas Octobris anno MDCV. solemnia vota Deo nuncupaverit. Quidquid de hac re sit, viderint alii. Caeterum Lucas noster emicuit ab adolescentia pietatis spiritu, et pueriles ludos declinans, opellis consuendis, scribendis et legendis summopere delectabatur. Utroque parente anno aetatis suae XIV. orbatus, in Lusitaniam advenit cum Matthaeo germano suo, et in seminario pro Hibernis Ulysipone instituto collocatus, sub disciplina patrum societatis Iesu philosophiae cursum quem in patria inceperat, per sex menses continuavit. Minorum ordini adscriptus, ea subinde praestantis sui ingenii specimina edidit, ut magnam apud omnes aestimationem sibi conciliaverit. Alia de eo suo loco dicemus.

Gallia christiana t. 2. pag. 299.

XCV. Franciscus Rupifulcardius archiepiscopus Clarimontanus die XXIX. Octobris consecravit ecclesiam capucinorum oppidi Billomii suae dioecesis. Hoc eodem anno consecrata fuit ecclesia s. Salvatoris conventus observantium Ilbae vel Etaliae Insulae, sive Portus Ferrari in provincia Hetruriae. Extat marmori incisa inscriptio sequens.

Ann. min. ad ann. 1589. n. 147.

D. O. M.

ALEXANDER PETEVCCIVS GRATIA DEI ET APOSTOLICAE SEDIS EPISCOPVS MASSAE ET POPOLONIAE AN. DOMINI MDCVI. DE MENSE SEPTEMBRIS IN HONOREM S. SALVATORIS HANC ECCLESIAM CONSECRAVIT ET SINGVLIS CHRISTIFIDELIBVS IPSAM VISITANTIBVS XXXX. DIES DE VERA INDVLGENTIA IN FORMA ECCLESIAE CONSUETA CONCESSIT DECLARANS QVOD EIVS ANNIVERSARIVM SIT DOMINICA III. EIVSDEM MENSIS. FERDINANDO MED. MAG. DVCE HETRVRIAE III. DOMINANTE.

XCVI. Lata constitutione quam vulgamus, revocat summus pontifex indulgentias concessas a suis praedecessoribus regularibus cuiusvis ordinis et alias de novo concedit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cherubinus in bull. tom. 3. pag. 202.

Romanus pontifex in b. Petri sede constitutus cui inter alia coelestis indulgentiarum thesauri dispensandi cura incumbit, solicite prospicere debet ac solerter, ut huiusmodi indulgentiarum dispensatio et usus ad Dei gloriam et animarum salutem praecipue dirigatur, et ne ex illarum multiplicitate confusio aut inanis interpretatio exoriatur.

§. 1. Proinde cum fel. rec. Clemens papa viii. praedecessor noster magna cum diligentia et solicitudine procuraverit, abusus et corruptelas tum in communicando indulgentiarum thesauros tum in modo illos recipiendi irreptos tollere, et propterea sua quadam constitutione formam aggregandi, instituendi et recte administrandi societates et confraternitates praescripserit, licet morte praeventus hanc piam eius voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam ut cogitaverat, circa indulgentias a plerisque romanis pontificibus praedecessoribus, religionibus et ordinibus monasticis et mendicantibus diversis temporibus concessas aliquid deliberare potuerit.

§. 2. Nos qui nullis nostris meritis, sed sola Dei benignitate ad summi apostolatus officium vocati sumus, susceptum a tanto pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum catholicae ecclesiae regimen suscepimus, venerabilibus fratribus nostris s. r. e. cardinalibus ad hoc opus a dicto Clemente praedecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius Clementis praedecessoris eramus, iniunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, et indulgentias regularibus concessas recognoscerent, illisque recognitis rem nobiscum communicarent.

§. 3. Cum itaque praefati cardinales privilegia, concessiones et gratias praedictis religionibus et ordinibus concessas diligenter inspexerint et examinaverint, ac eorumdem superiores et officiales pluries audiverint, ac circa easdem indulgentias varia dubia et incertitudines et confusiones adesse comperierint, et ex iudicio eorumdem etiam secularium vel aliquorum ex illis nobis proposuerint valde expedire pro eorum maiori securitate et beneficio, ut indulgentias ipsis religionibus et ordinibus ad instar vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas annullaremus ac alias particulares illis concederemus.

§. 4. Nos matura super hoc consultatione praehabita, cupientes personis regularibus quorumvis ordinum tam monasticorum quam mendicantium spirituale solatium et iuvamen afferre, infrascriptas indulgentias et gratias quas personis regularibus intra claustra aut extra, cum licentia tamen suorum superiorum legitima de causa illis concessa degentibus tantummodo suffragari debere declaramus, concedendas duximus.

§. 5. Omnibus igitur christifidelibus qui canonice et iuxta ordines cuiuslibet religionis et constitutiones apostolicas habitum regularem a legitimis superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam religionem, si vere poenitentibus et confessi ss. eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam.

§. 6. Ac cuilibet novitio qui poenitens et confessus ac sacra communione refectus, post completum probationis annum professionem emiserit, etiam plenariam.

§. 7. Necnon cuilibet religioso intra claustra sui monasterii viventi, qui in festo principali sui ordinis confessus et sacra communione refectus fuerit, aut missam recitans pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, romani pontificis salute, ac sanctae matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam.

§. 8. In cuiuslibet vero mortis articulo si pariter vere poenitens et confessus ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Iesu ore, si potuerit, sin autem corde devote invocaverit, etiam plenariam.

§. 9. Qui vero ad presbyteratus ordinem canonice promotus et confessus primam missam celebrabit, necnon etiam iis religiosis qui pariter confessi ac sacra communione refecti eidem missae interfuerint aut ipso die missam similiter celebrabunt, etiam plenariam.

§. 10. Is vero qui de suorum superiorum licentia a negotiis per decem dies alieni in cella commorabuntur aut ab aliorum conversatione separati, in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem et spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo saepe considerationes et meditationes mysteriorum fidei catholicae, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, passionis d. n. Iesu Christi, et aliorum exercitiorum et orationum iaculatoriarum aut vocalium, saltem per duas horas in diem et noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem aut annualem, vel ordinariam, ss. eucharistiae sacramentum sumpserint, aut missam celebraverint, quoties pro quolibet praedictorum exercitiorum plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 11. Praeterea iidem religiosi intra claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, consequantur easdem indulgentias quas visitantes ecclesias Urbis, et extra eam diebus stationum consequuntur in omnibus diebus perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitarent.

§. 12. Omnibus item religiosis intra claustra, ut supra, viventibus, qui quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam ante altare earum ecclesiae, in quolibet die quinque annos et totidem quadragenas.

§. 13. Iis vero qui de suorum superiorum licentia in itinere existentes aut extra claustra degentes, tamquam praedicatores et lectores quinquies eamdem orationem dominicam, et toties salutationem angelicam ante altare similiter dixerint, etiam quinque annos et totidem quadragenas.

§. 14. Necnon etiam eisdem religiosis qui per mensem integrum, singulis diebus spatio mediae horae orationem mentalem fecerint, ac confessi et sacra communione ultima dominica mensis huiusmodi refecti fuerint, sexaginta annos et totidem quadragenas.

§. 15. Qui vero contrito corde et poenitentes eorum culpas et peccata, ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt et spiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient, tres annos et totidem quadragenas.

§. 16. Quotiescumque autem de licentia summi pontificis aut suorum superiorum in ditiones et terras infidelium, aut haereticorum ad concionandum aut catholicos docendum, vel infideles et haereticos ipsos ad fidem catholicam convertendum, et ecclesiae gremio reducendum missi fuerint, si poenitentes et confessi ac sanctissima communione refecti fuerint, vel missam celebraverint, ut melius ad huiusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri se accingent et quando in provinciam ubi praedicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus et elargimur.

§. 17. Et insuper cum superior in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis religiosis qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum, in diverso tem-

pore interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, romani pontificis salute ac sanctae matris ecclesiae exaltatione, necnon disciplinae et observantiae regularis augmento, pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, ai confessi et sacra communione refecti fuerint, aut missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam et remissionem, ut praefertur, concedimus.

§. 18. Volumus autem ut omnes supradictae indulgentiae et gratiae religiosis regularibus cuiusvis ordinis tam monastici quam mendicantis dumtaxat, ut praefertur, concessae, etiam omnibus monialibus cuiusvis regulae approbatae et intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus et perpetuam clausuram servantibus tam ordinariis locorum, quam etiam regularibus cuiuscumque ordinis, regulae et instituti subiectis suffragentur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. 19. Caeterum omnes et singulas indulgentias quibuscumque ordinibus et institutis regularibus huiusmodi etiam mendicantibus et quibuslibet personis regularibus, tam vigore privilegiorum et literarum apostolicarum, quam vivae vocis oraculo aut alias quovis modo per quoscumque romanos pontifices praedecessores nostros, ac nos et apostolicam sedem hactenus concessas, confirmatas, et approbatas et innovatas, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo revocamus, cassamus, annullamus et abrogamus, et ad praesentium nostrarum literarum praescriptum reducimus et moderamur.

§. 20. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eorumdem ordinum et institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alios roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam mare magnum et bulla aurea nuncupatis, eisdem ordinibus et institutis eorumque monasteriis, conventibus, collegiis, domibus, superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 21. Volumus autem ut praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides habeatur ubique, quae praesentibus ipsis originalibus literis haberetur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XXIII. Maii MDCVI. pontificatus nostri anno II.

M. Vestrius Barbianus.

XCVII. Subortis quibusdam difficultatibus super huiusmodi constitutionis intelligentia ac ad sacram indulgentiarum congregationem delatis. Pompeius Arigonius s. r. e. cardinalis et ordinis nostri patronus, mentem eiusdem s. congregationis aperuit literis datis ad episcopum Senensem, quibus dicitur revocatas fuisse dumtaxat indulgentias personales, non vero eas ecclesiis regularium concessas. *Perchè molti*, sic ille, *dubitano se per la costitutione di sua Beatitudine sopra l'indulgenze concesse ultimamente alle persone religiose* Theodorus a Spiritu sancto de indulg. par. 2. pag. 93.

con la revocatione delle antiche, venghino revocate anche l' indulgenze concesse alle chiese de regolari, et a quei che le visitano; ancorchè la costitutione comprendi solamente persone regolari senza estensione alle chiese, tuttavia la sacra congregazione per levare ogni dubbio dichiara, che le indulgenze concesse a quelli che visitano le chiese de' regolari, stanno nella loro forza e vigore, finochè la santità sua farà altra dichiarazione, e però si possino lasciare pubblicare, quando non osti altra cosa. Di Roma VII. *Settembre* MDCVII.

Il cardinale Arigona datario.

XCVIII. Lata subinde ab Innocentio XI. constitutione decernit in ea minime eos comprehendi qui substantialia non emiserunt vota sive intra vel extra claustra degentes.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Chronologia seraph. tom 3. pag 272. Alias emanavit a congregatione ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praeposita, decretum tenoris qui sequitur, videlicet: *dubio per virum religiosum s. congregationi proposito et in ea examinato, utrum in generali revocatione indulgentiarum quae in brevi* Romanus pontifex *Pauli V. habetur dat.* XXIII. *Maii* MDCVI. *comprehendantur personae, quae substantialia religionis vota non emittunt, intra vel extra claustra degentes? eadem congregatio respondit, eas minime comprehendi. A. card. Homodeus, Michael Angelus Riccius s. c. secretarius* ».

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Franciscus Diaz a s. Bonaventura lector generalis iubilatus, s. inquisitionis qualificator et in romana curia pro ultramontana familia obedientiae et directioni ministri generalis ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum subiecta, commissarius generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos ipsum Franciscum commissarium generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam

in iudicio quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die x. Octobris MDCLXXXVI. pontificatus nostri anno XI.

XCIX. Aliqua statuit summus pontifex. Mandat fratribus de observantia provinciae Sardiniae, ne sub eorum regimine reducere audeant fratres conventuales, nec sui iures facere eorum coenobia ea in insula posita: *Quae religiosorum* die I. Iulii; revocat facultatem superioribus regularibus concessam cognoscendi causas suorum subditorum ad officium sanctae inquisitionis pertinentes: *Romanus Pontifex* die I. Septembris; ne aliquis absque licentia Bernardini Bonavoglia de Fulgineo minorita de observantia imprimat opus suum, cui titulus *quintuplices sacrae quadragesimales inventiones*: *Cum sicut* die x. Octobris; mandat nuncio apostolico in Hispaniarum regno, ut fratres claustrales de tertio ordine eodem habitus colore quem gestant fratres de observantia in eodem regno, uti cogat: *Quae inter religiosos* die XVIII. Septembris.

C. Indulget, ut fratres discalceati de sola licentia ordinariorum ubique aedificare valeant coenobia: *Ad ecclesiae militantis* die v. Septembris; similia concedit fratribus capucinis in regno Hispaniarum: *Ad uberes* die v. Septembris; adprobat concordiam initam ministrum generalem conventualium inter et fratres coenobii Perusino circa locum et ecclesiam s. Mariae Appareto Neapolis: *Decet* die XXX. Ianuarii; commutat voluntatem testatricis: *Expositum* die VI. Iunii; item commutat voluntatem quondam Francisci Todosellini super legato sex mille missarum fratribus reformatis conventus Mediolani in loco dicto *il Giardino*, relicto enm onere celebrandi unam missam quotidianam et dicendi psalmi *De profundis* post vesperas et completorium, cum reductione dicti oneris ad mille missas dumtaxat: *Exponi nobis* die XIII. Maii; adprobat erectionem oratorii peractam a Ioanna Dormier ducissa Feriae in ecclesia monasterii s. Clarae de Zafra: *Decet* die XIII. Novembris; indulget, ut moniales monasterii corporis Christi Villae de Bornos Hispalen. dioecesis licet ordini non subiectae, iisdem privilegiis fruantur, velut si ordini subessent: *Vestro nomine* die x. Ianuarii; confirmat privilegia concessa monialibus ss. Annuntiationis Bituricensis ordini subiectis: *Volentes* die XX. Iulii; indulget, ut Francisca de los Angeles et Beatrix a s. Thoma professae in monasterio conceptionis Tlaxcallen. possint habere reditus ad proprios usus: *Exponi nobis* die x. Ianuarii; ut Bernardinus Panormitanus minorita de observantia possit levare ss. reliquias ex hypogaeis de Urbe: *Cum sicut* die XX. Februarii; similia indulget Ioanni Pobu ex fratribus discalceatis: *Cum sicut* die VIII. Augusti; indulget Francisco Gonzaga episcopo Mantuano, ut possit amovere quaedam manuscripta e bibliotheca coenobii fratrum observantium s. Martini ab Aggere: *Alias* die XIX. Aprilis; ut Bonaventura Secusius patriarcha Constantinopolitanus et episcopus Poctensis possit locare quaedam casalia in Insula Cretae: *Cum sicut* die x. Iulii; ut confratres confraternitatis conceptionis Ferrariae possint singulis annis liberare unum in carceribus detentum, morte mulctatum: *Pias* die IV. Martii.

CI. Concedit altare privilegiatum s. Antonii de Padua in ecclesia fratrum reformatorum Neritonen. *Omnium saluti* die x. Februarii; altare s. Francisci in ecclesia fratrum tertii ordinis b. Mariae de Misericordia Panormi. *Omnium saluti* die XXIX. Aprilis; altare assumptionis b. Mariae virginis in

ecclesia conventus de Pace Mediolanen. *Omnium saluti* die xviii. Augusti. Ecclesia haec nostro tempore obvenit clero saeculari, ubi munis parochialia peraguntur. Ad triennium concedit altare privilegiatum s. Ioannis evangelistae in ecclesia eiusdem nominis fratrum conventualium Aretin. *Omnium saluti* die xi. Augusti; transfert altare privilegiatum s. Antonii de Padua ad altare Pietatis in ecclesia s. Francisci oppidi de Almacan. Seguntin. dioecesis: *Omnium saluti* die xxxi. Iulii; transfert altare privilegiatum b. Mariae virginis ad altare maius ecclesiae oppidi Nancei Tullen. dioecesis, donec perficiatur eius fabrica expensis Caroli ducis Lotharingiae: *Omnium saluti* die xxx. Maii; confirmat altare privilegiatum ss. crucifixi in ecclesia oppidi de Orduns Calaguritan. dioecesis, ubi antea degebant fratres minores de observantia: *Alias* die xv. Aprilis.

CII. Erigit confraternitatem s. Francisci in ecclesia Genneu. *Cum sicut* die x. Ianuarii; confraternitatem conceptionis in ecclesia s. Francisci Urbinaten. *Cum sicut* die xv. Aprilis; confraternitatem conceptionis in ecclesia terrae Capitis Silvis Imolen. dioecesis: *Cum sicut* die xxii. Maii; confraternitatem chordigerorum in ecclesia s. Francisci oppidi de Maiorga Legronen. dioecesis: *Cum sicut* die xxii. Maii; confraternitatem s. Bonaventurae in ecclesia oppidi Sartbiani Clusin. dioecesis: *Cum sicut* die xx. Maii; concedit indulgentias visitantibus oratorium s. Francisci erectum in ecclesia collegiata oppidi de Pougy Trecen. dioecesis impensis Francisci ducis Luxemburgi: *Exponi nobis* die v. Ianuarii.

CIII. Sunt et alia diplomata a Petro de Alva relata. Commutatio voluntatis et extinctio legati perpetui missarum: *Expositum nobis* die xxvii. Iunii; confirmatio indulgentiae Portiunculae pro regnis Hispaniarum: *Cum sicut* die xxiii. Maii; pro conventu s. Angeli de Cremona circa legata: *Exponi nobis* die xxiii. Iunii; indulgentia s. Antonii in oppido de Coetta Seguntin. *De salute* idibus Septembris; circa bona monialium clarissarum s. Catharinae Cinguli Auximan. dioecesis: *Ex iniuncto* xvi. calendas Septembris; pro monialibus s. Silvestri, seu s. Mariae Magdalenae de Urbe: *Ex iniuncto* x. calendas Iulii; abbatialis pro Ludovica de Goudis moniali clarissa: *Religionis zelus* vii. calendas Iunii; pro monasterio clarissarum loci de Martinengo Bergomen. *Ex iniuncto* vi. calendas Februarii; pro beneficio fr. Francisci de Testa capucini: *Vitae et morum* pridie calendas Novembris; indulgentia pro die conceptionis in ecclesia Granaten. *De salute* nonis Augusti; de prioratu conceptionis b. Mariae virginis oppidi de Camelio Colymbricen. *Vitae et morum* nobis Maii; pro monasterio clarissarum de Iesu Asten. *Ex iniuncto* vii. calendas Octobris; circa monasterium monialium de Palatio Spoletan. *Ex iniuncto* xiv. calendas Martii; pro monasterio monialium oppidi de Arada de Duero Oxomen. *Ex iniuncto* iii. calendas Aprilis; pensio pro monialibus clarissis s. Crucis Legionen. *Regularium* vi. idus Augusti; ne fratres pro quavis disciplina vel poenitentia ad superiores recurrant: *Vos Pompeius* die xv. Aprilis; ut fr. Archangelus a Messana minister generalis possit dirimere aliqua dubia in suo ordine exorta: *Sanctissimus* die xxvi. Novembris.

Sedulius pag. 183. CIV. Sequentia vulgantur miracula. Catharina uxor Guilielmi Niipels in gravissimum iucidens morbum, a medicis pro derelicta habebatur. Haec votum emisit nudipem solisque vestitam laneis processuram in solemni supplicatione b. Mariae virginis Traiecti ad Mosam. Ut votum solvit, sanitatem recuperavit.

Digitized by Google

CV. Quatuor ab binc annis Ioannes Paulus Orlandi medicus Ticiucnsis colicis doloribus dire afflictabatur semel in mense. In mense autem Aprili cum morbum per quatnor dies continuasset, in vitae periculum advenerat. Tunc ille dixit uxori suae, ut una cum filiis se conferret ad b. Bernardiui Feltriensis sepulcrum, et pro eius saluto devote illi se commendaret. Advenit mulier ad Beati sepulcrum, votumque edit Beato de procuranda celebratione missae in eius altare, si maritus convalesceret. Post haec domum reversa, obvium habuit maritum sanum, a morbi cruciatibus prorsus immunem. *Acta ss. ad diem 24. Septembris.*

CVI. Stanislaus puer, filins Sophiae Niedoperzowa Neosandecensis a morbo caduco aliquando per horas duodecim cruciabatur. Cum nulla bumana remedia ad enm sanandum valerent, eum devnvit mater b. Cunegundae, ac ante eius altare constituit. Quo peracto, liber evasit a morbo idem puerulns. Similia obtiuuit Iacobus filius Felicis mulieris item Neosandecensis annorum quatnor, voto ab ipsa facto adeundi Beati sepulcrum. *Acta ss. ad diem 24. Iulii.*

ARGUMENTUM

Hebraeorum molimina pro diruenda Hierosolymitana ss. sepulcri ecclesia. Interdicit summus pontifex inquisitionem corporis s. patris Francisci. Sublato, Pii VII. pontificis voluntate, interdicto, sacrae eius exuviae in basilica Assisiensi deteguntur. Acta cannonizationis b. Iacobi a Marchia iterum resumuntur. Ioannis Neyen labores pro conficiendis induciis inter confoederatos Bataviae principes. Partitur provincia ss. Petri et Pauli de Mechoacan. Coenobiorum ac monasteriorum numerus augetur. Plures viri Dei ac virgines coelestia petunt. Viri docti inclarent et obeunt. Prosequuntur gesta s. Francisci Solani. Episcopi et inquisitores instituuntur, et ordo favoribus pontificiis augetur.

Cassini Terra Sancta tom. 2 pag 91.

A Gente Bonifacio Ragusino Terrae Sanctae custode, postea episcopo Stagnensi, ab anno MDLV. magnis sumptibus Caroli V. Hispaniarum regis, manus admotae fuerunt ad reficiendum ss. sepulcri tholum temporis vetustate ruinae proximum. Philippus autem II. eius filius parentis sui vestigia sequutus, aere proprio vetus marmoreum sacellum quod continebat sacrum Christi sepulcrum amovit, illudque novo opere instruxit. In aperienda anteriori parte illius loculi visum fuit Christi Domini sepulcrum effossum in scrupeo saxo in quo coloribus expressi erant duo angeli: in ore alterius illa verba notabantur: SURREXIT, NON EST HIC; postremus digito signans vacuum sepulcrum sequentia verba occurrebant: ECCE LOCUS UBI POSUERUNT EUM. Cuncta tamen vix exposita illico evanuerunt.

II. Amota interim alabastri lapide qua sepulcrum loco illius primo ibidem posita, occlusum fuerat, quique amplius reperiri haud potuit, rutilus fulgor micavit ex quibusdam sanguinis Iesu Christi guttis, balsamo quo eius corpus inunctum fuit, mixtis, in fundi sepulcro repertis. Pars etiam signi cum quibusdam literis in eo scriptis, iniuria temporis pene consumptis, comperta fuit. Parva postremo membranaceae memoriae pars etiam inventa fuit, in qua scripta erant haec verba: HELENA MAGNI, olim forte etiam adiuncta et sequentia: CONSTANTINI MATER. Iis igitur inspectis, sacrum Christi sepulcrum duplici pari lapide occlusum fuit.

III. Ex iis indignati hebraei Hierosolymitanam urbem incolentes, hoc anno quingenta aureorum millia Abameto I. filio Mahometis II. Turcarum imperatoris obtulerunt, ut ecclesiam ss. sepulcri solo aequari mandaret; quod et praestitit, capitis poena interim imposita cunctis eius mandata refragrantibus. Mortis metu deterriti et ipsi christianorum principum oratores Constantinopoli degentes, magno tum christifidelium tum franciscalium moerore, loci sancti patrocinium suscipere veriti sunt. Tunc Deus suscitavit hominem iuxta cor suum Hieronymum Capello oratorem Venetae reipublicae apud eumdem imperatorem, qui posthabito vitae suae periculo ita quo eloquio praeditus erat eloquio summo, egit, ut revocato mandato, alterum sub eadem poena consequutus est, ne quispiam scilicet illius prioris recordaretur, nec eius abrogationis rationem inquireret.

IV. Summi pontificis placito Alphonsus cardinalis Vicecomes minorum conventualium patronus diserte cavit ne ipsi fratres corpus seraphici parentis in ecclesiis basilicae Assisiensis perquirere, fossionesque aut aliud quidpiam in eum finem ibidem pertentare auderent.

Alphonsus tituli s. Sixti s. r. e. presbytor cardinalis Vicecomes ordinis minorum conventualium s. Francisci protector, gubernator et corrector, provinciae Marchiae legatus de latere etc.

Ex ordine et mandato sanctissimi patris nostri Pauli papae v. nobis facto, omnibus et singulis euiuscumque status, gradus, conditionis et praeeminentiae existant, districte interdicimus et prohibemus sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, ne in futurum audeant vel praesumant sub quovis praetextu aut quaesito colore in ecclesiis et monasterio b. Francisci civitatis Assisii ordinis minorum conventualium perquirere, seu aliquam diligentiam quovis modo facere pro inveniendo corpore vel loco, ubi requiescit corpus gloriosissimi patris s. Francisci; quam excommunicationis poenam incurrant fratres eiusdem conventus, tam si hoc attentare praesumpserint, quam si aliis auxilium aut favorem quomodolibet praestiterint, vel contra hanc prohibitionem apostolicam aliquid tentantibus omnibus viribus non restiterint. Hoc vero nostrum decretum mandamus moderno custodi eiusdem conventus, ut quamprimum publicari curet fratribus in loco et more solito, ac registrari in archivo et copiam authenticam retineri semper affixam in tabella lignea in loco conspicuo in sacristia eiusdem conventus.

Datum Maceratae die xxviii. mensis Augusti mdcvii.

A. cardinalis Vicecomes.

Loco ✠ Sigilli

Iacobus Allegrettus secretarius.

V. At summus pontifex Pius vii. derogato post bina et amplius saecula Pauli v. interdicto, precibus motus Iosephi Marino de Bonis generalis minorum conventualium administri, veniam dedit corpus ss. patriarchae in eadem basilica inquirendi. Insumpto ad id operis ingenti duarum et quinquaginta noctium occulto labore, tandem sub ara maxima inferioris Assisiensis basilicae sacrae eiusdem s. viri exuviae lapidea in arca occlusae repertae fuerunt. Totius facti memoriam literis vulgavit idem summus pontifex.

PIUS PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Assisiensem basilicam quam Gregorius ix. ob s. Francisci minoritarum parentis honorem atque ad sacrum ipsius corpus loco honestissimo condendum molitione admirabili opereque magnifico extruendam ab inchoato curavit, caeterique romani pontifices praedecessores nostri omni cultu exornarunt, insignique copia privilegiorum prae caeteris aedibus auxere, eam nobis singulari quadam divinae providentiae dispensatione datum est illo dignitatis ac gloriae splendore cumulare, qui ad perfectum absolutumque eiusdem decus desiderari unice videbatur. Communi quippe consensione percrebuerat, sub ara principe eiusdem basilicae locum esse in quo viri sanctissimi corpus extaret. Verum eo sic disponente cuius imperscrutabilia iudicia sunt, nondum adinveniri posse, atque in lucem aspectumque hominum proferri thesaurum omni auro pretiosiorem, lectissima tanti patris familia et res christiana universa condolebat. Imo quae

in causis id genus sanctae huiusce sedis provida est iugiter et cauta moderatio, visum fuit Paulo v. fel. rec. decreto ex ipsius auctoritate per Alphonsum Vicecomitem cardinalem ordinis conventualium patronum edito, diserte cavere, ut perquirere ipsum fossionesque aut aliud quidpiam in eum finem ibidem pertentare fas esset nemini. Illuxit tamen tempus a Deo praefinitum, quod incensa omnium vota tantopere adproperabant, quo nimirum vas illud Spiritus s. protrahendum foret in lucem: nostraeque humilitati tot inter tantasque summi pontificatus solicitudines fatiscenti eam Deus omnipotens delatam voluit consolationem, ut nos auspicatissimae huiusce faustitatis administros clementer adsciverit. Cum enim, conficiente Domino miserationes viasque aperiente mirabilium suorum, certis quibusdam gravibusque ex rationibus compulsi, memorato Pauli v. interdicto derogandum esse duxerimus, precibusque annuerimus a dilecto filio Iosepho Maria de Bonis ordinis minorum conventualium ministro generali perlatis, quibus de s. Francisci corpore inquirendo in Assisiensi basilica facultas poscebatur, res cessit feliciter. Longo siquidem duarum et quinquaginta noctium atque incredibili labore clam et occulte insumpto, perruptisque rupe, aggere, muris, coementis saxisque praegrandibus, locum demum introspicere datum fuit arae maximae recta prorsus suppositum, in quo arca lapidea iacebat, quam ferrei clathri validis virgis, inferiusque ac superius mirifice densis circumcludebant, quin sacras reliquias ibidem adservatas invisere prohiberent. Aditu proinde in cavum eum sinum, uti cautum fuerat, illico obstructo, reque ad nos statim delata, primum venerabili fratri Francisco episcopo Assisiensi mandatum fuit, ut ea dumtaxat quae usquedum acta proferebantur, rite ipse cognosceret, quin tum de sacris reliquiis quaestionem institueret. Ad eam quippe pro summa negotii gravitate non ipsum solum Franciscum episcopum, sed et alios praeterea venerabiles fratres Nucerinum, Spoletanum, Perusinum et Fulginatensem episcopos, datis in forma brevis apostolicis literis die viii. Ianuarii anno superiori adlegendos censuimus, ut simul in memoratum locum convenirent, reque universa accuratissime conspecta, viris artium peritis auditis et in examen vocatis, cunctisque monumentis diligenter conquisitis ac perpensis, ea omnia in acta solemnia referrent ac iuridicum super identitate sacri corporis processum peragerent, obsignarent et in Urbem mitterent, nobisque ad veritatem significarent, quid de re ipsa sentirent in Domino. Nitide iidem atque ea, qua praestant dexteritate et prudentia imposito sibi munere perfuncti sunt. Quare omnibus ad praefinitam ex sacrorum rituum congregationis institutis normam diligenter absolutis non abnuimus, acta haec ipsa iis quorum intererat, patefieri, ut quaelibet ex minoriticis familiis per suos generales procuratores libere hac in causa suam diceret sententiam, ut exinde locupletissima animadversionum documentorumque congerie in disceptationem proposita, luculentius veritas tutiusque dignosceretur. Haec porro omnia discutienda et perpendenda demandavimus iuxta Tridentini concilii decreta sessionis xxv. *de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum*, selectae cuidam congregationi quam in eum finem designavimus ex venerabilibus fratribus nostris s. r. ecclesiae cardinalibus de Somalia sacri collegii decano, eiusdem s. r. e. vice-cancellario et congregationis sacrorum rituum praefecto, Naro sacrae congregationis indulgentiarum et reliquiarum praefecto, Quarantotti et Antonio ab Auria, necnon ex dilectis filiis magistris Francisco Serlupi romanae rotae decano, Iosepho Antonio Sala memoratae rituum congregationis secretario coadiutore, Alexandro Buttaoni fidei promotore, et Aloisio Gardellini eiusdem rituum congregationis

assessore; ac demum ex tribus sacrae theologiae doctoribus atque congregationis rituum consultoribus Vincentio Garofali abbate et vicario generali canonicorum regularium ss. Salvatoris, Aloisio Ionni magistro ordinis oremitarum s. Augustini, et Antonio Maria Grandi pro-vicario ac procuratore generali congregationis clericorum regularium s. Pauli. Hinc habita ea congregatione in aedibus cancellariae apostolicae ad diem xvi. calendas Augusti, allatisque ad nos per secretarium suffragiis omnibus scripto traditis, causam universam serio diligenterque considerandam ipsi suscepimus, ac peculiari divinae sapientiae praesidio multa humilique prece exorato, decretorium tandem iudicium nostrum iuxta eiusdem selectae congregationis mentem memorato sacrorum rituum congregationis assessori, qui nos pro secretario absente calendis Augusti odivit, aperuimus, illudque per apostolicas literas explicare ac sanciro decrevimus. Benedicentes itaque Patri totius consolationis, optimaque spe recreati, novum atque illustre saluturis praesidii a sancto Viro in tanta temporum difficultate nobis praebendi testimonium ex mira hac sui corporis inventione praefulgere, de eiusdem congregationis selectae consilio et voto, apostolica auctoritate tenore praesentium edicimus ac declaramus: *constare de identitate corporis nuper sub ara maxima inferioris basilicae Assisiensis inventi, illudque revera corpus esse s. Francisci ordinis minorum fundatoris.* Decernentes hasce praesentes literas etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes vocati et auditi non fuerunt, de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari vel impugnari nullatenus posse, sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et eiusdem s. r. e. cardinales etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur praesentibus, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ne venerabile corpus ex subterraneo loco in quo sex fere saeculis quievit, alio deferatur; item ne vel minimam quidem sacrorum ossium partem liceat inde extrahi auferrique; ac demum ne arca, postquam clausa fuerit et obsignata, ullo unquam tempore absque nostro vel pro tempore existentis romani pontificis permissu reseretur. Sinimus tamen, ut si qui sint ex carnium molliumque corporearum partium intertrimento cineres ac pulveres colligantur pro reliquiis asservandi: illudque eum primis etiam atque etiam commendamus ac praecipimus, ut sacratissimus hic thesaurus ab omni prorsus iniuria atque vi tutus inviolatusque conservetur, eiusque accuratiori custodiae, tuitioni, incolumitati apprime consulatur. Quae ut rite ac pro rei sanctitate diligenter conficiantur eumdem episcopum Assisiensem et generalem conventualium mini-

strum, eoque absente, custodem basilicae pro tempore existentes, uti ab apostolica sede delegatos, in id specialiter eligimus ac deputamus. Facultatem porro facimus, nedum lapideam arcam qua sacrae exuviae clauduntur, opere eleganti pretiosisque ornatibus contegi ac ditari, sed et integrum conditorium quo ea prostrat, perpoliri. omnique cultu exornari et commodiorem aditum in ipsum aperiri. cuius quidem operis universi descriptionem rationemque nobis probandam reservamus, ac nonnisi ex nostro consensu executioni demandari permittimus. Nolumus vero patere in illud ingressum, nisi certis dumtaxat solemnioribus diebus statisque conditionibus per nos praefiniendis, aut si quando viri principes, vel s. r. e. cardinales, vel episcopi seu praesules romanae curiae gloriosum ss. Patriarchae sepulcrum veneraturi illuc accesserint. Illud tandem quoque mandamus, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die v. Septembris MDCCCXX. pontificatus nostri anno XXI.

VI. Praetermissis ab anno MDXXIV. ob plerosque in Italia tumultus artibus pro assequenda canonizatione b. Iacobi a Marchia, Pauli V. pontificis cura fuit, exorante Philippo III. Hispaniarum rege, eidem negotio manus admovere, misso diplomate ad cardinales sacrorum rituum praepositos.

PAULUS PAPA V.

Venerabiles fratres salutem et apostolicam benedictionem.

Ex processu pag. 36. Gloriosos viros in virtute divites, per quos Dominus multam gloriam fecit magnificentia sua, mater ecclesia celebrat, ut dum excellentibus meritis excellens rependitur honor, laudetur Dominus in sanctis suis, et ipsorum quasi triumphis excitati fideles, nomina quae in aeternitate vivunt in laudibus habere, corpora vero in pace sepulta venerari, ac mores qui non sibi religionem ac sanctitatem redolent, imitari assuescant. Cum itaque sicut accepimus, fel. rec. Clemens papa VII. praedecessor noster, celebri fama quae de bona memoria fratris Iacobi Piceni, de Marchia nuncupati, ordinis fratrum minorum de observantia, dum in humanis ageret, humilitate, castimonia, patientia, charitate, vigiliis reliquisque corporis fatigationibus pro Dei amore susceptis, eiusque mandatorum observantia percrebuerat, necnon eiusdem fratris Iacobi doctrinae ac vitae sanctitate, plurimorumque miraculorum motus et instantissimis inclytae memoriae Caroli V. romanorum imperatoris ac Hispaniarum regis catholici supplicationibus inclinatus, de s. r. e. cardinalium consilio et deliberatione per suas sub annulo piscatoris Romae apud s. Petrum die X. Ianuarii MDXXIV. archiepiscopo Tarentino, ac de Ischia et Maturano episcopis et per alias similes die XIII. Iulii MDXXV. expeditas literas Asculano seu eius in spiritualibus vicario generali, et Camerinensi episcopis dederit in mandatis, et per generalem informationem diligentissime se de praemissis informarent, et si per generalem huiusmodi inquisitionem eis videretur et constitisset probationes esse tales, et per eos ad specialem inquisitionem procedi et devenirі

Digitized by Google

posset, sede apostolica aliter non consulta, ad specialem praedictam inquisitionem super praemissis in civitate Neapolitana ubi praedictus frater Iacobus diem suae peregrinationis clauserat extremum, eiusque corpus apud ecclesiam domus b. Mariae Novae dicti ordinis humatum erat; et in provincia Marchiae qua oriundus erat et in qua multos annos vixerat, ac aliis adiacentibus provinciis respective devenirent, articulisque et interrogatoriis dictis, promotoreque fidei adhibito, citatione legitima praecedente testium productorum iuramenta reciperent et examinarent, ac eorum dicta in actis redigi curarent, iuraque et monumenta quae ad negotium huiusmodi facere viderentur, reciperent, aliaque omnia quae ad plenam huius rei scientiam necessaria et opportuna esse cognoscerent, perscrutarentur, ac omnia in scriptis redacta eorum sigillo clausa ad eamdem apostolicam sedem transmitterent, prout in eisdem literis plenius continetur. Cumque etiam sicut accepimus, praedicti archiepiscopus et episcopus iuxta eis attributam iurisdictionem, processus tam supra generali quam etiam speciali inquisitione formassent, et ea quae de religiosa vita dicti fratris Iacobi eiusque probitate et vivendi modo miraculorumque operatione compererant, in volumen redegissent, tandem ad praefatum praedecessorem de more transmiserunt. Cum autem, sicut pariter accepimus, propter diversa publica impedimenta ac eiusdem praedecessoris obitum, causae et negotii huiusmodi expeditio tunc dilata et per multos postmodum annos hucusque intermissa fuerit, et excrescat nihilominus in dies eiusdem fr. Iacobi miraculorum gloria hominumque ex regno Neapolitano, et ex dictae Marchiae provincia ad eius corpus quod integrum adhuc conservari dicitur, visitandum, et frequentia et concursus, qui eiusdem precibus et intercessione, ut pie creditur, in suis necessitatibus voti compotes effecti, receptorum beneficiorum tabellas in dies in maxima copia ad eius sepulcrum appenderunt et quotidie appendunt, charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, qui etiam eiusdem regni Neapolitani rex existit, et dilecti filii nobiles et populus Neapolitanus, qui singularem erga praedictum fr. Iacobum cuius corpus summa religione et devotione venerantur, saepius apud fel. rec. Clementem papam viii. praedecessorem nostrum et nos etiam egerunt et instantissimis precibus etiam per dilectum filium nobilem virum Gastonem de Moncada marchionem de Aytona oratorem instituerunt, ut causam huiusmodi canonizationis dicti fr. Iacobi assumere et ad finem perducere, ac ipsum fratrem Iacobum, si ita iudicaremus, catalogo sanctorum adscribere dignaremur. Nos igitur piis catholici regis de catholica fide optime meriti, et praedictae Neapolitanae civitatis erga nos et sedem apostolicam maxime propensae, desideriis et precibus humiliter et saepius porrectis annuentes, ac considerantes ad puritatem catholicae fidei confirmandam haereticorumque pravitatem confundendam, summa Dei providentia, qui ecclesiam suam nova subinde prole foecundare sacrosque religionis suae palmites ubique dilatare non desinit, viri huius, ut etiam accepimus, propter conciones et vitae austeritatem non in Italia solum universa, sed in Austria, Croatia, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Polonia, Germania et eis adiacentibus locis celeberrima fuit, cuiusque opera in inquisitionis officio Eugenius iv. Martinus v. Nicolaus etiam v. Callixtus iii. aliique romani pontifices ad fraticellorum et aliorum tunc pullulantium haeresum extirpationem usi sunt, quique Alberto et Sigismundo imperatoribus aliisque saecularibus et ecclesiasticis illarum partium praesulibus charissimus et venerandus extitit, nostris temporibus memoriam innovari. Motu proprio et ex certa scientia nostris negotium ca-

nonizationis eiusdem fr. Iacobi de Marchia, et causam huiusmodi in statu et terminis in quibus reperitur, reassumentes, circumspectioni vestrae de quorum singulari religionis zelo, prudentia doctrinaque cum integritate coniuncta, plurimam in Domino fiduciam habemus, negotium et causam ipsam universam examinandam, cognoscendam et ad finem usque ad sententiam exclusive producendam, nobisque et aliis fratribus nostris in consistorio de more referendam committimus, et deinde nos cum vestro aliorumque fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium consilio, quid iuxta sacrorum canonum sanctiones et eiusdem s. r. e. ritum circa illam agendum sit, ad Dei laudem et catholicae fidei exaltionem statuere valeamus, dantes vobis plenam facultatem in praemissis per vos vel alios graves viros et in dignitate ecclesiastica constitutos, integritate, sacrorumque canonum doctrina et experientia insignes, quos ad id deputandos duxeritis inquisitionem super puritate fidei, vitae ac morum sanctitate, meritis, fama et miraculis ipsius fratris Iacobi, ac populorum erga ipsum devotione, faciendi literas remissoriales et compulsoriales sub sigillo unius ex vobis pro tempore antiquioris eiusdem congregationis cardinalium, quoties opus fuerit, decernendi et relaxandi ac transmittendi, ac processus per vos seu de vestro mandato per alios rite et recte conficiendi et confectos aperiendi, ac in praemissis etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis procedendi; contradictores quoscumque vestris ac dictorum subdelegatorum mandatis non parentes per easdem censuras et poenas cogendi et compellendi, ipsosque aggravandi et reaggravandi, auxiliumque brachii saecularis. si opus fuerit, invocandi, aliaque omnia et singula faciendi, gerendi et exequendi, quae in praemissis omnibus et singulis ac circa ea necessaria fuerint seu etiam quomodolibet opportuna. Non obstantibus quibusvis cancellariae nostrae apostolicae regulis et aliis apostolicis necnon universalibus, provincialibus, synodalibus conciliis, edictis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Tusculi sub annulo piscatoris die XIII. Octobris MDCVII. pontificatus nostri anno III.

VII. Albertus VII. archidux Austriae et Belgii moderator hoc tempore usus est Ioanne Neyen Antuerpiensi generali commissario et quondam coenobii minorum de observantia eiusdem urbis guardiano, ut inter ipsum et ordines Batavos pacis inducias tentaret. De eo sic scribit Thuanus auctor coaevus. « Is a pueritia ad vigesimum usque annum protestantium doctrinae innutritus, post ad maiorum sacra redierat et severiori huic disciplinae se addixerat. De caetero vir industrius, multarum linguarum peritus, nec aulicarum artium rudis, et qui in varias partes pro ratione temporum et personarum cum quibus illi res erat, animum versare sciret, ita tamen, ut fraus et fucus ab eius pectore abesse crederetur, nec spes sua eum deceptum iri qui ipsius verbis fidem habuisset. Post aliquam in Vico proximo moram, de adventu suo ordines qui Hugae erant, certiores fecit, et post conventum Mauritium ac vicissim alios ad salutandum admissos, mandata sua exposuit, literis fere constantia, omnia ordinibus integra fore, consuetam regendi formam, libertatem, religionem in pristino statu mansuram, iura, privilegia, immunitates nullo pacto

Thuanus tom. 5. p. 1315.

imminutum iri. Bruxellas inde profectus, paulopost rediit cum literis quarum haec summa prae caeteris erat, nihil archiducibus prius aut antiquius, quam ut lamentabili XL. annorum bello finis imponeretur, pia, fida ac aeterna pace. Initis induciis summa publicae laetitiae significatione ubique accepta fuit, quamquam non deessent qui veterum odiorum fomitem e cineribus suscitare, aut animos suspicaces terrorum praeteritorum rursus ad belli consilia inflammare conarentur ». Vix haec summus pontifex intellexit, misso ad eum diplomate quod Bruxellis in archivo coenobii adservari dicitur, et pontificiam benedictionem eidem impertivit viresque anas ad caetera pro Dei gloria ac principum tranquillitate aggredienda erexit. *Monum. prov.*

VIII. Hoc anno ex provincia ss. Petri et Pauli de Mechiocan, altera erepta fuit sub invocatione s. Iacobi Novae Galiciae sive de Xalisco; id enim mandaverant patres comitii generalis anno mox elapso in urbe Vallisoletana coacti. Primum praesidem accepit Ioannem de Pena electum in capitulo provinciali Guadalfagiarae. Sequentia coenobia eidem novae provinciae adsignata fuere. *Torquemada tom. 3. pag. 333.*

PROVINCIAE S. IACOBI NOVAE GALICIAE CONVENTUS

1. S. Francisci de Guadalaxara
2. S. Francisci de Colima
3. S. Francisci de Agacatlan
4. Conceptionis de Ycatlan
5. S. Francisci de Iuchipila
6. Assumptionis de Zapotlan
7. S. Francisci de Zaqualco
8. S. Ioannis Baptistae de Tushpan
9. Transfigurationis de Autlan
10. S. Mariae Magdalenae de Capobitlan
11. S. Francisci de Sayla
12. S. Sebastiani de Techalutla
13. S. Ioannis Evangelistae de Atoyaguar
14. S. Michaelis de Teoquitcatlan
15. S. Andreae de Axixiquar
16. S. Francisci de Chiapala
17. Ss. Petri et Pauli de Pencitlan
18. S. Michaelis de Cocolen
19. S. Antonii de Padua de Tlaxomulco
20. S. Francisci de Tecul, seu Teulis
21. Conceptionis de Xala
22. S. Ioan. Baptistae de Xalisco
23. S. Francisci de Centispan
24. S. Francisci de Guainamote
25. S. Francisci de Acaponeta
26. S. Francisci de Amaeneca

PROVINCIAE SS. PETRI ET PAULI DE MECHIOCAN CONVENTUS

IX. 1. S. Bonaventurae Vallisoleti
2. S. Iacobi de Queretaro
3. Conceptionis de Selaya
4. S. Francisci de Pasquaro
5. S. Francisci de S. Philippo
6. S. Francisci de Sincoha, sive de Xinsunza
7. Assumptionis de Erogariquaro
8. S. Hieronymi de Prenchequaro
9. S. Ioseph de Taximaroa
10. S. Mariae de Gratia de Acambaro Monasterium de Queretaro.
11. S. Annae de Saeapo
12. Conceptionis de Unacapan
13. S. Francisci de Pirivan
14. S. Crucis de Tancitaro
15. S. Ioannis Baptistae de Sitaquaro
16. S. Francisci de Xiquitpan
17. S. Francisci de Apaceo
18. S. Francisci de Tarimbaro
19. S. Petri de Toliman
20. S. Mariae de Iesu de Tarequaro
21. Ss. Petri et Pauli de Cinapequero

Lopez pag. 403.

X. Aucta christifidelium messe in Iucatanica provincia fratrum minorum de observantia labore, Ferdinandus de Sopuerta illius provinciae administer, vicariae nomen attribuit domibus doctrinalibus de Cachalchen, de Mococha, de Checbemla, de Tiab et de Tikon. Anno MDCIX. huiusmodi vicariae inter coenobiorum album adnumeratae fuerunt. Erexerunt autem iidem fratres doctrinales domus in locis de Cançahcab, de Muna et de Citilcum.

Conv. Nangasachi. *Martinez lib. 3. pag. 138.* *Ann. min. ad ann. 1603. n. 1.* Conv. Osacae. Conv. Bocayama, de Fuximi, Sacay, et de Yendo. Conv. Urangaba.

XI. Agente apud Iapones Alphonso Munoz commissario, incoluere imperatoris venia fratres discalceati illius vineae cultores coenobium in civitate Nongasachi. Eis etiam obvenit et alterum Osacae, licet reluctante urbis moderatore. Cessit enim ipse fratrum votis ex festina valetudine anginae morbi assequuta, merito fratris Lucae Salas laici franciscani. Eius studio fuit etiam erectum in urbe Bocayama regni de Quiuucumi alterum coenobium. Fundata etiam fuerunt alia in civitatibus de Fuximi. Sacoy, et de Yendo. Postremum initum fuit penes litus Urangaba in regno de Quanto, XII. leucis ab urbe principe de Yendo. In Iaponiorum regione numerabantur octo aedes fratrum.

Conv. Mexici. *Torquemada tom. 3. pag. 228.*

XII. Obvenit fratribus de observantia provinciae s. Evangelii coenobium s. Mariae la Redonda Mexici, mandato Aloisii huius nominis II. de Velasco urbis pro-regis. Coenobii incolae deserviunt institutioni Iudorum. Primo aedem incoluere fratres eremitani; postea vero sodales s. Mariae de Monte Carmelo.

Conv. de Petra. *Monum. prov.*

XIII. In provincia Maioricarum initium sumpsit coenobium s. Bernardini titulo apud oppidum de Petra, incolarum sumptibus instructum, provinciae administro Dominico Sarda. Anno MDCLXXVII. coenobium et ecclesia perfectionem acceperunt. Incolitur a XVI. fratribus.

Conv. de Tenlai. *Fodere pag. 893.*

XIV. Instructis aedibus piorum eleemosynis redierunt iidem observantes in coenobium Dominae nostrae de Pietate Tanlai in provincia s. Bonaventurae, ab anno MDLXII. pulsi ab haeretico viro Dandelot. Inhabitant domum X. fratres.

Greiderer tom. 1. p. 184.

XV. Coenobium eorumdem fratrum s. Francisci Zagabriense anno MDXC. provinciae Bosniae Croatiae adiudicatum, rediit hoc tempore ad provinciam s. Mariae Hungariae, decreto Archangeli de Messana generalis ministri: *Quia conventus Zagabriensis provinciae nostrae Hungariae s. Mariae competit et modo provincia nostra Bosnae Croatiae illum, nescio qua ratione aut iure tenet et nonnullis annis retinuerit, forte propter nostrae Hungariae provinciae fratrum defectum consensu aliquorum superiorum; nam quandoquidem suae provinciae fratres Hungari restitui instanter petunt, mandamus per sanctam obedientiam sub poena excommunicationis patribus et fratribus provinciae Bosnae Croatiae, ut statim post harum receptionem dictum conventum Zagabriensem restituant provinciae nostrae s. Mariae in Hungaria cum omnibus ornamentis, calicibus, reliquiis, libris atque monilibus eidem conventui concernentibus, et a piis donatis vel relictis. Rev. quoque patri ministro Hungariae s. Mariae sub eisdem poenis et censuris praecipimus, quatenus ibidem fratres religiosos sibi obedientes mittat, antequam fratres Bosnae locum deserant, ne locus vacuus cum scandalo et periculo maneat. Datum Romae die XX. Octobris anno MDCVII. in conventu nostro s. Mariae de Aracoeli.*

Loco ✠ Sigilli

Fr. Archangelus de Messana generalis minister.

XVI. Favente Gaspare Silingardi episcopo Mutinensi inita fuit fabrica coenobii et ecclesiae ss. Trinitatis prope oppidum Finalis dioecesis Mutinensis in provincia Bononiae pro eisdem minoritis de observantia. Rem promovit Caesar Arigonius eiusdem instituti, ex nobili familia de Arigoniis Mantuae natus. Aedes oppidanorum impensis instructa pro hospitio fratrum extitit usque ad annum MDCXXVI; nam Raphael a Bononia eam in coenobiorum provinciae album admisit. Marmori haec obviat memoria in parte interiori illius ecclesiae. Conv. Finalis. *Flaminius a Parma tom. 1. pag. 517.*

KAL. IVL. M. DC. VII.
TEMPLVM HOC SER.^MO^ CAESARE DVCE
ILL.^MO^ CARD. ARRIGONIO TVNC PROTECTORE
IN SANCTISSIMAE TRINITATIS OBSEQVIVM
PRINCIPIS OBSERVANTIAM VNIVERSITATIS MONVMENTVM
A FVNDAMENTIS EREXIT
R. P. CAESAR ARRIGONIVS MANT.^S^
THEOLOGVS AC CONCIONATOR EGREGIVS
AC OB EIVS BENEMERITA ELECTVS CIVIS HVIVS
PATRIAE FIN.^S^
VNIVERSITATE POPVLOQ. SVFFRAGANTE.

XVII. Prostrat et alterum monumentum in ara maxima eiusdem ecclesiae marmori insculptum.

A. R. P. CAESAR ARRIGONIVS
SER.^MI^ CAESARIS ESTENSIS MVT. AC REGGII DVCIS THEOL.^S^
CVIVS IMPVLSV SACELLVM HOC MAXIMVM
TVNC EREXERE
ILL.^MI^ DD. CC. ARRIGONII MANTVAE NOBILES CIVES
ITA NVNC AD PERPETVAM MEMORIAM HVNC STATVIT LAPIDEM
ILL.^MUS^ AC REV.^MUS^ D. ALEXANDER ARRIGONIVS
VILLEDEARUM. COMES
MAGNVS ORDINIS REDEMPTORIS CANCELLARIVS
AC PRIMICERIVS INSIGNIS COLLEG.
TEMPLI S. ANDREAE MANTVAE
AN. M. D. C. XXIII. KAL. MAII
D. O. M.
GRATIAS AGIT

XVIII. Carolus Felix Malatesta marchio ac dominus oppidi Montisiani dioecesis Ariminensis in provincia Bononiae fratribus de observantia attribuit oratorium ss. crucifixi, positum in loco amoenissimo prope idem oppidum pro eorum incolatu. Aedis possessionem auctam subinde aedificiis tum laudati marchionis, tum incolarum expensis, accepit Antonius a Roncofreddo, nomine Stephani Mediolanensis provinciae administri Cuncta haec rata habuit summus pontifex: *Sincerae devotionis* die XIV. Februarii. In provincia Siciliae cis accessit conventus s. Mariae de Iesu intra oppidum Terraenovae. Conv. Montisiani. *Ibidem tom. 2. pag. 133.* Conv. Terraenovae. *Monum. prov.*

XIX. Intrarunt minoritae de observantia in coenobium s. Mariae ad Nives Pragae in provincia Bohemiae, eis concessum anno MDCVI. a Rodulpho II. imperatore, ut concionibus, vitae exemplo, doctrina privatisque colloquiis tha- Conv. Pragae. *Greiderer tom. 1. p. 747. n. 302.*

Ann. min. ad ann. 1603. n. 37. boritarum, picardorum, lutheranorum et calvinistarum errores retunderent. Multos acatholicos ad veram fidem adduxerunt. At id aegre ferentes haeretici, plebem excitarunt, ut obvios per vias fratres aut domibus degentes nunc lapidibus, nunc verberibus, nunc contumeliis afficerent. Conspirarunt subinde in ecclesiae et conventus expoliationem, ac postremo in mortem fratribus inferendam. Initum consilium anno MDCXI. compleverunt.

Conv. Perginensis. Gradderer tom. 2. p. 300. n. 78. XX. In provincia s. Antonii Venetiarum incepit esse fabrica coenobii s. Francisci apud oppidum Perginense dioecesis Feltrensis et ditionis episcopi Tridentini, in fundo eis oblato a d. Iacobo de Prato nobili viro Tridentino. Primum fabricae lapidem posuit Hieronymus Roccabrunus cathedralis ecclesiae archidiaconus. Sunt literae Caroli cardinalis Madrutii episcopi Tridentini pro coenobii fundatione.

Carolus misericordia divina s. r. e. tituli s. Thomae in Parispe. presbyter cardinalis Madrutius episcopus princepsque Tridenti universis et singulis praesentes visuris et lecturis salutem in Domino.

Noveritis qualiter cum a s. congregatione illustriss. et reverendiss. d. d. s. r. e. cardinalium negotiis regularium praefectorum per has datas XVIII. Septembris MDCVI. praeteriti super erectione et fundatione monasterii in burgo Pergini, iurisdictionis in temporalibus episcopatus nostri Triden. et dioecesis Feltrensis, ad instantiam ven. fratrum reformatorum ordinis s. Francisci de observantia fuerimus requisiti, ut si preces veritati nitantur et contenta in dictis literis vera sint, licentiam fundandi et erigendi monasterium praefatum in dicto nostro burgo Pergini deberemus: nos antedictus card. et episcopus volentes requisitionem praefatam adimplere, constitoque nobis praeviis debitis informationibus preces et narrata per dictos ven. fratres veritate fulciri, idcirco tenore praesentium dictis ven. fratribus licentiam erigendi et fundandi dictum monasterium in eodem nostro burgo Pergini iuxta eorum consuetudinem damus et concedimus. Deputamusque ven. et nobilem devotum nostrum dilectum Hieronymum a Roccabruna canonicum et archidiaconum ecclesiae nostrae cathedralis Triden. familiarem nostrum, qui nomine nostro interesse possit et valeat iactui primi lapidis pro erectione et fundatione dicti monasterii. In quorum fidem et testimonium has literas fieri mandavimus appressione sigilli nostri nostraque propria subscriptione munitas.
Datum Tridenti ex arce nostra boni consilii die 1. Februarii MDCVII.

C. card. Madrutius.

Loco ✠ Sigilli.

Bartholomaeus Beltrandi cancell.

Conv. Biterrensis. Gallia christiana t. 6. pag. 371. XXI. Fratres recollecti custodiae s. Bernardini in Galliarum regno incoluerunt hoc anno coenobium s. Francisci minorum de observantia urbis Biterrensis, probante Ioanne Bonzi illius urbis episcopo.

Conv. Odonis. Ioannes a s. Maria tom. 2. pag. 578. XXII. Adstantibus Philippo III. Hispaniarum rege, Margarita regina, uxore sua ac comitibus de Chincon, fratres discalceati provinciae s. Iosephi in possessionem devenerunt coenobii s. Didaci Odonis, III. leucarum spatio ab urbe Matritensi, piorum eleemosynis erecti.

Digitized by Google

XXIII. Redierunt hoc anno fratres reformati conventuales in coenobium s. Luciae de Monte Neapolis, quod vi occupaverant fratres conventuales. Guilielmus Bastone nuncius pontificis lege lata cavit, ne ipsi a patribus conventualibus amplius molestia afficerentur.

Conv. Neapolis. *Cassmirus a s. Maria tom. 1. pag. 20.*

XXIV. Fratres claustrales tertii ordinis recipiunt coenobium s. Antonii Patavini titulo in civitate Assisii, erectum in domo eis donata a Livio de Nutis urbis incola. Loci possessionem acceptaruut Hieronymus de Marchero, Sebastianus de Michaelangelis de Montegeorgio et Cyrillus Pasciavo, qui subinde aedem ampliavit. Alterum obtinuerunt in oppido Romani sub invocatione s. Michaelis archangeli in provincia Romana, quod ob aeris inclementiam die xv. Maii anno mdcxxii. dimiserunt.

Conv. Assisii. *Bordonius pag. 578.*

Conv. Romani. *Idem pag. 592.*

XXV. Sunt pro eisdem fratribus literae summi pontificis: *Ex incumbenti* ix. calendas Ianuarii, quas dabimus in regesto, pro constructione valetudinarii in coenobio de Zisa Panormi. In eorum comitio Romae die ii. Iunii habito in coenobio ss. Cosmae et Damiani supremum ordinis moderatorem salutarunt Antoninm de Sillis Vallis Sclavae de terra Collerii dioecesis Bergomensis.

Valetudinarium Panormi.

XXVI. Capucini fratres recipiunt hoc anno conventum Amantheae in provincia Cosentiae; conventum Rubei in provincia Barensi; conventum Faidi in provincia Mediolanensi; conventum Nulvi dioecesis Ampuriensis in provincia Turritana; conventum Huy dioecesis Leodiensis in provincia Leodiensi; conventum Inveniaci dioecesis Senonensis in provincia Parisiensi; conventum Vesunsionis in provincia Burgundiae; conventum Mussiponti dioecesis Tullensis in provincia Lotharingiae; conventum Augustae Auscorum, et conventum Cardoci in provincia Aquitaniae; conventum Vici in provincia Catalauniae; et conventum s. Philippi, olim Xativa dioecesis Valentinae in provincia Valentiae.

Ex albo Michaelis a Tugio.

XXVII. Sunt etiam aedes pro sanctimonialibus diversis in locis. In provincia Valentiae obvenit monialibus clarissis monasterium s. Annae in villa de Sexona dioecesis Valentinae, erectum a Balthassare de Cortes, et a pia eius coniuge Hieronyma Pico. Reformatrices fuerunt duae moniales monasterii Alonis eiusdem provinciae. In provincia Cantabriae extitit et pro eis monasterium Incarnationis titulo in villa de Penafiel dioecesis Palentinae, expensis d. Isabellae de la Ciuba, uxoris d. Petri Fellex ducis de Ossuna. Prima loci abbatissa fuit Beatrix filia eiusdem ducis, professa in monasterio de Villafrechos provinciae s. Iacobi. Incolitur a xxx. monialibus. Pro xxiv. monialibus collegium instruxit d. Franciscus de Luazola s. Clarae titulo in villa de Azoytia provinciae Cantabriae.

Monast. de Sexona. *Monum. prov.*

Monast. Penafiel. *Monum. prov.*

Monast. de Azoytia. *Monum. prov.*

XXVIII. Ternidenae moniales clarissae quae ex monasterio Posoniensi ab anno mdcvi. ob bellorum tumultus abierant, et per aliquod temporis spatium manserunt in Graecensi monasterio, Viennam appulsae, inter sorores regii collegii ad Reginam hospitarunt usque ad hunc annum. Verum pacatis aliquantisper rebus in Hungaria, die xxii. Februarii Posonium rediere; non omnes tamen; Magdalena enim Penghin, Anna Maria a Liechtenberg cum Eva Heyslin, ut vocant, conversa, eo se contulerunt; caeterae vero in monasterio ad Reginam manserunt.

Monast. Posoniense. *Greiderer tom. 1. pag. 394. n. 202.*

XXIX. Adprobat summus pontifex: *Debitum* die ii. Ianuarii fundationem iam peractam monasterii s. Clarae Adorni dioecesis Catanensis in provincia Siciliae, ex bonis relictis a quondam Thoma et Agatuzza Bruni. Cuncta eorum bona pro eo perficiendo legaverant Archangelo a Messana minoritae de observantia tunc illius provinciae moderatori. Mota subinde ab haeredibus contro-

Monast. Adorni.

versia penes pontificem contra laudatum Archangelum, velut capessendae haereditatis iure destitutum, idem pontifex lato brevi: *Romani pontificis* die xv. Decembris declarat praedictum Archangelum fuisse solummodo illius haereditatis administratorem.

Maria a Conceptione. *Agiolog. Lusitan. ad diem 4. Februarii.*

Vera Crux. *Ibidem ad diem 4. Maii.*

Beatrix de Angelis. *De Torres pag.* 669.

Prudentia Corzetti. *Monum. prov.*

XXX. Aliquot virgines pie obeunt. In monasterio s. Clarae de Guimares in provincia Portugalliae coelestia petivit die iv. Februarii Maria a Conceptione, quae licet loci diu abbatissa, humiliora tamen officia monasterii explebat. Eximia charitate ditata erat erga pauperes. Gravem corporis infirmitatem sustinuit per plures annos summa animi constantia. In monasterio de Salvator Eborae eiusdem provinciae rapta est die iv. Maii soror nomine Vera Crux, praestans in obedientia, vitae puritate, mansuetudine ac silentio. Corpus macerabat inedia, cilicio ac flagellis. Sexennio a sui obitu, aperto tumulo, corpus viventi simile adparuit. Die xiii. Iulii obiit in monasterio s. Clarae Montilino provinciae Granatensis Beatrix de Angelis, virgo inculpatae vitae ab infantia. Delectabatur corporis macerationibus assiduisque precibus. Maculas vitae suae aperiebat cuidam sorori familiari, ut eam corriperet et poenalitatibus afficeret. Post haec in genua devoluta, eidem ingentes gratias referebat. In monasterio s. Clarae Montislucis Perusiae in provincia Umbriae ad astra migravit Prudentia Corzetti, summa mansuetudine ditata erga sorores. Suae mortis horam praedixit Antonio a Stronconio minoritae de observantia suae conscientiae moderatori.

Francisca del Serrone. *Mazara tom. 4. p.* 110.

Annal. min. ad ann. 1575. *n.* 146.

XXXI. S. Severini in Piceno mortalitatis sarcinam deposuit die vii. Aprilis in ecclesia s. Mariae Luminum, olim presbyterorum oratorii nunc clericorum regularium s. Pauli, Francisca de Triglis del Serrone, dioecesis s. Severini vico, humilibus at piis parentibus nata anno mdlvii. Defunctis parentibus vitam duxit egestate plenam, et ab ineunte aetate indubium innocentiae specimen dedit. Nudipes anno mdlxxv. Urbem iubilaei tempore petivit, ubi diutius s. Philippi Nerii spiritualibus allocutionibus recreata, illius monita alta mente retinuit. Patriam repetens, anno mdlxxvii. in ecclesia s. Francisci conventualium tertii ordinis regulam professa, mire in virtutibus et poenalitatibus illuxit. Cum praeceptoris copiam haud habere posset, tradunt vitae suae scriptores literas et artem scribendi etiam latina prosa eo versu, atque pingendi a b. Virgine didicisse. Summo devotionis affectu eamdem b. Virginem colebat; quam ut augeret, crebro Lauretanam aedem perlustrabat, eo tamen animi sensu, ut vix enarrari possit. In recolenda Iesu Christi passione frequenter in ecstases rapiebatur, et prae compassiva erga eum teneritudine enato ad sinistrum pectoris latus vulnere, suavis et prodigialis sanguis ex eo manabat. Miraculorum et prophetiae dono inclaruit. Italice scripsit *versus de passione Domini*. Pias etiam ad diversos *epistolas plures* scripsit. Prae caeteris notatur illa, quam mandavit ad Christinam Lotharingiae Hetruriae ducis uxorem.

Sbaralea lit. F.

Nigellus o Boylus m. *Wadd. in Syll. mm.*

Martinus a s. Maria. *Wadding. ad ann.* 1315. *n.* 25. *Arturus ad diem* 13. *Iunii.*

XXXII. Martyrum palmam obtinuit hoc vel anno mdcxvii. Nigellus o Boylus Hibernus, cuius caput iuxta Wadd. ob Christi fidei odium haeretici obtruncarunt. Die xiii. Iunii obiit Martinus a Castro Caesare oppido archiepiscopatus Burgensis in provincia Conceptionis, professione laicus. Is ab ortu mutus et Deiparae intercessione post plures annos a linguae vinculo solutus tanto in eamdem ferebatur affectu, ut nihil crebrius in ore haberet, quam Mariae virginis nomen et laudes, unde cognomen ab ea assumpsit. Charitate flagrabat in pauperes, quibus, quidquid poterat, erogabat, vestes reficiebat, capita sanie manantia lavabat, ulceraque medebatur. Daemonum terrores, Christi ac Deiparae invocatione superabat. Obiit in pago extra coenobium; eius cadaver cum ad ecclesiam

conventus adsportaretur, suavem odorem efflabat. Plura ad eius sepulcrum evenisse miracula tradunt. De eo habent solum nomen Bollandistae inter praetermissos.

Acta ss. ad diem 13. Iunii.

XXXIII. Eadem die XIII. Iunii sanctis operibus cumulatus obiit Ioannes Lopez Prieto in conventu s. Francisci de Monte provinciae Granatensis. Vir erat summae humilitatis. Coenobii praeses dum erat, quadragesimali tempore cunctorum sodalium pedes deosculabatur in communi mensa, et parvo obsonio refectus, reliquum mensae tempus lectioni piorum librorum solus coram eis insumebat. Diu gravem morbum patienter sustinuit, et monitus de proximo sui obitus die, in illud Apostoli erupit: *cupio dissolvi et esse cum Christo. Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.*

Ioannes Lopez. *De Torres pag* 312.

XXXIV. Ecclesia s. Mariae Angelorum minoritarum de observantia Panormi in provincia Siciliae excepit corpus Bartholomaei de Montalbano laici, die VIII. Octobris defuncti. Hortorum culturae semper addictus fuit. Corpus macerabat assiduis ieiuniis et sanguineis flagellis. Septem annorum spatio membra domavit asperrimo cilicio, quo instar habitus indutus erat. Romanam Lauretanamque peregrinationem magno pietatis spiritu suscepit. Lustravit etiam sacra loca Alverniae Montis et Assisii vestigiis seraphici Parentis signata. Hinc licet viribus destitutus, de nocte ad matutinas laudes surgens, precibus se dabat in ecclesia usque mane. Vivus et mortuus miraculis inclaruit.

Bartholomaeus de Montalbano. *Mazara tom.* 10. *pag.* 116.

XXXV. In coenobio Dominae nostrae de Penarada in provincia discalceatorum s. Pauli apostoli ad coelos advolavit die XX. Augusti Thomas a s. Francisco natus in oppido Medina-Campi. Omni virtutum genere exornatus erat. Concionatoris munus ardenti zelo obivit, et multos peccatores ad rectum salutis tramitem adduxit. Ss. eucharistiae sacramentum impense colebat; antequam vero sacrum faceret, multas preces fundebat; tanta vero pietate illud operabatur, ut exinde non modicas consolationes a Christo consequeretur. Morti proximus clara voce fidei professionem emisit, et legendum sibi postulavit de Iesu Christi passione evangelium. Obiit coenobii guardianus.

Thomas a s. Francisco. *Ioannes a s. Maria tom.* 3. *pag.* 687.

XXXVI. S. Ioannis Baptistae provinciam nobilitavit beata morte Ludovicus a Linan defunctus in conventu Murciae. Emicuit innocentia vitae, corporis maceratione, silentio, ieiuniis ac precibus.

Ludovicus a Linan. *Panes pag.* 442.

XXXVII. Inter capucinos fratres varii occubuerunt vitae sanctitate conspicui. In provincia Cosentiae obiit Antonius Cosentinus sacerdos, multis virtutibus praestans. Cauloni in provincia Rhegii obdormivit in Domino Cosmas Caulonensis, illius provinciae vicarius quam rexit exemplo magis quam auctoritate. Multa prophetico spiritu praedixit, eventu confirmata. In diuturna corporis infirmitate enituit summa eius patientia. Episcopi dioecesani mandato, corpus lignea capsula inclusum, sepositum fuit in ecclesiae pariete. In s. Angeli provincia e vivis excessit Franciscus Lusitanus antea discalceatis fratribus in Hispania adscriptus. Ob morum illius gravitatem, animi prudentiam ac virtutes, provinciae vicarius fuit renunciatus. Singulari castimoniis ornatus erat, ac rerum divinarum contemplationi iugiter intentus. Mutinae diem extremum clausit Constantinus Mutinensis sacerdos, vir omnimodae poenalitatis; adventus enim et quadragesimae temporibus pane tantum ac fructibus nutriebatur, paucis videlicet nucibus, aut lupinis, aut oleis; lumbos clavorum cingulo praecingebat; membra vero tam diris verberibus caedebat, ut copiosum undique sanguinem effunderent.

Antonius Cosentinus. *De Aremberg tom.* 2. *pag.* 492.
Cosmas Caulonensis. *Idem ibid. pag* 161.
Franciscus Lusitanus. *Idem ibid. pag.* 159.
Constantinus Mutinensis. *Idem ibid. pag.* 275.

Digitized by Google

XXXVIII. In provincia Brixiae inter laetitiae signa animam Deo reddidit David a Gassaco sacerdos, eximius castitatis cultor, qui variis a daemone mulierum formis illusus, non semel nudum in nivem se proiecit. Decessit in provincia Mediolanensi Aegidius clericus Mediolani natus, innocentia ac ferventi oratione commendatus. In provincia Catalauniae obiit Ioannes a Pressana item clericus, qui cum in instituto vitam duceret immaculatam, angelicam vitae rationem aemulari videbatur. Oscae in eadem provincia occubuit Franciscus a Darocha laicus, mortis suae tempus praescius. Emicuit in eo orationis studium ac silentium. Animi deiectione sic delectabatur, ut fr. Franciscus peccator vocari vellet. Semper sine sandaliis incessit.

David a Gassaco. *Idem ibid. pag. 492.*
Aegidius Mediolan. *Idem ibid. pag. 520.*
Ioannes a Pressana. *Idem ibidem.*
Franciscus a Darocha. *Idem ibid. pag. 760.*

Sbaralea lit. A.

XXXIX. Obiit inter eos ingenio praestans Anselmus Marzauus, patritius Monopolitanus provinciae Apuliae. Novennio vel decennio munus obivit omnium primus concionatoris apostolici palatii. Extitit et procurator generalis sui ordinis, et anno MDCII. unus ex consultoribus congregationis pro controversia de *scientia media* a Clemente VIII. institutae. Idem pontifex anno MDCIV. eum s. r. e. presbyterum cardinalem creavit titulum consequutus s. Petri in Montorio. Anno MDCVII. a Paulo V. archiepiscopus Teatinus designatus, post sex menses Tusculi migravit e vita. Romam inde translatus, tumulum nactus est in ecclesia s. Petri in Montorio. Reliquit mss. *conciones varias* Romae coram summo pontifice habitas, *cursum integrum theologiae*, et *concionem* eruditissimam Romae habitam ad sacrum cardinalium collegium in aula Constantiniana.

Idem lit. M.
Idem lit. F.

XL. Qui sequuntur ex eodem instituto literis florebant. Mauritius de Morra Sabaudus, insignis verbi Dei praeco, haereticorum acer impugnator et a Clemente VIII. Tononensi in Sabaudia missioni catholicae praefectus constitutus, edidit hoc anno Taurini typis Ioannis Dominici opus, cui titulus *catechismus* sive *doctrina christiana*. Faustinus Diestensis Belga, nobili familia oriundus et provinciae Flandriae vicarius, Teneramundae vulgavit *vitas Ioannis de Forbes* et *Dominae Margaritae Gordoniae* hoc titulo: *alter Alexius natione Scotus, professione capucinus sub nomine fratris Archangeli.* Novimus huiusmodi opus italice factum impressum fuisse anno MDCXXXIV. Mutinae.

Idem. lit. P.
Idem lit. B.
Idem lit. I.
Idem lit. S.

XLI. Ex minoritis conventualibus vir doctus inclarebat hoc tempore Petrus Paulus Carnata Novariensis, de quo extant mss. Ferrariae in bibliotheca ordinis *adnotationes lucidissimae in 2. dist. primi libri sent. ad mentem doctoris Subtilis ab adm. rev. patre magistro Petro Paulo Novariensi collegii Mutinensis praestantissimo regente editae anno Dom. MDCVII. die XXIV. Aprilis.* Bonaventura Gennensis Drepanitanus Siculus, tertii ordinis claustralium theologus, sacrorum canonum peritus et orator eximius Tolosae typis viduae Ioannis Colombieri edidit *compendium privilegiorum tertii ordinis b. Francisci regularis observantiae.* Ipse collapsam sui ordinis disciplinam, mandato Pompeii Arigonii s. r. e. cardinalis protectoris, pristino splendori restituit. Ioseph Branchman Syracusanus franciscanus Romae apud Paulinum latine praelo mandavit opus inscriptum *analytica demonstratio in qua ostenditur immunitatem tam personarum quam rerum ecclesiasticarum esse de iure divino.* Item Stephanus de Alvin, forsan Gallus, Parisiis edidit *tractatum de potestate episcoporum, abbatum aliorumque praelatorum et abbatissarum.*

Digitized by Google

XLII. Decessit inter minoritas de observantia annos numerans LXIX. si fidem habeamus Augustino Superbo auctore coaevo, Franciscus Fevardentius, non anno MDXLI. iuxta Waddingum, sed anno MDXXXVIII. natus Constantiae Neustriacae in Gallia. De eo sic scribit idem Waddingus: *Baiocis humaniores literas edoctus, ibidem franciscanis nomen dedit. Parisios translatus firmioris aetatis labores subivit ex cathedra docens, ex rostris assidue concionatus. Inde ad praecipuas Galliarum urbes profectus, ubique dogmatice contra exurgentes et adolescentes haereses praedicavit, nullo loco non insectatus acriter Calvinistas. Senectutis tandem portum Baiocum ipsum, quod iuvenilis contentionis illex et quasi igniculus fuit, humiliter elegit, nullam ambiens aliquando dignitatem inter suos aut honorem inter exteros. Atqui ibidem non quidem languori, non torpori, uti ipse in epistola nuncupatoria suae Theomachiae ad cardinalem de Ossato praefatur, non inertiae desidiaeque se dederat, quamvis senem; sed assidua vel meditatione, vel lectione, vel scriptione aut concione reipublicae christianae prodesse studebat, ut qui mature coepit proficere, ad ultimum vitae spiritum persisteret: et quidem in ultima senectute insignem utilemque illum librum Theomachiam calvinisticam edidit. Cum enim anno MDCII. aetatis LXIII. Turone literas dedisset ad Antonium Possevinum et catalogum a se scriptorum librorum instanter poscenti misisset, commonuit se tunc dialogos illos adornasse, quibus DC. errores Calvinianorum refellebantur, et in praecitata epistola ad cardinalem d' Ossatum suos in illa non tam effoeta, quam tremula aetate pios conatus pro ecclesia Dei contra haereticos defendenda, et continuos quos pro ea subivit indefesse labores exprimens*: At ego, *inquit*, qui tot annos, sive meditor, sive scribo, sive concionor, quod dare testimonium mei laboris maius meliusque possem, quam si pro virili mea parte conor hocce etiam doliolum meum terreum versare atque agitare, et aliquateous otium irruentium impetum impressionemque retardare? *Multis dignisque encomiis hominem laudat a virtute, a pietate, a doctrina eius discipulus Henricus Willotus, catalogum etiam attexens editorum ab illo librorum.* Maturinus Quadratus in epistola ad archiepiscopum Ebrudunensem eum appellat *totius antiquitatis et eloquentiae quasi thesaurum*; et Petrus Courcier *in negrologio saeculorum Mariae* dicit *inter doctos doctissimum.* Sbaralea et Wadd. lit. F.

XLIII. Quorumdam ss. patrum opera illustravit et edidit. In primis opera s. *Irenaei martyris cum eruditissimis scholiis*, quae per eum quasi revixit, Parisiis an. MDLXXVI. postea vero auctioribus scholiis vulgata an. MDXCV. Coloniae Agrippinae. Opera *Idelphonsi Toletani archiepiscopi ad codices multos mss. collata et emaculata*, *maxime vero librum de virginitate illibata Mariae emendavit et auxit*, Parisiis edidit typis Sebastiani Nivelli an. MDLXXVI. Haec Margarinus Bignaeus in bibliothecam veterum patrum secundae editionis retulit; quae tamen in sequentibus editionibus semper fuerunt apposita. *Ephremi Syri* opera gallice reddita Parisiis vulgavit apud Nivellum et Sonnium anno MDLXXXIII. Apud eosdem iterum an. MDXC. ac postremo apud Chapelletum an. MDC. lucem aspexit. *In Michaelis Pselli librum de VII. synodis* commentarios adhibuit, quibus praefationem adiecit, in qua recentiorum haereticorum cum cacodaemonibus et magis convenientiam describit. Parisiis apud Guilielmum Chaudiere anno MDLXXVI. opus vulgavit.

Digitized by Google

XLIV. In libros sacrae Scripturae edidit commentaria. Multos labores impendit eum Ioanne Dadraeo et Iacobo Cucillyo Parisiensibus doctoribus virisque eruditis in totius sacrae Scripturae glossam ordinariam et postillas Nicolai Lyrani, additis ad marginem auctoribus et locis, e quibus sententiae delectae fuerunt. Lugduni primum, mdx Venetiis, deinde aliis in locis opus typis mandarunt. At urgentibus editionem typographis, et gallicis tumultibus cuncta imperturbantibus, non satis accuratam integramque operam praestare potuere. Manus etiam admovit cum eodem Dadraeo et Gilberto Genebrardo in expurganda et augenda veterum patrum bibliotheca a Margarino Bignaeo edita. Haec notantur in impressione Parisiensi anno mdlxxxix. sub signo Navis. Eius est *in librum Ruth commentario*. In his copiose traditur quidquid ad historiam fideique christianae ac rationem morum pertinet, anno mdlxxxii. Parisiis apud Sebastianum Nivellum, et an. mdlxxxv. Antuerpiae edita. Hoc eodem anno iisdemque typis et Coloniae apud Mylium an. mdxciv. et anno mdxcv. apud Birkmannicum vulgavit in *librum Esther commentarios praecipue concionatoribus accommodatos*.

XLV. Parisiis apud Claudium Chapellet anno mdlxxxv. editus fuit eius commentarius *in Ioh*. Ibidem an. mdxcv. typis Henrici Falckemburgi vulgavit *in Ionam prophetam commentarios* ex veterum patrum hebraeorum, graecorum, latinorum scriptis collectos, et christianis mysteriis ac concionibus aptatos. Commentarium *in epistolam d. Pauli ad Philemonem* Parisiis et in Germania an. mdlxxxvii. prodiit. Commentarii *in epistolas d. Petri* vulgati fuerunt Parisiis ao. mdxcviii. mdc. et mdcxi. apud Nivellum. In *s. Iacobi epistolam* plerique eius auditores calamo ex ore dictantis Parisiis exceperunt; at postea ille Parisiis an. mdxcix. apud Michaelem Sonnium edidit ad illam commentarium. Est eius item commentarius in *d. Iudae epistolam* faciliori methodo Coloniae an. mdxcv. praelo Henrici Falckemburgi commissus, in quo veterum ac recentiorum haeresiarcharum mores scite describuntur. Parisiis an. mdxcix. prodierunt commentarii *in epistolam d. Pauli*. Eadem in civitate an. mdcv. apud Claudium Chapellet vulgati fuerunt *commentarii in duo s. Lucae capita*, in quibus Christi Dei et ss. Praecursoris historia xxvii. homiliis per adventum explicatur.

XLVI. Quae contra haereticos vulgavit sunt. Scripsit *appendicem ad libros Alphonsi a Castro contra haereses* in tres libros distributam. Refelluntur in ea quadraginta haereses ab Alphonso vel praetermissae vel post illius mortem enatae. Parisiis an. mdlxxviii. apud Nivellum et Sonnium lucem aspexit. Apud Sonnium item an. mdlxxix. prodiit liber *de virginitate ac invocatione virginis Mariae*, gallice anno mdlxxxv. et mdxc. apud eumdem Nivellum, Coloniae anno mdxcv. ex officina Birkmannica, et Antuerpiae anno mdxcviii. vulgati fuerunt eius *dialogi vii, quibus ducenti calvinistarum errores gravissimi praecipue refelluntur, et solide confutantur*. Parisiis apud Sonnium edita fuit *secunda hebdomada dialogorum, quibus examinantur cdlxv. eorumdem errores*. Apud Nivellum Parisiis item typis mandata fuit eius *theomachia calvinistica, sexdecim libris profligata*. In opere hoc mille et quadringenti huius sectae novissimae errores, quorum magna pars nunc primum e suis latebris eruitur, diligenter excutiuntur et refelluntur. In iis confessio fidei Hugonottorum et catechismus calvinianus, quae hactenus intacta gloriari solent haeretici, divinis, ecclesiasticis ac ipsorummet hae-

Digitized by Google

resiarcharum scriptis reprehenduntur et confutantur. Item Parisiis an. MDCVI. *brevis assertio coelibatus* prodiit apud Claudium Chapellet.

XLVII. Habentur in bibliotheca patrum Coloniae et Parisiis edita an. MDCXXIV. eius *notae in Arnobii conflictum cum Serapione*. Parisiis an. MDLXXXIX. typis commissa fuit *Hieremiae patriarchae Constantinopolitani censura orientalis ecclesiae per eum recognita*. Constantiae in Normandia anno MDCXI. prodierunt eius *antiquitates Harflevii oppidi in Normandia*. Parisiis eum *libro s. Idelphonsi* et seorsim ibidem an. MDLXXVIII. apud Guilielmum Chandiere editi fuerunt *sermones XII. in praecipuis s. Dei genitricis Mariae festis*. Scripsit etiam *homilias de immaculata conceptione Virginis*; at forte comprehenduntur in XII. sermonibus de b. Virgine mox laudatis.

XLVIII. Quae sequuntur gallice scripsit. Parisiis an. MDXCVII. apud Nivellum edidit *responsiones ad nobilis viri quaestiones* antea quidem haeretici, sed postea invicti catholici. Apud Sonnium et Nuam ibidem an. MDC. edidit *examen catechismi calvinistarum*. Apud eosdem an. MDCI. vulgavit idem examen locupletatum *refutatione adversus haereticum ministrum, qua convicti sunt calvinistae DCLX. errorum*. Item apud eosdem et eodem anno lucem aspexit opus, cui titulus: *amica admonitio praedicatoribus et ministris verbi de CCXXX. erroribus in eorum fidei confessione contentis*. Eodem anno Cadomi in Normandia et Parisiis, et iterum Parisiis anno MDCIV. vulgatae fuerunt *intermanducationes ministrales, et responsiones ad aphorismos Brovandi praetensi ministri Charentonii, et praetensae falsificationes*.

XLIX. Adhuc edendae sunt 1. *homiliae in tria prima capita et ultimum Iob*; 2. *homiliae plurimae in psalmos*; 3. *homiliae in librum Iudith*; 4. *homiliae in Danielem*; 5. *commentaria in tres d. Ioannis epistolas*; 6. *expositio orationis dominicae, salutationis angelicae et symboli apostolorum*; 7. *homiliae in quadragesimam*; 8. *homiliae in dominicas dies, et sanctorum festivitates, Lactantii Firmiani opera cum septem mss. codicibus collata et ab erroribus vindicata, atque adnotationibus ad singula capita illustrata*. Nunc temporis virtute ac doctrina avunculo simillimus florebat Franciscus Fevardentius ex sorore nepos, doctor Parisiensis *Sbaralea lit. F.* et magni illius coenobii tum philosophiae tum theologiae professor.

L. Alii ex eodem instituto doctrina praestantes numerantur. Apod Artum Tabernier Salamanticae edita fuerunt *miscellanea pro concionatoribus* Antonii Alvarez Beneventani ex provincia s. Iacobi. *Idem. lit. A.* Daniel Perusinus Bononiae *Idem lit. D.* commorans edidit hetrusca lingua typis Ioannis Baptistae Bellagamba *vitam et miracula s. Elisabeth reginae Hungariae tertii ordinis s. Francisci ex gravibus authenticisque auctoribus collectam*. In fine adiecit brevem *catalogum ss. et bb. ordinis minorum*. Prodiit Salamanticae hispano sermone *tractatus compendiosus et utilis de caeremoniis missae* Ioannis Alcozer ex *Wadd. et Sbaralea lit. I.* provincia Aragoniae. Ioannes de Camera Complutensis typis Ludovici Martinez *Sbaralea lit. I.* Grande Compluti edidit *quaestiones selectas et theoremata theologicarum veritatum, necnon apologeticum sermonem pro huius veritatis defensione, quod Paulus V. et quilibet a cardinalibus s. r. e. electus in papam et nobis traditus, et in cathedra Petri sedens de fide et de iure divino Christi vicarius ac Petri successor verusque papa est*. Ioannes de Carthagena hispanus *Idem et Wadd. lit. I.* ex societate Iesu professore transiit ad minoritas de observantia in provincia Conceptionis. Inde Romam missus, diu incola fuit conventus s. Petri in Ianiculo,

ubi publice magno auditorum profectu theologiam praeelegit. Hoc anno Romae eius prodiit *in quartum sententiarum librum tomus primus.* Scripsit etiam opus editum et hoc anno in eadem Urbe apud Stephanum Paulinum, cui titulus *pro ecclesiastica libertate et potestate tuenda adversus iniustas Venetorum leges eiusdem ecclesiasticae libertatis laesivas, et contra perniciosos errores quorumdam qui praedictas leges tueri contendunt.* Primum tomum in novem libros partitum Paulo v. summo pontifici nuncupavit. Eidem pontifici summe charus fuit ob eius gravia et erudita in rebus theologicis responsa.

LI. Neapoli typis Ioannis Iacobi Carlini editum fuit *Ritual Peruano para la administracion de los sacramentos en latin, y en las lenguas del*
Beristain lit. O. *Perú,* scriptum ab Aloisio Hieronymi de Ore ex provincia Peruviana ss. xii. Apostolorum. Alterum eius opus *description del nuevo orbe y de las costumbre de sus naturales* editum fuit Limae hoc anno, inde latine tom. i. hoc titulo *universus orbis calamo delineatus.* Pluries lucem aspexit eius liber *relacion de los martires de la Florida.* Venetiis apud Antonium Rie-
Wadd. lit. A. ciardum prodiit italice *invitatorium ad laudem Dei* descriptum ab Antonio
Idem et Sbar. lit. I. Thomassinio Italo. Iacobus sive Iaimius Sanchez hispanus scripsit et edidit Valentiae apud Ioannem Chrysostomum Parriz *vitam, virtutes et miracula piae ancillae Dei, candidaeque virginis Margaritae Agulloniae tertii ordinis s. Francisci alumnae.* Fuit minister et custos provinciae observantium Valentiae, licet recollectus, invita ab eisdem electus; fuit etiam commissarius apostolicus provinciae. Angelus del Pas Perpinianensis ad eum misit *opusculum instructionis* sive admonitionem. Vir sane pius et prudens impense laudatur a b. Ioanne de Ribera archiepiscopo Valentino et patriarcha Antiocheno *in*
Wadd. lit. I. *elogio praefixo vitae eiusdem Margaritae.* Iacobus Suarez a s. Maria Lusitanus, haereticorum flagellum et Henrici iv. Galliarum regis a consiliis scripsit et vulgavit Lugduni praelo Horatii Cardonis, *conciones octo solemnitatis Corporis Christi in quibus octo etiam causae deducuntur, ob quas a Domino Iesu sacramentum eucharistiae fuit institutum.*

Wadd. lit. M. LII. Ingolstadii Marquardus Leonis Germanus, provinciae Argentinae minister et definitor generalis typis vulgavit *resolutionem quarumdem quaestionum de vera fide et enumerationem methodicam selectissimorum scriptorum, qui scripserunt pro ecclesia romana.* Idiomate vulgari prodiit Florentiae praelo Alexandri Guiducci *dialogus animae rationalis cum seipsa*
Sbaralea lit. N. scriptus a Nicodemo Florentino. Eum dicavit sodali suo Vincentio Bertino Sarthianensi sacrae theologiae doctori. *Dialogismus de divina civium civitatis*
Idem lit. L. *Dei praedestinatione, deque civium civitatis satanae reprobatione* Ludovici Boroii, alii Boragii editus fuit Venetiis typis Sebastiani de Combis. Cum adnotationibus prodiit Veronae anno mdcx. apud Angelum Tami, et cum aliis adnotationibus anno mdcxii. Venetiis praelo Ioannis Guerilli. Florebat auctor inter reformatos provinciae s. Antonii Venetiarum.

LIII. Gesta a quibus finem imposuimus, s. Francisci Solani proferimus.
Acta ss. ad diem 24. Iulii pag. 878 et seq. Ann. min. ad ann. 1608. n. 42. et seq. « Orationis et contemplationis donum servo suo Francisco Deus tam liberali profusione concessit, ut omnes ipsius gradus, effectus ac praerogativas, quantum mortalis infirmitas patitur, attigisse comperiatur. Quoniam vero, divina tamen praeveniente gratia, ad hanc sublimitatem per aliquam cooperationem se homo disponit, ideo quid in hoc exercitio egerit Franciscus quidve cooperando contulerit, deinde quid Patris coelestis benigna largitate sit assecutus,

est sperlendum. Animam quae arcanae contemplationis metam contingere et ad supremum unionis culmen pervenire cupit, creaturas fugere, sensuum fenestras claudere, ubi interius vacare oportet. Praesentiae divinae familiarem habeat considerationem, horas mentali exercitio non paucas assignet, uno verbo carnem mundumque despiciens, se totum Spiritus sancti voluntati moribusque subiiciat ».

LIV. « Hoc, praeveniente et adiuvante Patre luminum, potest homo mortalis; hoc et Franciscus Solanus divino fretus adiutorio praemisit; erat enim illius conversatio coelestis, et quantumvis inter humanas solicitudines, adeo tamen familiarem sibi orationis interne consuetudinem fecerat, ut ab ea nullo vel dierum vel noctium intervallo cessare videretur. Interiorem ipsius animae pacem nulla cura, nulla molestia turbabat, et seraphici patris doctrinam edoctus, animam in corpore quasi eremitam in cella quietam et solitariam tenebat. Ex illo sacrae orationis amore effluebat quasi rivus a fonte saeculi fuga et solitudinis desiderium; non enim, nisi obedientia iubente vel charitate suadente, prodibat in publicum; tuncque ne amicam perturbaret contemplationem, ex occurrentium materialium specierum intuitu ad divinae pulchritudinis consurgebat effigiem, et per impressa creaturis vestigia ad infinitam creatoris pulchritudinem deveniebat ».

LV. « Solebat praeterea vir Dei determinatas sacris orationibus horas destinare; saepe namque dum in conventu s. Francisci Limae habitaret, visus est hora noctis undecima, illa nempe quae mediam noctem praecedit, usque ad quartam matutinalem sanctae contemplationis exercitium in choro protrahere. Nulla unquam ipsum infirmitas, nulla occupatio aut labor a persolvendis orationum temporibus avocavit; saepe noctes integras insomnis diesque perpetuo ieiunus in suavi coelestium consideratione transegit; et ut r. p. Alvarez de Paz *(iesuita)* tom. 2. lib. v. cap. xiii. de viro Dei loquens ait: *diligebat secretum ac secum commorari, nisi gloria Dei aliud deposceret; rebus omnibus praeponebat; ibique assiduis precibus et divinarum contemplationum vacans, non raro ecstases et raptus patiebatur; hisque epulis assuetus saepe noctes insomnes in suppeditaneo summi altaris apud Dominum in eucharistia absconditum traducebat, et manu lyram parvulam pulsans et ore psalmos canens, ac corde coelestia delibans pernoctabat* ».

LVI. « Cum ergo vir Dei Franciscus aquas in vitam aeternam salientes quae sitientibus in oratione conceduntur, animo tam ardenti sitiret, non mirum si Deus qui non improperat, eas ipsi dederit affluenter, ac ipsum orationis perfectissimae dono effecerit admirandum, ut ex sequentibus patet. In primis namque continuam servi sui in rebus coelestibus attentionem, ecstasibus illis frequentibus quas animae totaliter a terrenis avulsae experiri solent, decoravit. Videbatur enim vir Dei, dum superna contemplaretur, terrestrem reliquisse mansionem et corporeae molis nexu dissoluto, animam ad sidera transmisisse. Vocantibus quippe tunc surdus, occurrentibus caecus, interrogantibus mutus et a sensibilium imaginibus obiectorum abstractus contemplationis dulcedinem copiose degustabat, et teneritudinis abundantia perfusus, liquefieri putabatur ».

LVII. « Quadam die dum columnae claustri Limani innixus in seraphici p. n. Francisci devotam imaginem altari cuidam ibidem appensam, oculos defixos teneret, transivit forte pius et gravis religiosus, qui dum se a viro Dei, iuxta solitum, ut cum olim guardianus eius fuisset, reflecteret, bonore salutationis non praeveniri, ipsum propius accedens vocavit, brachium apprehendit

Digitized by Google

ac strinxit; ille tamen nec voci respondit nec tactum sensit. Aliquando vero dum sic abstractus colloquio interesset divino, nec tamen penitus sensuum operatio vacaret, eidem vocanti pro responso ferebat: *glorificetur Deus, amemus Deum*, et haec in fervore spiritus repetens veloci extra se raptu exibat ».

LVIII. « Est et aliud raptuum genus quo non solum animalibus spiritibus aditum, ne in sensus transfundantur, fervens coelestium attentio praecludit, sed et ipsa anima obiecti sibi in summa amabilitate ostensi, desiderio abstracta, ipsum cui innectitur, corpus secum adducit et gravem carnalia ponderis molem superans, spiritus ad Deum quasi ignis per accensos potentiarum motus ascendens, materialem in aera secum transfert compartem, hoc est liberalissimi Dei donum quo servi sui Francisci Solani premiavit obsequia; saepe enim in aera elevatus spatia non parva miro volatu transcurrebat ».

LIX. Semel in vigilia solemnis indulgentiae Portiunculae post exceptas plurium poenitentium confessiones, eum in infimo ex duodecim gradibus quibus ad altare maius monasterii Limani ascenditur, coram ss. sacramento oraturus genua posuisset, repente a p. Claudio Ramirez de Sosa eiusdem ordinis religioso et conventus de Caxamalca (provinciae Peruvianae) guardiano, visus est in summo praefati altaris culmine abstractus et in ecstasim raptus, moxque eodem situ et genuflexus ad locum unde exierat, per aera revertisse. Dum Limae in conventu recollectionis moraretur, aliquando contemplationis impetu tractus, a choro superiori usque ad maius altare per centum pedum distantiam in aera elevatus pervenit, ibique serino orationi vacare repertus est; sic et dum Truxilli inhabitaret coenobium, aliquoties a solo semi-ulnae mensura, spiritus fervore elatum apparuisse, fama civitatis indubitata promulgavit ».

LX. « Cum semel in conventu Limani valetudinario vir Dei multum infirmus iaceret, frater Idelphonsus Munoz exemplaris vitae religiosus, commissarii generalis socius, ad eius cubiculum ipsum invisurus accessit; cumque eum coram sacrae Virginis imagine genuflexum orantem invenisset, ad socii cellulam redivit. Vix eam ingressus repentinum in s. patris cella strepitum, quasi e tormento bellico prodeuntem, audivit, ad quem subito praefati commissarii iussu causam exploraturus accurrens, ecstaticum Dei servum e cellula egredientem ultra semi-ulnam a terra elevatum, et hinc inde Spiritu sancto ne in parietes et in claustri fornices impingeret ducente, volantem extensis in crucis figuram brachiis, oculis ad coelum erectis aspexit, ac voce magna pias scripturae sententias proferentem audivit; donec tandem Indo tertiario forte occurrenti, amplexu tenaci adhaerens, ab ecstasi reversus tantam postea virium debilitatem sensit, ut a praefatis Idelphonso et tertiario inter manus languens atque deficiens fuerit in grabatum delatus ».

LXI. « Spiritualis laetitiae foetus in oratione concepti, sanctis scilicet animae exultantis clamores et voces, aut ab admiratione aut a dilectione depromptae quibus humana mens impressos sibi a Deo pandit affectus, in nostro Francisco Solano maxime claruerunt. Hic enim dum contemplationis lumine illustratus aut divinam intuebatur perfectionem, aut suae nihilitatis aspiciebat miseriam, exclamare audiebatur: *quis es tu Deus meus et quis sum ego; tu totum, ego nihil*. Interdum vero aiebat: *mi Iesu, misericordia*. Aliquando coram pretioso eucharistiae sacramento brachia in crucis figuram expandens, alta voce dicere auditus est: *heu Domine, quis est qui te offendit, quis te, Deus meus offendit?* Moxque affixo in terra ore prostratus, aliud orationis genus incepit ».

LXII. « Illis autem clamorum et vocum excessibus inseparabiles erant rivuli lacrymarum, quarum a coelesti largitore donum, ut compunctae et efficacis orationis signum acceperat; hanc namque fletuum abundantiam seu ex cordis liquefactione sive ex dolore manantem, solet Deus servis suis in contemplatione exercitatis largiri; nec enim deceret, ut radiis veritatis calescente intellectu, voluntas frigeret et durior saxis scindi ad lacrymas doloris et compunctionis nollet. Lugebat proinde Franciscus Solanus amoris teneritudine emollitus, sed praesertim dominicae passionis recordatione compunctus itaut non raro oculi eius prae fletuum vehementia tumescerent ».

LXIII. « Quoniam autem contemplativos Deus et poenis immissis et voluntariis eorum castigationibus exercet, eis saepe suavitatem ad quam gustandam Psaltes invitat, liberali manu concedit. Hanc profecto in oratione delibabat Franciscus, ubi consolationibus divinis abundans, totus in iubila solvebatur, quae ne humanis oculis paterent, in secretum fugiebat. Illa etiam coelestis favoris dulcedo ab anima plerumque redundabat in corpus, quod splendore mirabili coruscans ex consortio sermonis Dei revertebatur, et oculos intuentium, ut supra de charitate et in sacram eucharistiam amore diximus, perstringebat, ac aliquando in aula theologiae conventus Limani orans, quibusdam superoae lucis radiis circumdatus apparebat; et interdum multi vultum eius natura subnigrum, candidioris nivis colore dealbatum viderunt ».

LXIV. « Huiusmodi raptus, ecstases, lacrymae, voces nisi humilitatis sanctae pariant effectum, dubia divini Spiritus indicia sunt; haec autem si adfuerit, cum eam superbiae pater nec parere possit nec fovere, certissimum orationis e coelo edoctae et divinitus inspiratae argumentum est. Quare Franciscus noster Solanus, quem unctio Spiritus sancti docebat, illum prae caeteris fructum ab oratione trahebat; saepe enim adeo propriae infirmitatis notitia plenus ab ea prodibat ac tam demissum de se ipso iudicium bauriebat, ut se qui terram calcaret, reputaret indignum, ac frequenter repeteret, magnae sibi esse admirationi, quod tam gravem qualis erat, peccatorem terra toleraret. Alium etiam infallibilem verae contemplationis effectum, in proximi bonum vir Dei ab ea retraxit; hinc enim emanavit lux illa coelestis, qua futuros eventus et abdita cordium secreta penetrabat. Magnam tandem ipsius orationis efficaciam fuisse, totius vitae historiae et quae infra sequentur, aperient: dum quod humanis viribus suis sibi aliisque comparare non poterat, precum suarum virtute terra marique obtinuit ».

LXV. « Cum igitur servus Dei Franciscus tam sancti exercitii in se utilitatem experientia probasset et ipsius omnimodam in perfectionis via ambulandi necessitatem agnosceret, eam fratribus suis enixe commendabat, ac proinde dum eos otiosis aliquando inter se confabulationibus videretur intentos, temporis tam rari deperditionem dolebat, et propterea etiam aliis praeesse ne tantae iacturae rationem Deo reddere teneretur, timebat. Dum conventus recollectionis Limanae guardianus esset, arbores ab horto eradicare cogitavit, ne religiosi earum culturae nimis attenti, animae curam oratione agendam negligerent; ac denique ulmos in civitatis ambulationem iuxta praefatum recollectionis coenobium plantari aegre accepit; convenientia illuc ad recreationem populi strepitu ac rumore religiosos in sancta orationis quiete turbandos praevidens. Ex illo tandem orationis fonte vir Dei salubria hausit in dirigendis animabus consilia, efficacia in praedicatoribus verba et prudentia in praelationibus documenta atque discreta praecepta ».

Digitized by Google

LXVI. « Amor Dei factus est amor proximi; hoc etiam vir Dei Franciscus igne charitatis exarsit, ut plura in superioribus capitulis relata testantur. Hanc enim erga homines ardentem dilectionem in Hispania, in navigatione, in provincia Tecumana non paucis manifestavit indiciis; hanc et in Limanis partibus, ut ex sequentibus patet, non dereliquit, sed per nova quotidie incrementa intendit. Omnibus proximi malis plusquam propriis tangebatur, prompta iis quaerebat remedia, omnibus efficaciter succurrebat; spiritualia tamen aliorum damna quia graviora, mentem ipsius acri dolore pungebat; unde orta est illa in praedicando, arguendo et admonendo continua et indefessa solicitudo quae per totius vitae curriculum in ipso mire eluxit ».

LXVII. « Pauperes affectu tenerrimo diligebat, humiliter et benigne cum ipsis agebat, eleemosynas quas comparare poterat, largiebatur, bonis et salutaribus consiliis eos informans et dirigens a malo avertebat, mortem finemque lethalem potius praeferendam quam peccatum. Praeterea hanc dilectionem omnibus communem facere odia extinguendo, inimicitias tollendo, ad pacem et amorem populos revocando diligenter curabat, et afflictos aut oppressos passionem Christi exemplo ad laborum tolerantiam hortabatur ».

LXVIII. « In aegrotorum cura mirabilis erat; domus enim hospitales visitare, infirmorum lectus parare, vasa mundare, alimenta quaedam dulcia subministrare, dolores officiis et exhortationibus lenire, confessionem peccatorum audire solitus, ardenti charitate cunctos complectebatur. Fratrum etiam aegrotantium nunquam intermisit solicitudinem, quam quia ex regulae praecepto commendatam, orationis exercitio sibi aliunde tam charo praeferebat. Itaque praeter impensissima ministeria quibus infirmis fratribus subveniebat, illos etiam qua poterat, consolatione recreabat, ac lyrae et vocis suavissimo concentu laudes divinas, matrisque Virginis hymnos decantans, eorum corda mira dulcedine afficiebat ».

LXIX. « Cum p. Ioannes de Arpeytia qui provinciae duodecim Apostolorum minister fuit, Truxilli degeret et nocte quadam importunis moestisque cogitationibus perturbaretur, ecce quod hora noctis decima cellam eius ingreditur vir Dei, eumque praeveniens quid molesti pateretur, quaesivit, sibi quidquam accidisse neganti, ait: *omnia tua manifesta sunt, ego vero cantare scio*: et haec dicens lyram eduxit, quam pulsans coram sacratissimae Virginis imagine, laudes eius voce sonora decantavit. Finita musica, in silentio recessit moestumque religiosum mira mentis laetitia perfusum, moerore in gaudio mutatum reliquit ».

LXX. « Similiter Annam Manrique tertii ordinis in Peruviano regno primam reparatricem et abbatissam febribus laborantem Dei servus invisit: haec vero intra se dicebat: quid aliud cordis mei moestitiam amplius quam p. Solani piissimus cantus leniret? mentis tamen desiderium pandere verebatur. Vir autem Dei, spiritu sibi interius loquente, devotae mulieris cogitationes edoctus, illico tam suaves in honorem recenter nati Christi infantuli cantus emisit, ut aegra mentis consolatione repleta, exinde perfectam corporis coeperit acquirere sanitatem. Dirigendis in agone infirmis, et ad mortis transitum praeparandis specialem a Deo gratiam acceperat, ac proinde ad tantae charitatis officium non modo currere, sed volare videbatur; et qui alias silentio deditissimus fuit, tunc quasi imbres eloquia sapientiae mittebat: uno verbo tam alacriter ministrabat aegrotis, ut nullum unquam impatientiae verbum, aut tristitiae signum in eo fuerit deprehensum ».

LXXI. « Cum Truxilli degeret, visus est nonnunquam a quadam muliere ordini devota plenis annona manicis a conventu prodire: cui aliquando quo toties pergeret, sciscitanti respondit, se cuiusdam sibi dilectae domum adire. Quo responso, mulier ad curiositatem stimulata ipsum extra civitatem egressum, ad domum vetulae cuiusdam mulieris lecto detentae, horribili lepra infectae, a proximis et cognatis ob tetrum putredinis odorem omnino derelictae, intrasse advertit; ubi in spiritus charitatis fervore, genibus in terram positis horrenda infirmae ulcera osculari, deinde stans ea curare, lavare ac abstergere visus est: tandem commendata ipsi patientia, largitis quae tulerat, donis, ad xenodochium Indo transire, ubi lectos componebat et quae supra retulimus, ministeria spiritualia et corporalia aegrotantibus impendebat ».

LXXII. « Circa novissimos vitae annos in conventus a Iesu Limensis valetudinario cellam sibi ob continuas aegritudines assignatam occupavit; ibi solebat quotidie bis fratres infirmos invisere et viliora quaeque officia ardenter et humiliter exercere. Hunc et charitatis affectum ad ipsas quoque purgatorii animas extendebat, quarum poenis tenere compatiens, eas orationibus, poenitentiis suffragiisque ex illo carceris ergastulo liberare, et coelesti luci quam citius reddere satagebat, aliosque ad eadem pietatis officia frequentibus eloquiis invitabat ».

LXXIII. « Fuit tamen vir Dei tam suavi tamque benigna et dulci natura a supremo decoratus artifice, ut neminem a se nisi laetitia et gaudio perfusum ac consolatum recedere pateretur, et cuicumque ipsum alloqui, aut peccata coram eo confessione promere contingebat, miram se experiri alacritatem cordisque quietem profitebatur. Ipsa quoque animalia quam olim in seraphico Parente innocentiam et benignitatem probaverant, in tam digno ipsius filio reperiebant; unde non mirum si feroces tauros mansuefecerit, si locustas et cynipbes vocis imperio exterminaverit, ut superius visum est ».

LXXIV. « Aves etiam, primitivae quam Adam peccando amiserat vestigia in eo innocentiae praesentientes, familiares et domesticas se illi praebebant; saepe enim visus est et auditus dum in Truxilli conventu moraretur, inter aviculas conversari easque ad creatoris laudes cantu promendas hortari; illae vero quasi rationis compotes, capiti eius, humeris brachiisque velut arborum ramis insidebant, cum ipso divina cantica vocis naturalis concentu personabant, oblatam sibi panis in frustula conscissi annonam e manu eius familiari rostro carpebant, harum duas casu occisas testium fidelium relatio a viro Dei, compassione permoto, vitae restitutas affirmat. Infestantes conventus Limensis valetudinarium formicas ita solius voluntatis imperio abegit, ut deinceps nullam infirmis molestiam nec eorum alimentis intulerint damnum. Eadem viri Dei sancti benignitate allecti pisces, in supradicto euntium ab Hispania ad Indias naufragio, ultro se capiendos in hominum cibum illi offerebant; caneros etiam ad eius usque gurgustiolum ab aquis pergentes voce benigna excipiens, aiebat: *venite creaturae Dei, ut in escam fratrum vestrorum maiorum sitis* ».

LXXV. « Obedientia viri Dei Francisci Solani speculum est nitidissimum, in quo suarum quisque religiosus contemplari poterit exemplar actionum. Nihil enim minoritae isti magis cordi fuit, quam per semitas obedientiae tritas et tutas curriculum suae professionis implere. Nemo avidius ad dignitates et honores, nullus ad saeculi pompas velocius festinat, quam ipse subditi vitam et inferioris gradum ambiebat; oblata imo et collata sibi religionis officia quoties recusaverit ac renuntiaverit, ut amicam non desereret obedientiam, exempla su-

perius relata testantur. Quotquot vero ipsum contigit praelatis subesse, omnes una voce illum reguloris observantiae zelantissimum observatorem proclamabant; cum enim caecam huiusmodi virtutem esse sciret eiusque perfectionem non solum in absoluta propriae voluntatis abnegatione, sed etiam in perfecta rationis caecitate consistere, omnibus superiorum nutibus prompte et alacriter obtemperabat, nec corporis debilitate aut infirmitate detentus ad implenda praelati mandata currebat ».

LXXVI. « Iussus a quodam praeposito longam et difficilem aggressus est peregrinationem, licet adeo infirmus et debilis corpore, ac superveniente febri afflictus, ut ipsemet qui iusserat, poenitentia ductus metuensque ne in via deficeret, perfectis novem leucis, ut sisteret, imperaverit, addens insuper, ut conventum aliquem sibi gratum inhabitandum eligeret; ille vero ne voluntatis propriae in aliquo sequeretur impulsum, praelatum rogavit, ut sibi quam incoleret domum, sua prudentia destinaret. Sciens quantum ex merito obedientiae religiosis actionibus accederet pretium, opus quantumcumque parum absque illius interventu aggredi nunquam praesumebat, sed in omnibus superioribus aut mandatum expectabat aut licentiam petebat. Hanc tandem status regularis esse propriam innatamque virtutem, qua velut structurae fundamento ruente, totum spirituale corruit aedificium, sine qua nec religio nec fraternitas esset, fratribus suis verbis ac factis efficacissimis suadere conabatur ».

LXXVII. « Margaritam pretiosam minoriticae familiae paupertatem vir Dei impense coluit, et in eius observatione se legitimum seraphici Patris filium probavit. Tunica vilis et aspera, lectus durus, cibus tenuis, ieiunia fere continua, cella brevis et arcta, supellex exigua, quietis fuga, laboris amor, deliciarum et voluptatis odium, veram illam quam docuit Christus, quam Seraphicus pater in suis optavit paupertatem, in Francisco Solano peculiarem sibi thronum elegisse demonstrarunt. Solet plerumque in praelatis virtutis illius decor marcescere, dum sibi ipsis rigidi aut nimiam in aedificiis curiositatem, aut in donis saecularium largitatem indiscrete admittunt. At vero noster Solanus dum conventui s. Mariae Angelorum recollectionis Limanae praeesset, superflua quaeque aut curiosa reiiciens, nec sola pavimenta sterni, nec officiorum ac fenestrarum tabulas scapello dolari permisit, illis scilicet ornamentis sanctae paupertatis pulchritudinem deturpari affirmans ».

LXXVIII. « Pariter oblatas a quodam devoto saeculari conventui recollectionis duas Christi et Virginis imagines, dum quingentis nummis appretiari scivit, evangelicae paupertatis zelator eas recipere noluit, ac digna Francisco patre sententia dicit pretium illarum fratrum mendicorum conditionem excedere, magisque gratum acceptumque Deo futurum, si in alicuius orphanae aut in plurium egenorum levandam miseriam converteretur. Eiusdem evangelicae paupertatis amore peculiaria sibi oblata a saecularibus, ipsius necessitati compatientibus, rerum alias minori licitarum munera respuebat. Nonnullis ante obitum mensibus, quosdam e quibus praedicationum materias hauriebat, viles et parvi pretii libros ad guardianum detulit, ut eos iuxta discretionem suam in usum aliorum transferret; at tandem in ultimo agonis conflictu, ut se vere pauperem exhiberet, habitum ad sepulturam a guardiano humiliter petiit ac in eleemosynam impetravit ».

LXXIX. « Castitatis illibatae florem in viro Dei Francisco angelicae puritatis decorem imitatum fuisse, eorum qui cum eo vivente familiariter egerant, et religiosorum qui confitentis peccata exceperant, fide digna assertio confirmat;

Huius quippe virtutis curam adeo cordis sui medullis impresserat, ut omnia eius dicta et facta, aspectus ac progressus, conversatio et actio suavem castitatis redolerent odorem; nemo modestior illo, neque taciturnior, nullus oculis ac sensibus purior. Mulierum familiare colloquium omnino vitabat, nec unquam nisi obedientiae aut charitatis necessitate adstrictus eas alloquebatur; tuncque tantam visus et linguae praeferebat compositionem, ut ex cordis innocentiam et paritatem aperte manifestaret ».

LXXX. « Dum in provincia Tecumana populos doctrinam doceret christianam, occasiones perversas et gentis effrenatam ad malam libertatem advertens, locum quemdam et tractum passibus centum a cellula sua distantem designavit, ultra quem, ne quaecumque omnino mulier Inda transiret, nec alibi quam in ecclesia pro confessione aut re quapiam alia necessaria ulla ipsum alloqueretur, prohibuit; si quae autem praescriptos limites transgrederetur, eam a doctrinae praepositis fiscalibus puniri iubebat. Ab externis vero sensuum oppugnationibus ita per modestiam et femineae conversationis fugam munitus, domestici etiam inimici, carnis scilicet petulantiam asperis poenitentiis reprimebat et per continuas corporis afflictationes ad optimum illud supremi largitoris donum, castitatem virginalem consequendam se disponebat. Quod equidem assecutum, plura non solum dum viveret indicia, sed etiam corporis immutatio, candor, tractabilitas odorque suavis probarunt. Insuper et miraculo voluit Deus servi sui manifestare puritatem, quando erus a medico post mortem contractum, ad se retraxit ».

LXXXI. Episcopalem dignitatem assecutus est inter minoritas de observantia die xxix. Ianuarii Paulus a Laeu Perusino pro ecclesia Triventina in ditione Beneventana; die iii. Septembris pro ecclesia Canariensi Franciscus de Sousa iam supremus ordinis moderator. Scripsit hispanice *responsionem ad duos tractatus emissos pro republica Veneta Pauli v. mandatis et censuris olim refragante*, quam latinam reddidit vulgavitque hoc anno Neapoli Ambrosius Corduba. Ex minoritis conventualibus die xvii. Septembris fit episcopus Catacensis in regno Neapolitano Ioseph Pisculli minister generalis. Ad moderandum ordinem vicarii generalis titulo assumptus est Guilielmus Ugonius procurator generalis: *Cum nuper* die xviii. Septembris. Procuratorium autem munus iterum obtinuit Cornelius Rosa. Die item xvii. Septembris, postulante Moldaviae principe, fit episcopus Brachariensis in Valachia Hieronymus Arsenghi; die i. Octobris Lazarus Pellicianus iam episcopus Nuscanus transfertur ad ecclesiam Mutinensem. Cornelius Priatoni eiusdem instituti inquisitor generalis contra haereticam pravitatem Pisis transfertur ad id muneris explendum ad urbem Florentiae; Pisis destinatur Antonius Maria Farcomius a s. Genesio Picenus; postremo Bonaventura Passerus a Nola fit inquisitor Senis. *Wadd. et Sbar. ib. F.*

LXXXII. Hoc anno summus pontifex quaedam concedit Archangelo a Messana generali ordinis administro. Confirmat eius auctoritatem super reformatos fratres eisque reformatis aliqua indulget.

PAULUS PAPA V.

Dilecto filio Archangelo a Messana ministro generali totius ordinis minorum s. Francisci de observantia salutem et apost. benedictionem.

Postulat apostolici muneris ratio, quod nullis nostris exigentibus meritis divina dignatio gerere nos voluit in terris, ut inter caeteros agri dominici ex- *Ex reg. secr. brev. in mense Februario pag. 130.*

colendi curas minime negligatur restitutio disciplinae ordinis regularis, qui merito ut flos quidam et pretiosus lapis, inter ecclesiae ornamenta ss. patrum praeconio celebratur, ut quae humanae fragilitatis vitio tempore collabuntur, pastorali vigilantia, divino aspirante gratia corrigatur. Ut igitur b. Francisci fratres minores de observantia nuncupati quod nomine praeseferunt, in dies magis re ipsa praestent, motu proprio et ex certa scientia et matura deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium statuimus et ordinamus, ut tu et tui pro tempore successores ministri generales super omnibus reformationibus et fratribus reformatis eamdem ordinariam potestatem, quam super aliis eiusdem ordinis fratribus habes et exerces, similiter habere et exercere libere possis; quodque ministri provinciales qui reformati erunt, ordinariam super custodibus et reformatis similiter habeant et exerceant potestatem; qui vero ex dictis ministris de familia erunt, eisdem custodibus et reformatis praecedant, et pro eorum superioribus censeantur et recognoscantur; custos autem et eius vocales ad provinciale capitulum accedant et in eo in electione ministrorum et definitorum vocem activam et passivam habeant, ipseque custos a vocalibus suae custodiae in praefato capitulo eligatur, qui una cum discretis guardianos constituet et familias in sua custodia disponet; et alterius ut ipse custos quoties sibi necessarium videbitur, suam custodiam visitare, mutare, corrigere et punire possit; in casu vero appellationis ad te et pro tempore existentem ministrum generalem appellandum erit; rursus quoticscumque aliquis ex fratribus reformatis ob infirmitatem vel aliam legitimam causam a reformatione exire et ad familiam transire voluerit, in capitulo aut congregatione provinciali de consensu custodis et maioris partis vocalium custodiae illi concedatur, et eorumdem consensu necnon ministri provinciae fratres de familia ad reformationem poterunt migrare; novitiis quoque qui in capitulo aut congregatione recipientur, ut eum ad reformationem vel ad familiam ad novitiatum agendum se conferre veliot, eligere liberum erit, servata tamen fel. rec. Sixti papae v. praedecessoris nostri constitutione; praeterea circa conventus de familia acceptandos quidquid a dilecto filio nostro Pompeio tituli s. Balbinae presbytero cardinali Arigonio nuncupato, et a te ac pro tempore existente istius ordinis protectore ac generali ministro ordinatum fuerit, observetur. Quocirca in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis dicti ordinis et reformationis praedictae superioribus et religiosis praecipimus et mandamus, ut praemissa omnia et singula inviolabiliter observent tibique in illis prompte pareant, obediant et assistant, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die iv. Februarii pontificatus nostri anno ii.

LXXXIII. Eidem indulget, ut in provinciis Mediolani et Neapolis etiam non absoluto triennio et extra capitulum constituere valeat provinciae administros.

PAULUS PAPA V.

Dilecto filio Archangelo a Messana ministro generali totius ordinis minorum s. Francisci de observantia salutem et apost. benedictionem.

Ex eodem regesto pag. 137. Ut tui ordinis regimen tibi commissum ad regularis observantiae normam exercere et cum fructu spirituali reformationis negotium gerere in Domino

Digitized by Google

possis, tibi et successoribus tuis ministris generalibus ultra alias facultates tibi a nobis per nostras in simili forma brevis sub die IV. praesentis mensis expeditas literas concessas, ut in provincia Neapolitana et Mediolanen. si ita dilecto filio nostro Pompeio cardinali Arigonio eiusdem ordinis protectori et tibi videbitur, etiam nondum triennio ad eligendos novos ministros finito, pro novo eligendo ministro capitulum celebrare provinciale, vel dictum ministrum absque capitulo creare possitis et valeatis et respective possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac supradicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, ac omnibus illis quae in aliis literis praedictis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die v. Februarii pontificatus nostri anno II.

LXXXIV. Eodem Archangelo postulante ordinis privilegia confirmat.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut sacrarum religionum in militanti ecclesia suaves in Domino fructus assidue praestantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias et indulta illis a romanis pontificibus praedecessoribus nostris et apostolica sede concessa, quo validius perpetuo subsistant apostolicae confirmationis robore libenter communimus. Volentes igitur universum ordinem fratrum minorum s. Francisci de observantia, ex quo uberrimi in eadem Dei ecclesia fructus ad ipsius omnipotentis Dei laudem et christianae reipublicae spirituale commodum et utilitatem ab ipsius ordinis initio semper prodierunt, et in dies prodeunt, ac ipsius ordinis ministrum generalem, superiores et fratres universos spiritualibus favoribus et gratiis prosequi, ac eorum universos et singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus pro parte dilecti filii Archangeli a Messana totius ordinis huiusmodi ministri generalis nobis humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, concessiones, gratias et indulta spiritualia et temporalia, etiam per modum communicationis et extensionis inter se et cum aliis ordinibus mendicantium et non mendicantium eidem ordini minorum s. Francisci de observantia eiusque ministro generali, superioribus ac fratribus et sororibus aliisque religiosis utriusque sexus eorumque domibus, monasteriis, ecclesiis et locis regularibus quibuscumque per quoscumque romanos pontifices praedecessores nostros, ac nos et apostolicam sedem sub quacumque verborum forma et expressione in genere vel in specie, aut alias quomodolibet concessa ac plories confirmata et innovata cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis et declarationibus, ac singulas literas tam sub plumbo quam in forma brevis aut alias desuper confectas, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, quatenus sint in usu et non sint revocata, seu sub aliquibus revocationibus comprehensa ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis et eccle- *Ex eodem regest. pag. 539.*

Digitized by Google

siasticae libertati in aliquo non adversentur, ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Quocirca etc. Contradictores quoscumque etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xix. Iulii pontificatus nostri anno iii.

LXXXV. Idem pontifex confirmat privilegium fori religiosorum regularium intra claustra degentium: *Religiosorum* die xxiv. Augusti; adprobat: *Singularis tuus* die vi. Iunii statuta nonnulla edita ab archiepiscopo Coloniensi pro reformatione regularium utriusque sexus suae dioecesis; confirmat legatum factum in favorem fratrum minorum de observantia et conventualium degentium in coenobiis Ferrariae: *Exponi* die xxii. Decembris; concedit, ut construatur ecclesia in coenobio fratrum de observantia Tragurii in Dalmatia, bonis relictis a quadam muliere illius urbis: *Exponi* die v. Iulii; ut, licet expleto triennio, possit iterum eligi in commissarium generalem discalceatorum in Hispania Petrus Gonzalez: *Cum sicut* die xxii. Decembris; ut Alphonsus de Requescens commissarius generalis provinciarum Germaniae, Bohemiae, Hungariae, Transilvaniae et Sclavoniae erigere valeat Viennae et Pragae sodalitatem immaculatae conceptionis: *De salute* die xxii. Octobris; concedit usum altaris portatilis Iosepho a Porta conventuali, a consiliis et eleemosynis Henrici iv. Galliarum regis: *Spirituali* die xxxi. Ianuarii; subiicit commissario generali Hispaniarum monasterium s. Clarae de Petralbis Barcinonensis dioecesis, antea moderatum a ministro provinciae: *Cupientes* die xix. Martii; confirmat resignationem cuiusdam legati factam a fratribus observantium conventus Centi provinciae Bononiensis: *Sedis apostolicae* die x. Februarii; vetat ne aliis mutuentur paramenta sacra monasterii clarissarum de Zafra Pacen. dioecesis: *Cupientes* die xxii. Iulii; item ne extrahantur libri ex bibliotheca s. Francisci conventualium Bononiae: *Cupientes* die xiii. Augusti; indulget Petro Calcagni de tertio ordine, ut ss. reliquias extrahere valeat ab Urbe: *Cum sicut* die xix. Ianuarii; ut Didacus Ulyssiponensis, et Iulianus a Matre Dei minoritae de observantia transeant ad fratres recollectos: *Exponi nobis* die vi. Februarii; ut sodales confraternitatis conceptionis erectae in ecclesia conventualium s. Francisci Senen. se transferant ad oratorium b. Mariae da Provenzano eiusdem urbis: *Dilectorum filiorum* die viii. Iulii; tribuit facultatem ministris generalibus et commissariis generalibus erigendi in eorum ecclesiis sodalitium chordigerorum: *Nuper* die ultima Iulii.

LXXXVI. Concedit indulgentiam plenariam visitantibus ecclesiam monasterii Lucan. in die s. Clarae: *Universis* die xxix. Septembris; visitantibus ecclesiam monasterii clarissarum de Zafra Pacen. dioecesis in die conversionis s. Pauli: *Ad augendam* die xxii. Novembris.

LXXXVII. Erigit confraternitatem s. Crucis in ecclesia conventualium terrae s. Victoriae Firman. dioecesis: *Cum sicut* die xxiii. Maii; confraternitatem conceptionis in ecclesia observantium s. Mariae de Gratia Bilenzonae: *Cum sicut* die xix. Maii; confraternitatem conceptionis in ecclesia s. Philippi ordinis eremitarum s. Augustini oppidi de Madrid Toletan. dioecesis: *Cum sicut* die i. Iunii; confraternitatem conceptionis in ecclesia parochiali oppidi Laudspergae Augustan. dioecesis: *Cum sicut* die i. Iunii; confraternitatem s. Antonii in

Digitized by Google

ecclesia Lusitanorum de Urbe: *Ad augendam* die IX. Iunii; confraternitatem s. Rochi in ecclesia eiusdem nominis in oppido Avigliani Vercellensis dioecesis: *Cum sicut* die ultima Maii; confraternitatem s. Rochi in ecclesia collegiata s. Nazarii in Brolio portae romanae Mediolani: *Cum sicut* die IX. Iulii; confraternitatem conceptionis in ecclesia ss. Laurentii et Bernardini Vicentiae: *Cum sicut* die IV. Iulii; confraternitatem chordigerorum in ecclesia observantium terrae de Meda Papien. dioecesis: *Cum sicut* die XX. Iulii; confraternitatem conceptionis in ecclesia observantium Cotignolae Faventin. dioecesis: *Cum sicut* die XXI. Iulii. Eidem confraternitati concedit indulgentiam plenariam pro die II. Augusti: *Cum sicut* sub eodem die; confraternitatem s. Rochi in ecclesia conventualium Castrifranchi Tarvisin. dioecesis: *Cum sicut* die VIII. Augusti; confraternitatem s. Rochi in ecclesia eiusdem nominis Bononiae: *Cum sicut* die IX. Augusti; confraternitatem conceptionis in ecclesia parochiali oppidi de Villalva Pacen. dioecesis: *Cum sicut* die IX. Augusti; confraternitatem s. Mariae de Monte Carmelo in ecclesia conventualium Civitatis Realis Reatin. dioecesis: *Cum sicut* die XIX. Decembris; confraternitatem conceptionis in ecclesia de Villa Agutinna Calaguritan. dioecesis: *Cum sicut* die XXIII. Novembris; confraternitatem conceptionis in ecclesia s. Francisci Urbevetan. *Cum sicut* die XVII. Novembris; confraternitatem disciplinantium in ecclesia s. Rochi Bergomi: *Cum sicut* die XXIV. Octobris.

LXXXVIII. Sequentia diplomata ex indiculo bullarii Petri de Alva notamus. Indulgentia pro capitulo generali fratrum conventualium Assisii: *Meritis licet* die XXII. Octobris; confirmatio indulgentiae Portiunculae in regno Galliae: *Cum sicut* die XXXI. Ianuarii; pro monasterio clarissarum Illuminatarum Paduan. *Ex iniuncto* calendis Decembris; circa monasterium monialium clarissarum Ravennae: *Ex iniuncto* VII. calendas Iunii; beneficialis in ecclesia clarissarum Licien. *Apostolicae sedis* calendis Augusti; pro monasterio ss. corporis Christi Neapolitan. *Ex iniuncto* calendis Ianuarii; beneficium conceptionis in loco de Reus Tarraconen. *Dignum* pridie calendas Septembris; alterum beneficium conceptionis in eadem ecclesia: *Vitae ac morum* pridie calendas Septembris; pro coenobio conventualium s. Geminiani Volaterran. *Ex iniuncto* XIX. calendas Augusti; pro monasterio s. Clarae Montismelonis Maceraten. *Ex iniuncto* IX. calendas Decembris; cappellania ad altare conceptionis in ecclesia s. Felicis de Fregaroli Terdonen. *Dignum* XV. calendas Februarii; simplex beneficium in ecclesia conceptionis s. Mariae Plebis Bononien. *Vitae ac morum* XVI. calendas Novembris; de collegio in oppido de Victoria, ubi de guardiano conventus s. Francisci: *Ex debito* pridie nonas Augusti; beneficium conceptionis in ecclesia maiori Lucan. *Apostolicae sedis* XIII. calendas Iunii; pro monasterio clarissarum s. Sebastiani de Papia Ianuen. *Ex iniuncto* VII. idus Septembris; beneficium sub invocatione conceptionis in oppido Vitellianae Cremonen. *Dignum* IV. calendas Ianuarii; circa fundationem conventus conventualium reformatorum Placentin. Bononien. *Literarum* III. nonas Februarii; pro monialibus oppidi de Mencheo Brachacen. *Ex pastoralis* VI. idus Ianuarii; pro confraternitate conceptionis s. Laurentii in Damaso de Urbe: *Cum certas* die V. Iunii; decretum Alexandri s. r. e. cardinalis de Montealto pro confraternitate conceptionis terrae Valentiae Papien. *Dilectis nobis* die XVI. Septembris.

LXXXIX. Hoc tempore Virgilius Fiorenzi episcopus Nucerinus exuvias s. Martii tertiarii, defuncti anno MCCCI. die VIII. Octobris in ecclesia ss. Laurentii et Stephani Vallis de Terra Sancta D. P. a Gualdo ferme diruta, transtulit ad templum s. Rochi extra idem oppidum. *Ann. min. ad ann. 1301. n. 2.*

Sedulius pag. 183. XC. Catharina uxor Guilielmi Nepels civis Mosae-Traiectensis habebat Mathiam filiolum bimulum ita gibbosum, ut prae debilitate pedum, stare nequiret. Edidit mater votum ducendi filium in publica supplicatione ad beatam Virginem Traiectensem in altera Christi Iesu resurrectionis die; quod cum solvisset, puer intra triduum ex integro restitutus, recte incessit, gibba paulatim detumente. Similia obtinuit Ida Smides incola Mosae-Traiectensis, habens filiolam Elisabetham ita male affectam in pedusculo sinistro introrsum detorto, ut in talos vix niti poterat. At illa postquam ter circum imaginem b. Mariae virginis in medio templi positam, filiam gestasset, puella mox in pedes recta stare coepit, et pedibus domum repetiit.

Acta ss. ad diem 18. Martii pag. 137. XCI. Dimas Serpi postulator causae beati Salvatoris ab Horta in Urbe commorans, admovit eiusdem Beati capucium patri Ioanni a Caprarola apud s. Ioannem de Laterano poenitentiario, omni sensuum usu ob gravem morbum destituto. Ad eius contactum illico in se reversus, loqui et melius se habere incepit.

Ughel tom. 1. col. 855. XCII. In ecclesia s. Francisci conventualium Urbini quiescit corpus Petri Carthularii episcopi Feretrani. In eius parentalia funebrem orationem habuit Oliverius de Uliveri Urbinas.

D. O. M.

PETRO CARTHOLARIO VRBINI EP. FERETRANO I. V. C. QUI POST PLVRIMOS PRIMARIOS TAM SAECVLARES QVAM REGVLARES ECCL. MAGISTRATVS SVMMA CVM VIRTVTE INTEGRITATE AC LAVDE GESTOS EGREGIAM IN CONSVLT. TOTIVS DOMINII ECCL. NEGOTIIS TRIB. PONT. CLEM. VIII. LEON. XI. ET S. D. N. PAVLO V. NAVATAM OPERAM INSIGNI PIETATE ERGA PAVPERES PRAESERTIM EXTEROS AD VERAM FIDEI LVCEM CONVERSOS OMNI VIRTVTE AC LAVDE CVMVLATVS OBIIT ANNO AETATIS SVAE LXVI. SALVTIS OMNIVM MDCVII.

FRANCISCVS CARTHOLARIVS NEPOS. P. C.

XCIII. Ad latus dexterum ecclesiae corporis Christi monasterii clarissarum Pisauri obviabat sequens monumentum.

D. O. M.

GVIDO VBALDO E MARCHIONIBVS MONTIS SANCTAE MARIAE MONTIS BAROTII COMITI II. ARTIBVS EGREGIIS SCIENTIISQVE PRAESERTIM MATHEMATICIS EMINENTISSIMO CVIVS PRAECLARAS VIRTVTES MODESTIA ORNAVIT RELIGIO SVPERAVIT QVI SANCTISSIME OBIIT EXEVNTE AETATIS SVAE ANNO LXII. SALVTIS VERO MDCVII. VIII. IDVS IANVARII. FELIX DE RVERE ET FILII CONIVGI ET PATRI OPTIME MERITO.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Fratres minores capucini ac conventuales habent generale comitium. Plura ad ordinis decorem constituit Archangelus a Messana generalis minister. Domus fratrum et sororum multiplicantur. Inclarent viri docti et decedunt. Beate occumbunt viri Dei ac virgines. Eliguntur episcopi et ordo favoribus augetur.

Capucini fratres in comitio generali habito in Urbe iterum salutarunt Hieronymum a Castro Ferrettorum in munere supremi ordinis moderatoris. *Boverius ad hunc annum num. 1.* Procuratoris generalis officium obtinuit Michael Angelus Ariminensis. Aliqua in eodem capitulo instituta fuere. Prae caeteris autem statutum, ut vicarius generalis ac ordinis procurator quinquennii spatio suo in munere permanerent. Eorumdem missio apostolica per Angliam, Scotiam et Hiberniam rata fuit a summo pontifice, ut sequens declarat monumentum. *Paulus divina providentia v. pontifex maximus, praesente ill. ac reverendiss. domino card. Barberino protectore Scotiae ac vice-protectore Hiberniae, missionem pp. capucinorum s. Francisci Assisiatis in Maiorem Britanniam et eius omnes insulas, quae ad Angliam, Scotiam et Hiberniam reduci communiter solent, amplecti visceribus apostolicis ad maiorem Dei gloriam et salutem periclitantium dignatus est. Necnon eius propagandae studio, ne quid eis necessariis deesse posset, vivae vocis oraculo placuit suae sanctitati omnimodam communicationem cum privilegiis et facultatibus universis cum ordine d. Benedicti, s. Francisci, s. Dominici, societatis Iesu aliisque religiosis quibuslibet, aut seminariorum alumnis, qui sunt vel erunt posthac in partibus illis. Insuper quoad praecepta regulae suae in habitu caeterisque observantiis, ut quando necessarium est iudicio, prudentis viri ac timoratae conscientiae liceat eis praetermittere illa similiter, quandiu in partibus illis commorabuntur; demum gratiis, favoribus ac privilegiis a sede apostolica datis generatim aut speciatim ordini suo, prout in usu probataque sunt, frui, quoties erit opus; unde ill. et reverendiss. dominus praefatus ad faciendam huius rei fidem, praesentibus manum sigillumque suum apponere dignatus est hac die XXIX. Maii anno Domini MDCVIII.* *Tugius tom. 3. pag. 278*

M. card. Barberinus.

II. Fratres minores conventuales in comitio Assisii coacto supremum ordinis moderatorem obtinuerunt Guilielmum Ugonem Avenionensem, iam vicarium generalem apostolicum, et generalem procuratorem Cornelium Rosa Neapolitanum. *Benoffi pag. 283 et pag. 36. in regest. procur generalium.* Patronum ordinis habuerunt a pontifice: *Cum ordo* die VII. Octobris cardinalem Marcellum Lantes, loco Alphonsi card. Vicecomitis, Maceratae in Piceno defuncti die XIX. Septembris.

III. Aliqua pro muneris sui ratione decernit Archangelus a Messana minoritici ordinis administer. Ac primo quaedam statuit circa patrum ordinis praecedentiam: *reverendissimus p. fr. Archangelus de Messana ordinis minorum regularis observantiae generalis minister, re alias mature considerata et cum gravioribus suae religionis patribus bene ac pluries discussa, facto prius verbo cum ss. d. n. Paulo divina providentia papa v. et cum ill. et reverendiss. d. Pompeio Arigonio s. r. e. cardinali et ordinis protectore* *De Gubernatis tom. 1. pag. 400.*

sic statuit et decrevit perpetuo et inviolabiliter observandum videlicet, quod generales ordinis definitores actuales habeant votum in propriis provinciis in electionibus et actionibus quibuscumque, quemadmodum habent ipsimet definitores provinciales. Circa praecedentiam hic ordo inviolabiliter servetur videlicet, quod post illos qui ministri et commissarii generales vel per biennium vicarii rr. patrum fuerunt, praecedant omnino romanae curiae officiales et generales ordinis definitores; post quos immediate sequantur procurator ordinis et commissarius curiae, per continuum triennium officio functi; deinde patres ordinis immediate, videlicet qui antiquiores in ipso fuerunt, praeter praedictos praecedant caeteros qui provinciales ministri in sua quisque provincia alias fuerunt. Si quis autem ex quatuor electis provinciarum definitoribus vita excesserit, vel alio quovis modo vacaverit, in eius loco subrogetur qui ex illius provinciae patribus in ordine superius enarratae et explicatae praecedentiae dignior fuerit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die XXI. Februarii anno MDCVIII.

Fr. Archangelus a Messana manu propria.

IV. Altero mandato suo fratres Romam advenientes ac coenobium Aracoelitanum incolentes, procuratori generali ac commissario romanae curiae voluit esse subiectos.

Fr. Archangelus a Messana totius ordinis s. Francisci minister generalis et servus.

Idem ibid. pag. 408. Quoniam in hac alma Urbe officiales nostri, procurator videlicet et commissarius romanae curiae vicem nostram in exequendis et gerendis ordinis negotiis gerentes, continuo laborant insudantque diligenter, ut religionis nostrae cunctae provinciae et opitulentur et protegantur, nostrae curae est, ut circa ipsos quomodocumque possumus, et gratitudinem et benevolentiam exhibeamus, curemusque, ut in hac praecipue domo in qua resident, omnia et singula quae hucusque huiusmodi curialibus seu implicite seu explicite concessa fuisse cognoscimus, et concessa et rata faciamus ad hoc, ut ipsi maiori affectu ad religionis servitium inflammentur. Quocirca non obstante alio quocumque ordine seu decreto per nos sive per alios confecto, volumus et decernimus, ut supradicti pp. circa fratres suae familiae respective Romam accedentes omnimodam et absolutam habeant iurisdictionem ita, ut eo tempore quo Romae degent, nihil sine ipsorum licentia agere possint, nec de domo exire nec aliud aliquid exequi: convenit enim, ut si ipsi confluentium fratrum negotia sciant et tractant, ab ipsis etiam in omnibus dependeant. Illud tamen et hortamur et volumus et praecipimus, ut huius domus necessitates praevidentes, quamcitius poterunt, fratres expediant, et si acciderit alicuius negotii longitudo, in aliquem conventum extra Romam ad detinendum eos mittant, et hoc cum suis obedientiis immediate sicuti in constitutionibus nostris statuitur. Volumus insuper ut procurator et commissarius sive illorum secretarii nulli suorum fratrum exeundi licentiam tribuant, nisi celebrato sacro sive in ecclesia hac, sive in alia ad quam missi fuerint celebrationis ergo. Et quoniam fratres omnes de paupertate huius conventus vivunt, et debent etiam omnes fratres ipsi aliquo pacto adiumento esse: unde si occurreret defunctos sociare sive processiones

Digitized by Google

facere, sive aliam aliquam rem divino cultui concernentem efficere, debent fratres hospites a praedictis patribus non tantum hortari, verum compelli ad illa omnia exequenda; et in hoc p. guardianus conventus et ipsi sancta charitate certabunt, ut Deo optimo maximo et divinis officiis ab omnibus serviatur, et sit inter illos tantae unionis et benevolentiae vinculum, ut ex ipsis tamquam capitibus et fontibus caetera membra, rivulique, qui sunt fratres alii, omne perfectum charitatis exemplum percipiant. Quod ut extrinsecus etiam dignoscatur, praecipiet p. guardianus omnibus suae domus officialibus, ut praedictis patribus ex officinis suis omnia illa hilariter exhibeant, quae ad victum et necessitatem ipsorum erunt necessaria ut sunt ordinaria. Et si acciderit, ut praedicti patres sive ipsorum socii propter aliqua negotia expedienda, sive aliquod aliud impedimentum non possint ad communitatis concursum accedere, debeant et coquinarius et canaparius ipsis quocumque tempore succurrere et providere; et si velint in suis cellis comedere, eam provisionem quam in refectorio ipsis praeberent, quo volunt, mittant; et denique in sacristia aliisque locis ubi fuerint ita pertractentur, sicut eorum aetas, gravitas, dignitas et labor requirit.

Datum Romae die XXIII. Maii MDCVIII.

Fr. Archangelus a Messana minister generalis manu propria.

V. Ut autem in Italiae provinciis collapsa restitueret, ac ordinis decorem augeret, epistolam pietate ac doctrina refertam vulgavit quam subiicimus.

Fr. Archangelus a Messana totius ordinis fratrum minorum generalis minister et servus universis dilectis nobis in Christo patribus ac fratribus nostris provinciarum Italiae superioribus et subditis salutem.

Laboriosum atque perarduum regiminis totius religionis nostrae munus, quin potius publicae servitutis gravissimum onus, angelicis etiam humeris formidandum, non nostris meritis sed divina dispositione ab ipsa religione nobis iamdudum impositum, illud unum maxime expostulare non ambigimus, ut omni solicitudine cura, studio ac diligentia totisque viribus super oves regimini ac vigilantiae nostrae concreditas invigilare, easque agnoscere atque verbo et exemplo poscere debeamus. Quod et nos, sicut ad id praecepto divino obligari dignoscimur, praestare et ministerium nostrum (quantum Domino adiuvante possumus) digne atque utiliter implere cupientes, in ipso fere ministerii et nostrae servitutis initio, per alias nostras literas significavimus vobis, quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo: et ut sic ambularetis et abundaretis magis, omnes fere Italiae provincias non sine ingenti nostro labore, magnis incommodis et gravioribus itinerum periculis multisque propterea vigiliis, curis et solicitudinibus perfuncti visitare curavimus. Et omni officio omnique christianae pietatis et charitatis studio, paterna benignitate, publicis ac privatis cohortationibus universos et singulos commonere, et ad pietatem, paupertatem, obedientiam, castitatem, integritatem, patientiam, humilitatem caeterasque christianas virtutes, et ad optimam denique regularis vitae disciplinam et ad ss. p. n. Francisci instituta atque vestigia efficaciter et pie sectanda, ut voluntas Dei quae est sanctificatio vestra, in vobis adimpleretur, studuimus cohortari. *Idem ibid. pag. 245.*

Digitized by Google

Nunc autem ad partes ultramontanas profecturi, eadem ratione et animarum salutis zelo permoti, considerantes quam horribiliter et terribiliter Deus per os sanctorum prophetarum eius, pastoribus semetipsos non gregem pascentibus et speculatoribus, praelatis scilicet superioribus non annunciantibus subditis gladium irae Dei venientem ad devorandos legis transgressores, et ut fugiant a facie arcus quem tetendit Deus, et in eo paravit vasa mortis, sanguinem animasque eorum de manu pastorum praelatorum requisiturum comminetur; ideo ad nostram vestrasque animas de gladio aeternae mortis eruendas atque etiam rationem quam Deo pro animabus vestris reddituri sumus, ut eum gaudio et non gementes hoc facere possimus, dignum, quin potius debitum censuimus, ea quae saepe saepius verbo expressimus, et statutis in visitatis provinciis pro illarum reparatione et regularis nostrae observantiae instauratione et conservatione ordinare curavimus, praesenti scripto vobis esse repetenda, ut et memoria firmius retinere et opere efficacius adimplere valeatis. Ad hoc enim, ut inquit s. Bonaventura in epistola prima ad provinciales, potissimum invigilare debet solicita cura pastoris, ut in commisso sibi grege meritum virtutis accrescat, vitiis via claudatur, et detur moribus disciplina. Sane cum evangelici culminis observata perfectio hactenus spectabiles et amabiles nos mundo reddiderit, omnique favore ac reverentia dignos, ecce iam nunc multitudine in procliva tendente et remissius agentibus iis qui praesunt vitiorum quaedam sentes succrescere cernuntur, quae sacram et venerandam religionem onerosam et despicabilem reddunt, ac fidelibus populis vertunt in scandalum, quod cunctis esse debuerat in exemplum: nam frequentes discursus et quaestus importunus nos viles et graves efficiunt, et pro eo quod paucis nolumus esse contenti, iam omnibus facti sumus onerosi. Horum autem potissimam rationem arbitramur et causam, quod ea quae provida cura per totius ordinis providentiam, magno christianae pietatis et religionis zelo in generalibus capitulis prudenter quidem et salutariter constituta sunt, neglecto, minime servontur, sicque fit divini permissione iudicii, ut qui modica spernunt, in graviora paulatim decidant; quia dum regularis disciplina negligitur, insolentiae crescunt, ac per hoc interior negligentia circa exercitationem virtutum exterius procedit in scandalum, per eorum patentem ruinam qui stare videbantur in oculis aliorum. Unde fit, ut sanctae religionis splendor praefulgidus in pallorem degeneret, sanctitatis pulchritudo sordescat, bonae opinionis odor computreat se nomen Domini et ss. p. n. Francisci blasphemetur.

Quorum omnium, licet s. Bonaventura causam praemissam assignet, nos tamen alteram et proximam ruinarum nostri ordinis causam eam esse putamus, quia quamplures superiores et subditi, non factores verbi sed auditores tantum *similes hominibus considerantibus vultum nativitatis suae in speculo*, nec in evangelica quam profitentur, perfectae libertatis lege et regula, ut permaneant in ea opere et veritate, perspicientes, obliti sunt Deum qui eduxit eos de aegypto mundi huius, transtulitque in terram promissionis, religionis scilicet et dilectionis filii sui: obliti, inquam, sunt quales profitendo fuerint, quid omnipotenti Deo, b. Mariae semper virgini, b. Francisco ac superiori, adstantibus angelis et audientibus hominibus, voverint et promiserint; et quod tandem non ex tristitia aut ex necessitate, sed voluntarie et spontanee iuraverunt ac firmiter statuerunt custodire iudicia iustitiae Dei, ipsique vota sua per labia eorum distincta, dum sese illi in professione solemni, quasi in holocaustum obtulerunt, reddere; certum est enim, si quam grave sacrilegium sit vota non implere, quamque

Digitized by Google

Deo displiceat, et quam graviter sint ab illo puniendi transgressores, considerarent attente, et quam terribiliter adversus eos Moyses Deut. 23. clamet: *cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis et facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et oro tuo locutus es*; et Ecclesiaste 5. *si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quaecumque voveris, redde*; et Provorb. 20. *ruina est homini devotare sanctos, et post vota retractare* idest non reddere, animadverterent. Et item si quam districte praeceperit Deus, mandata sua esse custodienda, ut David propheta cognovit et scripsit: *tu mandasti, mandata tua custodiri nimis* attenderent, scirent utique et efficaciter intelligerent, vota Deo esse reddenda. Quod alio in loco idem propheta clarius testatur, *vovete*, inquit, *et reddite Domino Deo vestro*; et si vovere antecedenter fuit consilii, consequenter tamen, idest post votum emissum, est praecepti. Ad cuius observantiam nos omnes nobisque similes comminatoriis verbis inducit propheta, dicens: *terribili, et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terrae.* Ac si patenter dicat, ne existimetis vos vovisse aut promisisse hominibus debilibus et infirmis, qui de iniuria sibi illata in promissis non observatis vindictam sumere plerumque non valent, sed Deo vovistis, qui potens est spiritum principum et reges terrae de medio auferre, et corpus et animam perdere in gehennam: cuius omnipotentis manum neque vivus neque defunctus quis potest effugere, et in quam incidere horrendum est, cum sit nemo qui de ea possit eruere. Sic et perdet omnes, qui loquuntur mendacium, et ea quae in professione promiserunt, non observarunt. Odit enim Deus linguam mendacem et os bilinque detestatur, Proverb. 6. et 7. Sic etiam maledicti sunt omnes, qui declinant a mandatis Dei; qua maledictione quotidie sibi ipsis maledicunt, dum psalmum *beati immaculati* recitant. Quibus si haec non sufficiunt, audiant quid loquatur et terribiliter comminetur Dominus in fine cap. 27. Deut. *maledictus omnis qui non permanet in sermonibus legis, nec eos opere perficit*; et per Apostolum ad Gal. 3. illud idem repetit et confirmat.

Ad haec autem quia non est, qui aspiciat neque in illis meditetur, aut illa consideret vel recogitet, dissipatione dissipata est nostrae regulae observantia et regularis vitae disciplina.

Non est igitur mirandum, si multi ex vobis transgressi sunt legem, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus et abalienati sunt retrorsum; si tot ac tam graves abusus (quod non sine multa animi nostri molestia et vidimus et dolentes referimus) iamdudum in ordine introducti vigeant, depravati mores crescant, variae pullulent quotidie corruptelae, ac in omnibus fere regularis vitae nostrae observantia et religiosa morum disciplina labefactata existat, itaut iam religionis antiquae non solum virtutem amiserimus, sed nec speciem retineamus. Iam enim in recipiendis ad ordinem in quo maxima diligentia adhibenda est, nullus delectus habetur, multi inepti, idiotae, insufficientes et inutiles contemplatione hominum indifferenter recipiuntur; novitii non ea qua par est, cura, solicitudine ac vigilantia instituuntur ac educantur, nec ea quae illos scire et profiteri oportet, edocentur.

Ut igitur grave quod adfert detrimentum religioni talium ad ordinem susceptio et neglecta educatio, opportune occurramus, volumus atque praecipimus,

quod de caetero nullus ad ordinem recipiatur, nisi servata forma constitutionis Sixti v. et statutorum ordinis, examinatus et approbatus, idoneus et sufficiens fuerit, quorum cura, instructio et educatio viris probis religionis zelo et morum gravitate praestantibus, aetate, prudentia et eruditione conspicuis tantummodo committatur, qui possint et velint docere eos verbis et factis servare omnia, quae illos scire et profiteri oportet. Ne secus tamquam muta animalia potius ducantur in professione ad victimam quam ad vitam, et professio eorum fiat illis non via ad salutem, sed laqueus ad mortem, et in retributiones et in scandalum; et qui eos ad habitum et professionem ita recipiunt et admittunt, similes fiant hominibus illius temporis, qui circuibant mare et aridam ad faciendum unum proselytum, quem factum, plusquam se ipsos in duplo filium gehennae constituebant; et isti postmodum ignorantes ea quae debuerant profitendo scire, existimant se ad ea servanda minime teneri, et obiiciunt ignorantiam propriam aut pravam consuetudinem aliorum. Qui autem novitios huiusmodi ad religionis habitum et professionem admittere contra dispositionem constitutionis et statutorum praefatorum ausus fuerit, ipso facto ultra poenas in eisdem contentas, officio suo privatus existat et alia graviora ad arbitrium superiorum incurrat.

Quo vero ad vestitum, iam multi non asperis sed mollibus, non vilibus (ut praecipit regula) sed pretiosis induuntur vestibus ac subtilioribus tunicis, et, ut inquit s. Bernardus, ex eodem panno miles et monachus partiuntur sibi cucullam et chlamidem, non attendentes, quod mollia indumenta animi mollitiem indicant: nec tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Ideo mandamus, ne quis sub poena privationis vocis activae et passivae ad biennium ferre audeat tunicas de saya raxia seu rassetta (ut appellant) neque caputium deforme, simplex sine plica et panno inferiore, quod iam ex novo abusu incipit a multis deferri, ut nullatenus possit cum altera tunicarum consui, sicut constitutiones ordinis (quod ex regula elicitur) iubent.

Disciplinae, culparum recognitio, dormitio super paleis, caeteraeque carnis mortificationes, silentium religiosis maxime utile et necessarium, lectio ad mensam, surrectio ad matutinum, aliaeque permultae traditiones, ac religiosae praxes et consuetudines a maioribus magna pietate acceptae, superiorum incuria, indevotorum fratrum culpa, vel in toto vel in parte, maxima cum salutis animarum et regularis disciplinae iactura, multis in locis in dissuetudinem abierunt.

Studio sanctae orationis et devotionis, ex qua, inquit s. Bonaventura in tractatu de sex alis seraphim cap. 2. fulcitur omnis vera religio, et omne virtutis exercitium impinguatur, et in omni religione, ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere et appropinquare ruinae, statutis horis non insistitur neque attenditur.

Scientes itaque, quod in huiusmodi laudabilibus virtutum exercitiis, in reliquis consuetudinibus custodiendis et observandis sit retributio multa, volumus et mandamus, quod in pristinum revocentur, custodiantur et omnino observentur, et superior qui in ipsis sanctis consuetudinibus observandis negligens in se et in aliis fuerit, suo statim privetur officio.

In equitando vero vel bigando, aut in calceamentis ferendis vel in ieiuniis observandis, non ad illam quam regula ponit, et doctores, divus Bonaventura praecipue interpretantur, necessitatem, iam fratres quamplurimi aspiciunt vel

Digitized by Google

attendunt, sed ad suum quisque libitum interpretantur, et ubi nulla aut minima est, iusta fugitur et licitum putatur, quod plerumque mortale est crimen.

Iubemus itaque, quod superiores in transgressores graviter animadvertant, et ad praescriptum constitutionum eos puniant. Quod autem gravissimum, ac nostri ordinis et regularis observantiae ruina ac totale excidium est, quod in pecuniis et per se et per interpositam personam multifarie procurandis, petendis, accipiendis, retinendis ac publice contrectandis, et etiam in plateis, nundinis, tabernis, itineribus et hospitiis expendendis, ac in multis et variis superfluitatibus, curiositatibus vanitatibus sub diversis praetextibus tum propriis, tum fabricae monasteriorum, vel reparatione et ornatu ecclesiarum, tum etiam necessitatis parentum, propinquorum et amicorum effundendis et dissipandis, seu etiam inter manus procuratoris sub eisdem respectibus et praetextibus, ac pro necessitatibus possibilibus depositandis; et insuper in bursariis secum deferendis, a quamplurimis intelligere recusantibus, ut bene agant, seu laborem in praecepto fingentibus, nulla consideratio habetur, nullus nec stimulus aut remorsus conscientiae sentitur, vel scandali ratio aestimatur, ac si ad ea, caeteraque alia regulae praecepta sub reatu mortalis culpae ac aeternae maledictionis poena minime tenerentur. Quin potius eo dementiae nonnulli venerunt, ut admoniti ac reprehensi, in adiuterium sui erroris aliorum pravam corruptelam quam ipsi consuetudinem appellant, assumere praetendant.

Sunt etiam quamplures alii suae salutis immemores, in lignis de silvis aut nemoribus, seu in fructibus de viridariis aliisque rebus intra septa monasteriorum vel locorum nostrorum nascentibus, ac in operibus et laboribus manuum suarum, videlicet sportulis, coronis, calcpodiis et corrigiis eorum aliisque similibus vendendis, commutandis, aut contra declarationes et concessiones apostolicas, et ordinis statuta quomodocumque distrahendis, in domibus et pratis seu pascuis locandis, in agris intra clausuram conventuum seminandis vineisque plantandis, in legatis annuis ac obligationibus missarum perpetuis procurandis et faciendis, atque directe vel indirecte exigendis, in eleemosynis superfluis colligendis, quod est (ut inquit s. Bonaventura) quoddam genus rapinae, quod a paucis advertitur; in muneribus dandis ac in multis aliis proprietatis actibus ita solicite sese ingerunt, implicant et involvuut, ut peccatum nullum esse existimare videantur, et in eo quo Deum, animam propriam et regulam graviter offendunt, obsequium se illi forsitan praestare arbitrantur.

Quibus associari possunt nonnulli fratres infirmarii seu aromatarii, qui quamdam apostolicam concessionem pro infirmorum necessitate concessam, ultra quam par est, extendentes, illaque abutentes, emunt et vendunt aromata, pharmaca et id generis multa, et sub illo velamine pietatis negotiationem veram in animarum suarum perniciem exercent.

Quae omnia cum expresse regulae nostrae eiusque declarationibus adversentur, et talia agentes damnationem sibi ipsi acquirere certum sit, ut olim multipliciter per statuta generalia sub certis poenis iure merito prohibita extiterint, nunc rursus sub eisdem poenis probibemus, et veluti proprietatis actus omnino interdicimus. Scimus enim quantum beatissimo p. n. Francisco contrectatio pecuniarum semper displicuerit, quamque graviter ipsum aut potius Deum offendunt eam contrectantes, aut alios proprietatis actus exercentes, ex verbis regulae ipsius manifeste apparet. Nam in principio cap. 4. non contentus dixisse *praecipio* addidit etiam adverbium illud *firmiter*, et sequentia verba, *nullo modo per se vel per interpositam personam denarios vel*

pecuniam recipiant; et quasi non ista sufficerent, in fine adiicit, *eo semper salvo, ut sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant*; quod etiam in sequenti capite illud repetit et confirmat: *de mercede vero laboris pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant, praeter denarios vel pecuniam*. Certe in tota regula non est reperire praeceptum aliud toties repetitum, nec talibus circumstantiis et clausulis exceptivis roboratum atque munitum. Sufficiebat dixisse *praecipio*, quod ex sui natura et ex subiecta materia obligationem importare solet; sed ideo addidit singula b. Pater, ad expressius et clarius suam voluntatem nobis aperiendam, et strictam obligationem nostram in eo servando manifestandam.

Sunt item nonnulli alii adeo inobedientes, pervicaces, locorum proprietarii, ambitiosi, ut nullum non moveant lapidem, ad favores praelatorum, principum aliarumque personarum extra ordinem recurrentes pro officiis et dignitatibus, pro collocatione alicubi aut remotione inde, vel gratia ne removeri possint, in ipso ordine obtinendis. Non attendentes miseri, quod et per constitutiones apostolicas Pii v. et Gregorii xiii. et statuta generalia, sunt ipso facto utraque voce perpetuo privati, ad omnia officia inhabiles, et quod gravissimum est, excommunicati, quorum absolutionem Pius v. sedi apostolicae reservavit. Cuius constitutionis verba, ne ob eius ignorantiam alicui deinceps tribuatur errandi occasio, hic duximus apponenda.

Pius Papa v. *(Pastoralis officii* etc. Et infra. *Qui vero in electionibus omnibus vel ante eas, per sex menses pro se vel aliis subornarit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, a qua nisi a romano pontifice pro tempore existente absolvi non possit, ac voce activa et passiva perpetuo careat.* Et infra. *Qui autem ad officium obtinendum, quorumvis favorem extra religionem procuraverit, ultra praedictas poenas, per mensem carceri mancipetur.)*

Est insuper et alia gravior religionis causa ruinae, quod quamplurimi parum attendentes, sequi viam obedientiae quae ducit ad vitam, nihil minus cogitant quam de illa implenda et observanda. Unde multi quotidie iugum Domini suave a se ipsis longe ac temere proiicientes, convertuntur retrorsum, itant vera illa ac necessaria obedientia omnium virtutum maxima, omnibus victimis iure optimo anteposita; quam et Salvator ipse plurimum dilexit et vitae praetulit, eligens magis mori quam obedientiam et voluntatem Patris sui non implere, nec sit nec nominetur in illis. Quotusquisque ex nostris reperitur hodie, qui simpliciter et de plano in auditu auris et ad nutum, virtutis amore, et non formidine poenae suis superioribus obediat? Quin potius omnem adhibeat artem causasque confingat ad non obediendum, si praeter aut contra propriam voluntatem quicquam facere iussus fuerit, aut si de loco ad locum mutetur, vel si non propriam adimpleat voluntatem, tristatur, dolet, murmurat, et etiam apud exteros conqueritur, existimat se gravi iniuria affectum, causam investigat, et rationem de mutatione aut de obedientia sibi imposita audacter a superioribus petit. Quo fit ut cum de loco aliquo amovendus est quisquam, vel disciplina mortificationis gratia alicui iniungitur, processum conficere; aut si superior pro Dei et religionis honore, ac fratrum utilitate quicquam praeceperit, rationem subditis suis ipsum reddere oporteat. Est ergo grave nimis et molestum valde curam illorum gerere, et praelationis onus sustinere. Recordentur igitur fratres, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates, ac suis superioribus, prout ex regula tenentur, prompte pa-

Digitized by Google

reant et obediant. Qui secus fecerint ad statutorum praescriptum puniantur. Et quia saeponumero nimia iuveuum libertas, et eorum praepropera ad sacros ordines et dignitates, ac officia in religione promotio causam tribuunt relaxationibus et inobedientioo, ideo praecipimus superioribus provinciarum sub poena privationis suorum officiorum, ne quempiam praedictorum ante definitum tempus legum nostrarum, sive ad sacros ordines sivo ad guardianatus officium, vel ad aliam maiorem dignitatem promovere debeant, aut promoveri permittant sino nostra speciali facultate scripto concedenda. Neque item sacrae praedicationis et confessionis officia nisi diligenti examine praevio sufficientibus ac bene probatis, et qui bene audiant, imponant, et alia officia quaecumque dignis tantum et ad ea foreoda maxime idoneis conferant.

Ad sanctae vero castitatis votum illibatum atque illaesum custodiendum quo similes angelis efficimur, ot sine cuius observantia similiter impossibile est Deo placere, omnes invigilent, overtant oculos suos ne videant vanitatem; mors enim intrat per fenestras, et oculus depredatur animam; occasiones causasque ruinarum propinquas sic studeant amputare, quod a familiaritatibus quas regula prohibet, et ex quibus suspiciones, infamationes ot scandala quamplurima inter fratres et de fratribus oriri possunt, omnino abstineant, easque declinont et evitent. Memores sint quod debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si aut spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Facta vero seu opera carnis sunt immunditiae, impudicitiae, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, dissentioues, sectae, invidiae, veneficia, ebrietates, commessationes et his similia, et qui talia agunt (inquit Apostolus) regnum Dei non consequentur.

Sunt multi et alii abusus in ordine iam introducti, ac multiplices regulae et statutorum transgressiones, et in quibus omnes offendunt, et quos longum nimis ac prolixum esset recensere. Recensuimus tamen haec pauca quae graviora et frequentiora arbitramur, et in quibus transgressores graviter peccant; neque ideo recensemus aut vobis scribimus, ut vos confundamus, sed ut fratres ac filios charissimos per viscera misericordiae Dei nostri iuxta ipsius Domini praeceptum admoneamus: *clama*, inquit, *ne cesses, et annuncia populo meo scelera eorum*; quod si non annuntiaveris, alio in loco dicit, *sanguinem eius de manu tua requiram*; et Ieremias do sui temporis prophetis non annuntiantibus seu aperientibus iniquitatem populo Israelitico plurimum tristatur et dolet: *prophetae tui*, inquit, *non aperiebant tibi iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent.* Et ideo hortamur vos et obsecramus in Domino Iesu, ut ambuletis vocationo qua vocati estis, digne Deo per omnia placentes; induite vos sicut electi Dei, sancti ot dilecti viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam; super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis, et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus cantantes in cordibus vestris Deo. Considerate ot meditamini die ac nocte in his quae promisistis Domino observare, et attendite quod super omnia desiderare debetis, habere spiritum Domini in recta regulae intelligentia, cuius ignorantia neminem excusat, et est radix omnium transgressionum, et sanctam eius operationem et observantiam, sine qua impossibile est ingredi regnum Dei. Nunc ergo o

filii et fratres charissimi aemulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum; estote factores verbi, et non auditores tantum. sic loquimini et sic facite, ut in lege libertatis edocti estis. Confortamini et viriliter agite in lege et regula, quia eum feceritis quae vobis praecepta sunt in lege a Domino Deo vestro, in ipsa gloriosi eritis.

Caeterum ut haec nostra epistola ad omnium fratrum nostrorum totius Italiae notitiam facilius devenire possit, mandamus in virtute sanctae obedientiae superioribus provinciarum, ut cum primum transumptum ipsius receperint, in omnibus suae provinciae monasteriis statim legi faciant et inviolabiliter ab omnibus observari.

Demum omnes vos rogamus et obsecramus, ut memores sitis nostri in orationibus vestris, ut Deus et Dominus noster sua benignitate et gratia dignetur nos conducere et reducere ad vos sanos et incolumes. Et ut quod humiliter petimus, efficacius et facilius consequamur, vobis universis et singulis, ut confessarium ex fratribus nostris rite approbatum arbitrio vestro hac vice dumtaxat, et infra quindecim dies ab evulgatione praesentium eligere et ab eo ab omnibus peccatis, delictis, criminibus et censuris nobis reservatis rite absolvi valeatis, virtute praesentium concedimus et indulgemus. Valete.

Datum Genuae die xii. Septembris mdcviii.

Fr. Archangelus a Messana minister generalis.

Conv. s. Sebastiani. *Monum. prov.*

VI. Leonardus a Iesu praeses custodiae Brasiliensis hoc anno die vii. Maii posuit primum lapidem pro fundatione coenobii in civitate s. Sebastiani Fluminis Ianeiri sive *san Sebastiano de Ianeiro*, sub invocatione ss. Francisci et Antonii Patavini. Subest in praefectura s. Spiritus, nunc in provincia de Rio Ianeiro. Incolitur a xii. fratribus.

Conv. s. Pauli. *Monum. prov.*

VII. Excitata etiam fuit pro eisdem fratribus domus in civitate s. Pauli prope aediculam Dominae nostrae de Luce, in qua rem divinam faciebant magno incolarum solatio quatuor sodales, qui eo advenerant cum Iacobo Flores de Baides Philippi ii. Hispaniarum regis classis praefecto. Unus ex illis fratribus laicus, Didacus nomine, cum zelo Dei ductus militem quemdam blasphemum ac moribus depravatum leniter reprebendisset, ita in gravem eius offensam incidit, ut eius necem moliretur In transitu cuiusdam fluminis illum eleemosynam quaeritantem obvians, aggressus, ictibus ac pugionibus sauciatum manibus in coelum extensis, veniamque a Deo pro inimico deprecante, felicem agonem consummavit. Eius corpus honore maximo et ingenti comitatu in collegium societatis Iesu eiusdem urbis illatum fuit ac humatum. Mulier quaedam sanguinis fluxum a multis annis patiens, repente sana surrexit super idem servi Dei sepulcrum insedens. Acta eius descripsit p. Hieronymus carmelitarum provincialis ex testimonio incolarum urbis.

Didacus Laicus. *Monum. prov.*

Conv. de Ipoiuca. *Monum. prov.*

VIII. In provincia Phernambucana extitit et coenobium s. Antonii titulo in loco de Ipoiuca, x. leucarum spatio ab urbe Phernambucana, fundatum a laudato Leonardo a Iesu custode, piorum christifidelium impensis. Commorantur xii. fratres.

Conv. de Recife. *Monum. prov.*

IX. Admisit idem custos alterum coenobium sub invocatione s. Antonii Patavini in urbe de Recife provinciae Phernambucanae positum ad litus maris, aedificatumque pro xii. fratribus incolarum eleemosynis. Christifideles eo adeuntes ac ibidem commorantes qui plurimi erant, divini verbi ac sacramentorum pabulo destituti. Unus enim dumtaxat sacerdos saecularis illis praeerat.

X. In provincia Cantabriae obtinuerunt coenobium Dominae nostrae del Soto in valle de Tornoco dioecesis Burgensis. Anteo deserviebat presbytero saeculari ibidem animarum curam gerenti. Impense colitur in ecclesia prodigialis imago beatae Mariae virginis. Incolitur a XXIV. fratribus. Eis etiam obvenit in provincia Poloniae conventus nativitatis Deiparae in oppido Zlaczeviensi Palatinatus Siradiensis ac dioecesis Gnesoensis, erectus opibus quondam Aodreae Rnszkowski. Coenobii fundationem ratam habuit Sigismundus III. Poloniae rex. Anno MDCCXIX. fortuito incendio periit; at paulo post totum aedificium piorum eleemosynis reparatum fuit. Ibidem institutae sunt confraternitates immaculatae Conceptionis, s. Annae, et chordigerorum s. Francisci. Conv. del Soto. *Monum. prov.* Conv. Zlaczeviensis. *Monum. prov.*

XI. In provincia Helvetica conventus s. Gotthardi anno M. D. in urbe Luganensi erectus, nomen accepit hoc anno s. Mariae Angelorum ex nova molitione sacelli, ss. Annuntiationis titulo in eadem ecclesia peracta a Ioanne Petro Verda. Facti memoriam exhibet inscriptio posita in parte interiori eiusdem ecclesiae: *Ioannes Petrus Verda seren. ducis Brunsvich aulae praefectus, ac praeclarus architectus, necnon seren. d. Dorotheae a Lotharingia eiusdem Henrici uxoris maior domus, maximis a Dei et Mariae ss. benignitate cumulatus beneficiis, sacellum hoc quod antea sub divi Gotthardi nomine velut informe iacebat, sibi et toti Verdarum familiae fratribus minorum s. Mariae Angelorum concessum eo modo quo aliae in suis ecclesiis cappellae conceduntur, ad hanc excellentiorem formam aere proprio redactum, quotidiani sacrificii onere perpetuis temporibus dotatum, Deiparae virginis annuntiationi dicavit anno humanae salutis* MDCVIII. *Greiderer tom. 2. pag. 5*6*. n. 17.*

XII. Sedem posuerunt fratres de observantia provinciae s. Nicolai ab anno MDCII. prope quamdam domunculam sub invocatione s. Mariae de Itri in civitate Licii. Cum autem ecclesia rectore careret, et iure suo cessisset Lucius Barba clericus eiusdem urbis, Scipio Spina episcopus aedem illam fratribus attribuit, et summus pontifex hoc anno: *Pro fidelium* die IX. Aprilis possessionem loci confirmavit. Sex fratres in ea degunt. Conv. Licien. *De Fasano pag. 67.*

XIII. Provincia Bononiensis aucta fuit hoc anno coenobio s. Ioannis Baptistae intra oppidum Turricellarum dioecesis Parmensis. In eademet ecclesia erectum erat beneficium ecclesiasticum. Obviat in coenobio sequens memoria. Conv. Turricellarum. *Flaminius a Parma tom. 2. pag. 548.*

D. O. M. DIVOQVE FRANCISCO SACRAM HANC AEDEM CVM COENOBIO AERE PROPRIO A FVNDAMENTIS ERECTAM DICAVIT FERDINANDVS SIMONETTA EX TVRRICELLAE COMITIBVS ET IN EA FABRITIO VNIGENITO QVI CINERE SVO SVPERESSE DEBVERAT ET SIBI AC SVIS IVSSIT PARARI SARCOPHAGVM MINORITARVM OBSERVANTIVM INSTITVTI PROFESSORIBVS VT IN SVAE SVORVMQVE ANIMAE EXPIATIONE DIVINVM IN DIES SINGVLOS OFFERANT SACRIFICIVM TRADIDIT ANNO REPARATAE SALVTIS M. D. CVIII.

Super coenobii fores extat et alterum monumentum.

STIGMIFERI AD LAVDEM ET BAPTISTAE IN NOMINE FECIT
CONVENTVM FRATRVM HVNC SIMONETTA COMES.

Anno MDCXL. exundante Pado, alio in loco alterum coenobium instructum fuit.

XIV. Studio Lotharii de Metternich cardinalis et archiepiscopi Trevirensis fratres recollecti immissi fuerunt in coenobium Beuricense in provincia Colo- Conv. Beuricensis. *Monum. prov*

niae. Distat tertio lapide ab Augusta Trevirorum prope fluvium Saram. Titulum obtinet Deiparae miraculosae, ob prodigia quae per dies consequuntur pii christifideles. Incolitur a xxii. fratribus.

De Gubernatis tom. 2. pag. 427.

XV. Grodericus lector, Bonaventura Turtius et Adrianus Konrrieziam fratres observantes provinciae Poloniae, Romam advenerunt hoc anno postulaturi a Pompeio cardinali Arigonio ordinis protectore, ut recollectorum familiam in eamdem regionem induceret. Petitis indulsit idem protector; unde in Moraviam advenientes, Olomucensem conventum occuparunt, indeque et alterum Glivicensem in Silesia, in quorum postremum post varias provinciae administri oppositiones, auctoritate Bonaventurae Daumii tunc in Germania commissarii generalis, cum novitios etiam recipiendi facultate fuerunt immissi. Subinde Adam Pohroszerius sacrae theologiae lector, et Bonaventura Turtius in urbem Piulezoviam ingressi, favente Sigismundo marchione de Mirona loci domino et supremo regni marescallo, ibidem eorum domicilium posuere. Cum autem statim duodecim sacerdotes studentes de Cracoviensi observantium coenobio ad illos uno nocte convolassent, ex hoc observantes commoti, de recollectorum expulsione cogitarunt.

XVI. Hinc procuratis a regni proceribus magno cum secreto literis, summo pontifici significarunt, sese in antiquo verae observantiae regulae rigore semper remansisse, novaque proinde reformatione haud omnino indigere. Quae ut firmia forent, iidem observantes a summo pontifice literas de non inducendis recollectis in Poloniam impetrarunt, quarum vigore nuncius apostolicus illius regni cunctos recollectos a confiniis suae ditionis eiecit anno mdcx. edito decreto sub die vii. Septembris. Summi pontificis bullam vulgamus.

PAULUS PAPA V.

Venerabili fratri episcopo Fulginaten. apud charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae regem illustrem nostro et apostolicae sedis nuntio salutem et apostolicam benedictionem.

Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 174.

Licet alias venerabilis frater noster Antonius Maria episcopus Praenestin. s. r. e. cardinalis Gallus nuncupatus, de mandato nostro scripserit venerabili fratri episcopo Regien. in isto quo fungeris munere, praedecessori tuo, quod amplius non erat instandum, ut bulla reformationis ordinis fratrum minorum de observantia extenderetur aut introduceretur in regnum Poloniae, et propterea ut episcopus omnibus petitionibus et tractatibus desuper habitis finem imponeret, cum ex gravium et fide dignarum personarum relatione cognovissemus eosdem fratres minores de observantia in dicto regno degentes primaevum eiusdem ordinis institutum retinuisse, et nihilominus nobis nuper expositum fuit, de introducenda huiusmodi reformatione in dicto regno tractari, ac dilectum filium ministrum generalem eiusdem ordinis nostrae huiusmodi voluntatis nescium id mandasse; quapropter cum dictos fratres de observantia priori instituto servando divina adspirante gratia perseverare, neque reformatione indigere cognoverimus, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut nihil circa praemissa innovari permittas, omnibusque et singulis etiam a praedicto ministro generali visitatoribus seu commissariis aut alio quocumque titulo, ad praedictam reformationem in dictos fratres regni praedicti introducendam quomodolibet deputatis auctoritate apostolica inhibeas, ne in

dicto negotio sub poenis arbitrio tuo irrogandis nllatenus se immisceant, prout uos tenore praesentium inhibemus, praecipimus et mandamus, irritumque decernimus et inane si etc. attentari. Non obstantibus praedicti ministri generalis quibusvis patentibus literis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die ultima Octobris pontificatus nostri anno IV.

XVII. In provincia s. Bernardini paratum fuit pro reformatis coenobium s. Martini apud oppidum Maleani Marsicanae dioecesis, aedificatum piorum eleemosynis, praecipue vero dd. de Paulinis, de Carlutiis et de Torresei. Loci aedificationem probavit pontifex: *Dum fructus* XII. calendas Decembris. Aedis structura XII. fratres continet. Antea in eadem ecclesia sacra peragebat canonicorum conventus. Obtinuerunt in provinciae Terrae Laboris coenobium s. Mariae Salutis in loco Torrichii prope moenia Neapolis ex licentia Octavii Acquaviva cardinalis et archiepiscopi urbis, dimissum ab eremitanis s. Augustini pro quibus instructum fuerat incolarum expensis. Concessus eisdem fratribus item fuit conventus s. Ioannis Baptistae prope oppidum Celleni dioecesis Montisfalisci in provincia s. Francisci, universitatis impensis instructus.

Conv. Maleani. *Monum. prov.*

Conv. Neapolis. *Antonius de Nola pag.* 910.

Conv. Celleni. *Monum. prov.*

XVIII. Petrus de Tapia aere proprio fundavit pro discalceatis provinciae s. Ioannis coenobium s. Crucis Loxae dioecesis Granatensis. Verum contradicentibus minoritis de observantia, locum dimiserunt anno MDCXII. Pacatis rebus eo redierunt anno MDCXVIII.

Conv. Loxae. *Panes tom.* I. *pag.* 438. 457. 525.

XIX. Minoritae conventuales iuxta Pirrum obtinuerunt hoc anno coenobium in oppido Alexandriae dioecesis Agrigentinae in Sicilia. In ecclesia impense colitur imago s. Mariae de la Rocca divinitus inventa et miraculis clarissima. Circa annum MDCXL. aedem incolebant sodales s. Antonii abbatis. Nos de hac aede alio loco egimus.

Conv. Alexandriae. *Pirrus in notit. eccl. Agrigent. pag* 768 *Ann. min ad ann.* 1592. *n.* 8.

XX. Bernardus Sabbia Panormitanus mandato s. congregationis episcoporum et regularium sub die IX. Septembris aedem et ecclesiam s. Mariae de Itria, positam apud oppidum Alcami dioecesis Mazariensis sui iuris fecit pro fratribus claustralibus tertii ordinis. Rem promovit Marcus Lacava episcopus Mazariensis. Distat a mare III. M. P. Sodales ss. sacramenti urbis Catanae in eadem provincia Siciliae cesserunt Bonaventurae Ciambri commissario provinciae eiusdem instituti, locum et ecclesiam s. Nicolai de Trixinis et s. Benedicti Veteris, vulgo *Nicolella* pro eorum incolatu. In provincia Portugalliae relicta priori domo obtinuerunt iidem fratres alterum locum in Villa de Scalbais dioecesis Ulyssiponen. Loci possessionem ratam habuit summus pontifex: *Exponi nobis* die XXI. Octobris.

Conv. Alcami. *Bordonius pag.* 429.

Conv. Catanae. *Idem pag.* 430.

Conv. de Scalbais.

XXI. Capucini fratres immissi sunt hoc anno in conventum Laureti in provincia Marchiae; in conventum Virolae dioecesis Brixiensis; in conventum Lerici dioecesis Sarsanen. in provincia Genuae; in conventum Emporii dioecesis Florentiae in provincia Tusciae; in conventum Montichii sive s. Angeli abbatiam dioecesis Melphiensis in provincia Lucaniae; in conventum Terraenovae dioecesis Rossanensis in provincia Cosentiae; in conventum Adorni dioecesis Catanen. in provincia Messanae; in conventum Argivi dioecesis Catanen. In provincia Syracusana; in conventum Bolontanae dioecesis Algueren. et in conventum Bosae in provincia Turritana; in conventum Aldenardae dioecesis Gandavensis in provincia Flandro-Belgica; in conventum Solmuri dioecesis Andegavensis in provincia Turoniae; in conventum Claromontii in Alvernia, et in conventum Issori dioecesis Claramontensis in provincia Logdunensi; in con-

Ex albo Michaelis a Tugio.

ventum Lignorum dioecesis Catalaunensis in provincis Campaniae; in conventum Francopolitouao dioecesis Ruthecensis in provincia Aquitaniae; io conventum Castellionisplani in provincia Vslentiae et in conventum Barbastri in provincia Aragoniae.

Monast. Lucenae. *De Torres pag.* 477.

XXII. Intra moenia urbis Lucenae in provincia Granatensi exordium sumpsit monasterium s Clarae titulo, opibus fundatum Catharinae et Franciscae Villereal germanarum, ac Henrici ducis Cordubensis et merchionis de Comares coniugis eiusdem Catharinae. Quatuor virgines e Montiliano monasterio eiusdem instituti iussu pontificis in hoc collegium deductae, novam familiam optimis exemplis constituerunt. Abbatissao munus omnium prima obivit Francisca a Cruce. Eius sociae fuerunt Ioanna Baptista, Maria de Angelis et Beatrix a Iesu. Aliae eo accesserunt ex mooasterio s. Clarae Alcandetae, uimirum Maria Trigueros, Maria Palomar, Maria Mazuelos et Maria Carillo. Leodii clarissarum etiam monasterium suis opibus aedificavit Ernestus Bavarus illius urbis episcopus. Paret ordinario loci. Monasterium s. Clarae Biterrense ante hunc annum subiectum ministro observantium provinciae s. Ludovici transilt summi pontificis voluntate ad regimen fratrum recollectorum custodiae s. Bernardini: *Cum sicut* die xxviii. Martii. Moniales ob bellorum incursus transletae fuerunt in aliud monasterium erectum intra moenia urbis; antea extra moenia degebant. Sorores etiam s. Clarao Nanneten. subiecit pontifex: *Alias* die xvi. Septembris eisdem fratribus recollectis.

Monast. Leodii. *Gallia christiana t.* 3. *pag.* 910.
Monast. Biterrense. *Monum. prov.*

Monast. Ulyssiponen.

XXIII. Erectum fuit Ulysipone pro clarissis monssterium ex bonis quondam Mariae nobilis mulieris Ulyssiponen. In hoc monosterium pontificis iussu advenit Ludovica de Chagas monialis professa in altero, titulo de Spe eiusdem urbis: *Cum sicut* die xvii. Iunii.

Monast. Nivellense. *Monum. prov.*

XXIV. Sorores ordinis ss. Annuntiotionis b. Virginis obtinuerunt hoc anno in urbe Nivellensi in provincia Flandriae ecclesiam parochialem s. Mauritii, favente Francisco a Vallon-Capella episcopo Namurcensi franciscano de observantia, penes quam pro earum incolatu domum erexerunt. Beneficia ecclesiastica ibidem erecta translata fuerunt ad ecclesiam s. Iosnnis Baptistae eiusdem urbis. Degunt in eo xlvi. sorores. Eas habuisse hoc tempore xiii. monssteria scribit Miraeus in libro *de ordine Annuntiationis* cap. i. Apud oppidum Montis s. Gerardi in provincia Germaniae Inferioris excitatum fuit monasterium pro sororibus de tertio ordine, quae deserviunt oppidanis infirmis pesteque etiam affectis. Puellarum interim curam habent, ex quibus multae suavi virtutum odore attractae, ibidem religiosum habitum assumunt. Moniales de tertio ordine moosterii de Alegris hoc anno vota solemnia Deo nuncuparunt, et clarissarum regulam admiserunt. Parent ministro Cantabriae provinciae.

Monast. Montiss. Gerardi. *Monum. prov.*
Monast. de Alegris. *Monum. prov.*

Monast. Ethigusii. *Greiderer tom.* 2. *p.* 658 *n.* 142.
Monast. Barcinone.

XXV. In provincia Helvetica extitit monasterium monialium tertii ordinis capucinarum, s. Caroli titulo in oppido Ethigusii, ex bonis relictis ab Andrea Blattelin. Fabritius Verallus nuncius apostolicus e monasterio Psanneggerensi eo transtulit Helenam Liodemann, Barbaram Buecher et alteram Anonymam, ut puellas in doctrina christiane ac in bonis moribus instituerent. Erectionem mooasterii capucinarum Barcinone anno mdxcix. peroctam summus pontifex confirmat: *Prudentium virginum* die xxvi. Aprilis, ordinorio loci subiicit et ordinis privilegia concedit.

Sbaralea lit. A.

XXVI. Hoc tempore plures viri docti ordinem illustrabant. Ex minoritis de observantia Augustinus Cupitis Ebolensis ex provincia Principatus typis Ioannis Dominici Roncalioli vulgavit Neapoli *sermones* xii. *loco* xii. *stellarum*

quas s. Ioannes evangelista vidit, de sanctis ad Paulum v. Franciscus Cortesius natus in oppido Montisfalisci in provincia s. Francisci Romae ad signum Spei italico sermone edidit *giglio angelica esposta in VII. lezioni ne' sabbati di quaresima lette nel MDCVI. in Faligna, e nel MDCVIII. in Padava.* Franciscus Lelius Ubaldinus patritius Florentinus, politioribus literis excultus, varia partim soluta oratione partimque metro scripsit. Eius est *rhytmus italicus in laudem montis Alverniae* vulgatus a Baretio Venetiis in IV. parte chronicorum s. Francisci. Idem rhytmus habetur in prima parte libri ab Horatio Civalla hoc titulo editi Maceratae anno MDCXX. *tempio di lodi in onore del serafico patriarca s. Francesco.* Franciscus Maria Insuber forte Campensis, a s. Georgio in Subalpinis in provincia s. Thomae vir valde pius scripsit et vulgavit italice *pretiosum thesaurum ad rem divinam faciendam, vel sacram eucharistiam sumendam: tractatum brevem de significatu sacri altaris sacrificii mysteriorum,* Taurini hoc anno. Extat mss. in conventu s. Petri in Monte Aureo de Urbe *vita ven. viri fr. Barthalomaei Salutiensis* ab eomet composita. Alia etiam scripsisse *opuscula spiritualia* tradit Britius lib. 3. pag. 288. Matriti praelo Ioannis Flammei lucem aspexit *mystica theologia* Francisci Ortisii Lucii Hispani ex provincia Castellae; in ea agit auctor *de sacramentis et peccatis.* Gabriel Calderon Hispanus ex provincia Compostellae vernaculam ab eo habitam concionem *de conversione s. Pauli ad Hispalensem ecclesiam*, ea in civitate vulgavit. Antuerpiae typis Trognesii edi curavit Henricus Sedulius, sumptibus Henrici Vanetten *sermones ecclesiasticos LXIX.* Adriani Hofstadii Lovaniensis sui sodalis, anno MDXCVIII. defuncti. Augolus Gallus abbas in suis epistolis Venetiis anno MDCVIII. impressis pag. 530. et 537. scribit Matthaeum Baccelinum a Stia Hetruscum *poema de stigmatibus s. Francisci* elucubrasse. *Duo carmina in laudem s. Francisci* habentur italice in fronte chronicorum a Baretio vulgata. Edidit etiam *theatrum christianorum* seu *versus spirituales vel pios de praecipuis mysteriis passionis Iesu Christi,* qui habentur *in collectione piorum carminum de s. Francisco ac monte Alverniae.* Cuncta haec typis hoc anno Florentiae mandavit Silvester Puppiensis eiusdem instituti. Paulus Mondellus a Cilento provinciae Principatus, Neapoli hoc anno vulgavit a se scriptam *expositionem in vigintiseptem praecepta regulae s. Francisci.*

Wadd. et Sbar. lit. F. — *Sbaralea ibidem.* — *Idem ibidem.* — *Idem ibidem.* — *Wadd. et Sbaralea lit. H.* — *Sbaralea lit. M.* — *Wadd. lit. P.*

XXVII. Ex minoritis conventualibus hoc tempore florebat Augustinus Gavarinus de Castro Bononiensi. Bononiae vulgavit nuncupavitque Dominico cardinali Gymnasio librum *de viris illustribus Castri Bononiensis.* Ioannes Baptista Berardi Lemniacensis, bonarum literarum studiosissimus, Venetiis edidit per Franciscum Rampazetum *orationem de praestantia humanarum literarum.* Ioannes Ghizzola Brixianus, musicae artis excultus, plurima composuit, *quae sacra cum concentu notarum musicarum passim in ecclesia cani solent.* Haec Venetiis MDCVIII. usque ad annum MDCXXIV. typis Alexandri et Iacobi Vincenti vulgavit, et Mediolani etiam anno MDCXIII. per Philippum Lomatium. Benedictus Pucius, forte etiam dictus Fuc Anglus, qui adhuc florebat an. MDCXL. edidit Venetiis *compendium chronicorum fratrum minorum.*

Wadd. et Sbaralea lit. A. — *Sbaralea lit. I.* — *Idem ibidem.* — *Idem lit. B.*

XXVIII. Franciscus de Velasco capucinus, vir apostolicus, prophetico spiritu exornatus, ac inter Hispalenses genere clarus, Valentiae typis commisit *regulas et constitutiones pro congregatione Pietatis* ab eo instituta. Marianus ab Alcamo Siculus spiritu Dei ac ferventissimae charitatis erga Deiparam plenus, Panormi apud Antonium de Franciscis edidit *modum contem-*

Idem lit. F. — *Idem lit. M*

Digitized by Google

Idem lit. M. *plandi coronam b. v. Mariae in stellario gaudioso.* Mathias Beliatanus a
Solodio insignis verbi Dei praeco Venetiis vulgavit opus italice scriptum, cui titu-
lus *practica orationis spiritualis in quatuor partes divisa.* In latiaum traas-
latum fuit, et Coloniae anno MDCIX. impressum ab Antoaio Volmaro monacho
Idem lit. F. carthusiano. Gallice etiam et hispanice eusum fait. Franciscus de Nigro patritius
Genuensis typis Povoai Genuae edidit italice *sermonem in anniversario die*
Wadd. lit. S. *unionis seren. reipublicae Genuensis in aede s. Laurentii prolatum.* Sil-
vester de la Val ex provincia Parisiensi, haereticorum verbo ac scriptis in-
sectator, Parisiis gallico idiomate edidit librum *contra errores Vignerii mi-*
Wadd. et Sbar. lit. A. *nistri Plesiensis.* Postremo inter eos florebat hoc tempore Alexias Segala
Italus a Salo, eximius concionator morumque integritate coaspicuus. Eius opus
inscriptum *ars singularis amandi et colendi b. virginem Mariam* prodiit
hoc onno Brixiae per Franciscum Fontausm; pluries tamen lucem aspexit. Ex
Sbaralea lit. M. tertio ordine saecularium Michael de Cervantes Saavedra Hispanus, alias ex
oppido Esquivias in Agro Toletano. ingenii amoenitate commendatus, plura
scripsit fabularam amatoribus gratissima. Matriti hoc nnuo editus fuit eius
ingeniosus inmunis, vulgo *Don Quixote de la Mancha* bipartitas.

XXIX. Supremum diem obiit hoc anno, et in sua cathedrali ecclesia Ali-
Sbaral. lit. M. fiensi tumulatus Modestus Gavatios conventualis, ad hanc infulam destinatus
a Clemente VIII. Reliquit post se quae tamen perierunt, vulgari lingua scri-
Idem lit. F. ptas *conciones quadragesimales et annuales.* Franciscas Filigelli ab Asciano
Hetruriae oppido liberolium artium, poesisque amicus et hoc anno decessit.
In epicum heroicosque versus tentavit reddere italice *conformitates s. Fran-*
cisci ad Christum a Bartholomaeo Pisano elucubratas; verum morte praeventus
labores suos tantum deduxit ad XVI. conformitatem. Hinc mss. imperfectum
Idem lit. L. reliquit. Obiit etiam inter eos Lelius Medici Florentinus, auctor *sermonis*
super fundamentis et rationibus excusationum adversus interdictum Pauli
V. Bononiae aono MDCVI. editi. Plurimis libris ac selectioribus locupletavit biblio-
thecam Florentinum coenobii sui. Extat de eo memoria prae foribus illius
bibliothecae.

XXX. Annos numerans CXVII. obiit in coaventu s. Francisci Mexici Di-
Beristain lit. O. dacus Ordonez minorita de observaotia Salamanticae nobilibus parentibus natus.
Dimisso illius cathedralis ecclesiae archidiacoatu, franciscalium habitum indutus
est ia eodem coeaobio, ubi aliquandiu moram traxit, doctrina ac morum ho-
nestate clarus. Novam Hispaniam inde petivit, et Guatemalam regionem divini
verbi praedicatione perlustrans, uberes animarum fructus retulit in horreum
Domini. Domus doctrinales erexit in loco de Olotemoogo, et s. Petri Xoti.
Refecit etiam eremitorium olim inhabitotum a fratre Torribio Motoliaia. Per-
fecte callebat idioma Kiche et Kochiguel. Prae suae doctrinae praestantia
Mexicum vocatus, theologi ac qualificatoris sanctae inquisitioais summa cum
laude obivit. Paupertate, humilitate ac spiritus fervore commendabatur. Morti
proximus in haec verba erupit: *bonum certamen certavi, cursum consum-*
mavi. Sequeatia mss. reliquit. 1. *quatro tomos de comentarios del subtil*
doct. Scoto; extant in archivo coeaobii de la Villa nominis Dei in provincia
de Zacathecas; 2. *doctrina dogmatica en lengua de Guatemala para in-*
struir a los Indos tom. 1.; 3. *exhortationes sobra la penitencia y co-*
munion en la mesma lengua tom. 1.; *sermones panegiricos y morales*
en la mesma etc. tom. 2.

XXXI. Obiit etiam hoc anno Ioannes Pellicanus Brundusinus ex s. Nicolai provincia, concionator egregius. Scripsit *breves notas in universam sacram Scripturam*. Wadd. et Sbar lit. I.

XXXII. Meritorum plenus decessit in coenobio ss. Cosmae et Damiani de Urbe Ioannes Antonius Brandus ex tertio claustralium ordine, non Salernitanus, sed Salemitanus ab oppido Salem dioecesis Mazariensis in Sicilia. Extitit insignis theologus, concionator et poeta. Romae hoc anno typis Hieronymi Discipuli prodiit eius *chronicon romanorum pontificum*. Idem opus ab auctore correptum et iconibus adornatum ibidem anno MDCXXVII. iterum typis Francisci Corbelletti italice lucem aspexit. In libro *variarum imaginum* Leonardi Rolandini I. U. D. Siculi habentur eius *carmina nonnulla latina et italica*. Notavimus *carmen* eius *de rosario b. Virginis* italice Romae anno MDCI. impressum, et *literas ad rempublicam Venetam apostolico interdicto subiectam* Viterbii anno MDCVII. Caeterum obiit die XIII. Maii et anno MDCVIII. Unde corrigendi sunt Waddingus, qui eius mortem signat ad annum MDCXXVI. et Pirrus ad annum MDCXX. die XX. Maii. In aede ss. Cosmae et Damiani habetur sequens memoria mortis Ioannis Antonii Brandi et Ioannis Baptistae Provenzani: *Hic iacent duo lumina fratrum tertii ordinis s. Francisci: reverendissimus pater magister Ioannes Baptista Provenzanus Siculus Depranensis, et p. m. Ioannes Antonius Siculus a Salem sanctis moribus et meritis praeclari, in verbo Dei et scientiis summopere versati. Quorum secundus cum esset definitor generalis obiit XIII. Maii M. DC. VIII. aetatis suae LIII. Primus tamen bis ad generalatus dignitatem electus etc. lapidem hunc libenti animo dicavit idibus Maii anno M. DC. XIV.* Sbaralea lit. I.

XXXIII. Luxerunt hoc anno capucini fratres Angelum de Ioyosa sui instituti professorem, germanum Francisci Ioyosae cardinalis archiepiscopi Tolosani. Romam hoc anno advenerat ad generale comitium, ubi definitoris generalis munus obtinuit. Expleto comitio eum provinciam Parisiensem repeteret, in oppido Ripoli prope Taurinum gravi morbo correptus, vitam eum morte commutavit anno aetatis suae XLVI. Corpus plumbeo loculo inclusus Parisios translatum, in altare maius coenobii capucinorum s. Honorati sepositum fuit, hoc inciso epitaphio. Tuginus tom. 3. pag. 36.

HOC TVMVLO CONDITA SVNT OSSA
R. P. ANGELI DE IOYOSA OLIM DVCIS
PARIS CONTESTABILIS FRANCIAE ET IN PROVINCIA
OCCITANIAE PROREGIS
QVI IN IPSO AETATIS FLORE VT TOTVM SE
CHRISTO ADDICERET
TOT HONORES ET OPES ABIECIT
ET ORDINEM CAPVCINORVM INGRESSVS
IN EO RELIQVVM VITAE TRANSEGIT
SINGVLARIS PIETATIS ET HVMILITATIS EXEMPLO
IN QVO TANDEM OBIIT CVM PRO SECVNDA VICE
ESSET PROVINCIALIS PROVINCIAE FRANCIAE
ET DEFINITOR CAPITVLI GENERALIS
ANNO CHRISTI MDCVIII. QVARTO NONAS OCTOBRIS
HENRICA CATHARINA HENRICI MONTISPENSERII DVCIS VIDVA
PATRI CHARISSIMO MOERENS POSVIT.

Sbaralea lit. I.

XXXIV. Reliquit mss. opera hoc titulo *flamma amoris divini, soliloquia et documenta varia spiritualia,* publici iuris facta una cum eius *vita* Parisiis anno MDCXII. Gabriel Capeius Turonensis regius historicus eidem anno MDLXXXVII. nuncupavit versionem gallicam libri titulo *methodus ad serviendum Deo*, et Iacobus Morosius Parisiensis carthusianus anno MDLXXXVIII. versionem gallicam libri inscripti *commodum spirituale*.

Pacificus Gallus. *De Aremberg tom. 2 pag. 772.*
Franciscus a Gaudesa. *Idem ibid. pag. 436.*
Vincentius a Petramelia. *Idem ibid. pag. 277.*
Zacharias Montensis. *Idem ibid. pag. 496.*
Mansuetus a Salsubio. *Idem ibid. pag. 765.*
Marcus a Scotaneto. *Idem ibid. pag. 768.*

XXXV. E vita migravit in conventu Perpinianensi Pacificus Gallus laicus capucinus ex provincia Catalauniae, tantae orationis praestantia dotatus, ut ardentioris divinae charitatis flamma velut correptus, quotidie fere, licet se comprimeret, in clamores erumpere compelleretur. Eamdem provinciam sanctitatis operibus exornavit Franciscus a Gaudesa sacerdos hoc anno defunctus; orationis praesidio multa a Deo obtinuit; variis namque infirmis sanitatem reddidit. Valentiae raptus est Vincentius a Petramelia sacerdos, magnae austeritatis cultor. Famem sedabat solis herbis et leguminibus, corpus verberibus caedebat, et nunquam cubando, sed sedendo breve somnum capiebat. Praenuntiato sui obitus die coelum scandit Zacharias Montensis Belga item sacerdos, humilitate, paupertate, charitate vitaeque puritate illustris. Arimini in provincia Bononiae ad Deum migravit Mansuetus a Salsubio laicus. Gulae aliquando tentatione victus fuit; at deinceps tantu abstinentia floruit, ut vitam inter austeritates composuerit. Romae spiritum Deo reddidit Marcus a Scotaneto laicus ex provincia Marchiae, qui a suo in religionem ingressu usque ad mortem sedulam navavit operam in assequendis virtutibus humilitatis, simplicitatis ac charitatis erga Deum et proximum. In oratione coelestibus saepe a Deo visionibus recreabatur. Christi Domini passionem alta mente recogitans, in dulces lacrymas sese effluebat.

Angelus a Visso. *Idem ibid. pag. 494.*
Innocentius a Iuliano. *Idem ibid. pag. 771.*
Franciscus a Castellione. *Idem ibid. pag. 164.*
Ludovicus a Pedacio. *Idem ibid. pag. 774.*
Gregorius a Manfredonia. *Idem ibid. pag. 495.*
Clemens Apriciensis. *Idem ibid. pag. 188.*

XXXVI. In Tudertino coenobio provinciae Umbriae obiit Angelus a Visso sacerdos, angelicis moribus ita ditatus, ut utramque et corporis et animae munditiem inviolate servaverit. Coelestibus donis a Deo exornatus, spiritu prophetico et miraculorum gloria inclaruit. Neapoli cum sanctitatis laude vitae cursum confecit Innocentius a Iuliano laicus, morum suavitate, sensuum mortificatione paupertatisque studio commendatus. Ibidem obiit Franciscus a Castellione sacerdos, et iam provinciae Neapolitanae vicarius. Onus etiam laudabiliter sustinuit guardiani et novitiorum magistri, in quibus explendis officiis ita se gessit, ut cunctis exemplo foret virtutum. Solo crucis signo non semel aegrotos sanavit. Cosentiae ad Deum abiit Ludovicus a Pedacio laicus, abstinentia, humilitate et castimonia praestans. Prophetia ac miraculis inclaruisse tradunt. Pie obiit in conventu Tutici provinciae Calabriae Gregorius a Manfredonia sacerdos, intemeratae vitae et Deiparae virginis cultu clarus. Luceriae in provincia s. Angeli dies suos explevit Clemens Apriciensis sacerdos et concionator fervens. Multas preces praemittebat, antequam e rostris diceret, unde factum est, ut uberes animarum fructus referret. Meruit aliquando Deiparae virginis aspectu recreari.

Franciscus de Cuevas. *Lopez pag. 811.*
Gaspar de Molina. *Idem ibidem.*

XXXVII. In coenobio de Mani provinciae de Iucatan minoritarum de observantia coelestia petivit Franciscus de Cuevas sacerdos, Murciae in Hispania ortus. Ab anno MDLXXVI. in hanc provinciam advenerat, ubi sedulam navavit operam in conversione infidelium; multos ad fidei veritatem adduxit comitate et charitate eximia, maxime vero exemplo virtutum quibus cumulatissime exornabatur. Hoc tempore obiit in conventu Emeritae eiusdem provinciae Gaspar de Molina laicus, item Hispanus, LX. annorum spatio diversatus in cura

infirmorum, quibus, prophetico dono exornatus, vel sanitatem vel mortem non semel enunciabat. Nunquam cellam habuit; sedens sopori se dabat inter infirmos. Apoplexiae morbo correptus, summo animi affectu sacramenta petivit et obtinuit.

XXXVIII. Coenobium Dominae nostrae de Nivibus Phernambuci in custodia Brasiliae corpus excepit Bernardini de Nivibus hoc anno defuncti. Multos tulit labores, ut infideles ad Christi fidem ac devios christifideles ad rectum salutis tramitem adduceret. Incolarum inimicitias facile sedabat, et aliquando, exorto iurgio arbiter ab eisdem delectus, eius voluntati parebant. Tanti viri iacturam luxerunt omnes, maxime vero neophiti, qui eum multis virtutibus apprime decorum velut patrem venerabantur.

Bernardinus de Nivibus. Monum. prov.

XXXIX. Die XXIV. ianuarii raptus est in coenobio s. Crucis Conimbricae in provincia Portugalliae Dominicus a Conceptione diaconus, vitae innocentia commendatus. Laetus et vultu irradiato fulgore inter crucifixi oscula animam Deo reddidit. In conventu s. Francisci de Scalbais eiusdem provinciae decessit Alvarus de Aveiss laicus, prae sui erga omnes comitate, angeli nomen sortitus. Floruit etiam prophetiae dono.

Dominicus a Conceptione. De Esperanza tom. 1. pag. 378.

Alvarus de Arelas. Idem ibid. pag. 463.

XL. Aetatis suae anno LXX. vitam commutavit cum morte in conventu s. Sebastiani de los Olmos in provincia Burgensi Dominicus de Cavalero sacerdos, natus in oppido de Çenizeno dioecesis Calaguritanae. Adolescens copiis se addixit catholici Hispaniarum regis; at a Deo vocatus in fratrum minorum ordine, vitam aggressus est variis poenalitatibus refertam. Multa a daemone tulit, ut eum ab asperrimo huiusmodi vitae genere revocaret. At frustra; nam quandiu vixit poenalitates poenalitatibus addebat. Sacrum peragebat devotione summa et in lacrymas effusus. Ss. Trinitatis mysterium alta mente recolebat, et Deiparam immaculatam eximio pietatis affectu prosequebatur.

Dominicus de Cavalero. Monum. prov.

XLI. Treviris in Germania die XXVIII. Februarii circa hunc annum obiit Ioannes Stalpart sacerdos, humilitatis, orationis se pietatis spiritu excultus. Dono curationum in eo maxime eluxit; interim et prophetia; futura enim praedixit et cordium abscondita mire manifestavit.

Ioannes Stalpart. Hueber ad diem 28. Februarii.

XLII. Fulginei in conventu s. Bartholomaei in provincia Umbriae felix migravit in coelum Dominicus Loriani ibidem natus, diu incola locorum Terrae Sanctae. In recolenda Christi Domini passione lacrymis et suspiriis afficiebatur. Matilicae in conventu s. Francisci provinciae Marchiae obiit in osculo Domini Antonius Faralia ibidem ortus. Semel et iterum loca Terrae Sanctae lustravit. Emicuit in eo summa in adversis patientia et sedula regulae observantia.

Dominicus Loriani. Monum. prov.

Antonius a Matilica. Monum. prov.

XLIII. Ex discalceatis fratribus aliquot pii viri occubuere. In coenobio de Lumbag in provincia s. Gregorii Insularum Philippinarum obiit die XXVII. Septembris Philippus a Iesu Ulysipone natus. Adolescens militarem vitam duxit cum copiis catholici regis in Belgio, ubi capitanei munus invicta constantia sustinuit. Mexicum inde advenit cum Martino Henriquez urbis pro-rege, a quo in Chichimecarum regionibus destinatus, incolas ad humanitatem et ad catholici regis obedientiam adduxit. Invito pro-rege, fratrum discalceatorum habitum in conventu Mexicano obtinuit in statu, ut aiunt, laicali, in quo aliquandiu diversatus, munus portarii obivit. Eximia charitate ferebatur erga egenos et infirmos quibus lubenti animo opitulabatur. Quemdam Iaponem lepra afflictum in conventum detulit, et in hortis intexto paleis tuguriolo, suis manibus medebatur. Interim quotidie humeris suis impositum ad audiendum

Philippus a Iesu. Martinez lib. 1. pag. 107.

sacrum deferebat. Corpus asperrimo cilicio et assiduo fermo ieiunio macerabat. Mortis suae diem Deus revelavit visione pii sacerdotis paullo ante defuncti.

XLIV. Die 1. Februarii obdormivit in Domino in coenobio s. Sebastiani Aunionis in provincia s. Iosephi Alphonsus a Valconete sacerdos, aliquando guardianus et novitiorum magister, quibus exemplo erat humilitatis, paupertatis, silentii et omnimodae mortificationis. Nullum edulii genus degustabat; pane et aqua dumtaxat quotidie se reficiebat. Exardescebat in eo divini amoris flamma erga ss. eucharistiae sacramentum.

Alphonsus a Valconete. Joannes a s. Maria lib. 4. cap. 33.

XLV. Villeune in provincia s. Ioannis Baptistae quievit Petrus Domeneo clericus, nondum expleto suae probationis anno. Paullo ante sui obitum, oculos coniiciens in alterum cellulae suae parietem, hilari vultu gaudioque coelesti perfusus, multoties haec verba iteravit: *iam vado, iam vado*, beatorum in gloriam mox ingressurus denuncians. Angelica puritate exornabatur. Phtisi morbum summa patientia sustinuit.

Petrus Domeneo. Panes part. 1. lib. 3. cap. 3. pag. 443.

XLVI. Apud minores reformatos provinciae Siciliae meritorum plenus ad Dominum abiit in conventu s. Mariae Angelorum Panormi Bonaventura ab Agrigento laicus, ad pietatem ab infantia pronus. Crebro in coleodis agris, ante crucem quam secum deferebat, genibus flexis recolebat intense Iesu Christi passionem. Anno aetatis suae XXVIII. inter observantes adscriptus, haud indubia edidit suae sanctitatis specimina. Assiduis enim precibus corporisve macerationibus alacriter incubuit sex annorum spatio, quibus inter eos vixit. Maioris perfectionis gratia in noperam seraphici ordinis reformationem in Sicilia inductam advolavit, in qua, licet laicus, prae aliis in agendis dexteritate ac prudentia, custodis munus bis obtinuit, et familiam sibi creditam verbo ac sanctitatis exemplo moderabatur. Scientiae dono a Deo exornatus, mira de divinis fidei mysteriis dicebat. Lue Agrigentinam urbem depopulante, non semel prae foribus ecclesiae coenobii verba faciebat ad consertum populum tanto doctrinae apparato tantoque spiritus fervore, ut multi ad poenitentiam excitarentur. Miraculorum ac prophetiae donis etiam inclaruisse tradunt. Decessit die X. Augusti, in cuius funere e rostris dixit p. Carafo ex minimorum instituto. In conventu s. Mariae de Gratiis Conilieni in provincia s. Antonii Venetiarum obiit die XX. Octobris vir bonus et pius Pacificus Venetus sacerdos, primus custos reformatorum laudatae provinciae. Anno MDXCIII. Tervisii apud Dominicum Amici typis mandavit *manuale fratrum minorum* scriptum a Ioanne de Argamanes Hispano, et ab ipso italice redditum. Vulgavit etiam Venetiis a se concinnatum anno MDC. *dialogum super regulam fratrum minorum.* Haec ignota fuerunt Waddingo et Sbaraleae.

Bonaventura ab Agrigento. Mazara tom. 6. p. 136.

Annal. min. ad ann. 1578 n. 1. et seq.

Pacificus Venetus. Mazara tom. 10. pag. 287.

XLVII. Decedunt virgines. Die 1. Februarii in monasterio s. Antonii Segoviae in provincia Conceptionis felix ad astra migravit Maria de Heredia, abstinentia, corporis maceratione et erga egenos charitate insignis. Rapta etiam fuit in eodem monasterio altera Maria Ramirez, multis virtutibus penes omnes commendata.

Maria de Heredia. Wadding. ad ann. 1486 n. 35. Maria Ramirez.

XLVIII. In monasterio s. Clarae Giennii in provincia Granatae obiit Marianna de Royas, omnimodae austeritatis virgo; quotidianum enim erat illi ieiunum, numquam lecto usa est, et asperrimo cilicio membra domabat. Genibus flexis crebro recolebat Christi Domini passionem. Peragens exercitium s. via-crucis lacrymarum imbre perfundebatur. Anno aetatis suae LXXX. decessit die II. Martii in monasterio s. Nicasii eiusdem provinciae Isabella a s. Michaele, Toleti nobilibus parentibus nata. Dirutam ferme cellulam totius vitae

Marianna de Royas. De Torres pag. 320.

Isabella a s. Michaele. Idem pag. 602.

Digitized by Google

suae tempore incoluit, pluviis, nivibus et urentibus solis radiis expositam. Brevem carpebat somnum super stoream; at non multo post illam dimittens, humi deinceps semper cubavit. Semel in die modico pane dumtaxat reficiebatur; ferculum tamen subinde commutavit, utens solis herbis sylvestribus. Ter noctu flagris se caedebat, et saepe lapide se pectus tundebat catena ferrea revinctum. In recolendis Christi Iesu cruciatibus, et donum lacrymarum obtinuit et particeps effecta ipsius doloribus, meruit a planta pedis usque ad capitis verticem plagis vulnerari. Verberibus teterrimisque visionibus lacessita, et aliquando per monasterii scalas praeceps acta fuit a daemonibus. Frequenter tamen recreabatur Iesu sponsi sui, angelorum et sanctorum aspectu. Olevit corpus, cum de more post sui mortem curaretur. Floruit miraculorum gloria in vita et post mortem.

XLIX. In monasterio s. Clarae Burgis die xi. Novembris occubuit Ursula Çisneros, corporis macerationibus eximia. Trium annorum spatio quievit strata supra ligneam crucem. Manipulis ferreis se ita dire caedebat, ut vestes corpori profundius adhaererent. Obedientiae merito a fundendis precibus, in quibus dono lacrymarum a Deo ditata fuerat, avocabatur. Falsum crimen diu summa animi tranquillitate sustinuit. Ut mortis nuncium accepit, illud prophetae eructavit: *laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* — Ursula Çisneros. *Monum. prov.*

L. Die v. Februarii obiit in monasterio s. Clarae Traconsi in provincia Portugalliae Helena a Cruce, virgo sanctissimae vitae corporisve afflictationibus assidua. Diris flagris usque ad sanguinis effusionem se impetebat. Ante sui obitum visa fuit in eius cubiculo lux valde rutilans. In monesterio s. Clarae de Scalbais rapta est die xiii. Aprilis Philippa de Chagas. Mire deliciabatur in corporis macerationibus et in recolenda Iesu Christi praesentia in augustissimo eucharistiae sacramento. Coelesti lumine perfusa, ac illa verba: *Patrem immensae maiestatis* repetens, expiravit. — Helena a Cruce. *Agiologium Lusit. ad diem 5. Februarii.* — Philippa de Chagas. *Ibidem ad diem 13. Aprilis.*

LI. Philippa de Mello et Francisca de Cornalho germanae die xxix. Iulii obiere uno eodemque die in monasterio s. Clarae Eborae. Altera extitit loci abbatissa. Assidua fuit in ieiuniis, vigiliis, precibus et poenalitatibus; postrema paupertate ac humilitate dives, exemplum seraphici Parentis sequuta, humi strata, laeta occubuit. — Philippa de Mello et Francisca de Cornalho. *Ibidem ad diem 29. Iulii.*

LII. Bononiae in ecclesia clericorum regularium Teatinorum tumulum nacta est soror tertiaria Pudentiana Zagnoni in eadem civitate nata, die xiv. Februarii defuncta, cuius acta fusa oratione notavit Benedictus Mazara. Ab infantia futurum sanctitatis suae specimen dedit; nam singulis sextis feriis materno ubere se abstinebat, ac puerili aetate paratum de mane sibi a parentibus obsonium pauperibus largiebatur. Coelesti voce commota gravique morbo correpta, oblatas sibi nuptias invicto animo recusavit. Vix autem nomen dedit tertio sororum de poenitentia instituto, vitam asperitatis plenam arripuit. Optabat diu vivere, ut pro assequenda coelesti gloria quaeque adversa sustinere posset. Hinc eius ieiunia quotidiana fuerunt; mira tamen erant quae agebat quadragesimali tempore aliisque per annum temporibus, vel iuxta regulae consilium vel iuxta seraphici Patris exemplum. Eximio prorsus cordis affectu sacrum Christi corpus sumebat singulis quartis et sextis feriis; at tanto amoris igne tunc aestuabat, ut et in ecstasim per aliquot horas raperetur, nec quid circa se fieret, intelligeret, nec ullam corpori suo illatam vim experiretur. Familiarem cum angelo suo custode consuetudinem habebat, cum quo de coelestibus mysteriis — Pudentiana Zagnoni. *Mazara tom. 3. p. 224.*

Digitized by Google

dulcia colloquia miscebat. Petita concessaque sibi a moderatore suao conscientiae moriendi licentia, cancellatisque super pectus manibus, advolavit ad Dominum. Defunctae cubiculum odore suavissimo perfusum fuit.

LIII. Complevit dies suos in civitate Assisii provinciae Umbriae Diomira ex nobili familia Bini item tertiaria, quae anno aetatis suae decimo tertio, ut Deo intimius adhaereret, virginitatis votum emisit. Tertio poenitentium ordini adscripta fuit in ecclesia s. Mariae Angelorum die II. Augusti. Moderatorem suae conscientiae habuit Franciscum a Montefalcino minoritam de observantia, cuius studio ita in virtutibus profecit, ut brevi post tempore consummatum perfectionis exemplar videretur. Flagrabat singulari charitate erga ss. eucharistiae sacramentum, et non semel sacro pane refecta miras ecstases patiebatur. Cilicio revincta erat, ac funem ad nudam carnem gestabat. Super stramineum saccum, vel supra tabulam vel humi strata quiescebat. Trigesimo tertio anno aetatis suae die VIII. Maii decessit, cuius corpus, civibus comitantibus, illatum ad ecclesiam s. Mariae Angelorum, sepositum fuit inter sacella ss. sacramenti et s. Antonii Patavini, in plumbi lamina inciso et ibidem occluso hoc monumento: *Soror Diomira Bina de Assisio tertii ordinis s. Francisci. Obiit anno aetatis suae* XXXIII. *die* VIII. *Maii* MDCVIII.

Diomira Bini *Idem tom. 5. pag.* 75.

LIV. Meritis cumulata decessit et hoc anno Maria Alberti V. Bavariae ducis, ac Annae Ferdinandi I. Caesaris filia, Monachii anno MDLI. nata. Virum anno aetatis XX. Carolum archiducem Austriae ac Styriae ducem duxit, a quo quindecim filios suscepit. Mortuo anno MDXC. piissimo coniugo, novo spiritus fervore ducta, crebro de rebus coelestibus verba faciebat. Ad provinciae regimen assumpta, singulis festivis diebus sacrosancto eucharistiae sacramento se reficiebat, et consilia ac decreta ad catholicam fidem tutandam subditosque suos in tranquillitate continendos vulgabat. Anno MDCV. turcarum furore Styriae regiones invadente, licet proceres ei fugam consulerent, in urbe tamen permansit. Hac illac per civitatem discurrens, singulorum erigebat vires, cunctosque excitabat ad implorandum divinum praesidium ac fortiter contra fidei hostes dimicandum. Nosocomia perlustrabat, infirmos solabatur, cibaria propriis manibus parabat, ulcera medebatur, lectulosque mundabat. A viri sui obitu singulis hebdomadis paratam habere voluit in aula sua pro duodecim pauperibus mensam. Maiori paupertate pressis, largo aere succurrebat; et licet aerarium vacuum ferme foret, dicere solebat: *dum arbitror me ad distribuendum pauperibus nihil habere, mox Dei clementia nova subsidia immittit.* Pauperum domicilia multis in locis parari iussit, ecclesias refici ac de novo excitari. Templum nullum erat, quod pecunias aut paramenta, calices aliaque sacra vasa et ornamenta non recepisset. Praeter clarissarum Graecense, alterum Mediolani monasterium a fundamentis erexit, et illud Posonii in Hungaria pene labefactatum, iterum novis impensis instauravit. Multa etiam contulit pro exornandis ditandisque ecclesiis in Bohemia, Moravia et in Polonia. Graecii, Labacii ac Clagenfurti domicilia pro patribus societatis Iesu fundavit, ut lutheranorum errores, qua verbo, qua scripto ubique insectarentur. Vetuit interim pientissima Maria, ut posthac lutheranorum pseudo-pastores nullibi publice verba facturi essent.

Maria Caroli Styriae ducis uxor. *Grrderer tom. I. p.* 465. n. 338.

LV. Saepe, licet pluribus distenta regiminis curis, se conferebat visitatura clarissas monasterii Graecensis a se erecti, ubi die ac nocte cum monialibus coelestibus colloquiis divinisque contemplationibus vacabat. Eas vero auxit postquam Ferdinandus archidux Austriae ducatus regimen assumpsit. Tunc prae-

ter dicta, monialium mensam instruebat, cibaria afferebat, ollas abluebat, et aliquando coquinae munus explebat. Insuper macerationibus, ieiuniis, vigiliis ac flagellis, sicuti caeterae sorores, membra edomabat. Inter eas adscribi optabat, et sacra vota Deo nuncupare; at ob regiminis curas prohibita, firmum desiderium ante sui mortem complevit. Gravi enim morbo correpta, ad se vocavit Simonem Manhard franciscanum de observantia moderatorem conscientiarum sororum monasterii Graecensis, et eidem patefacto suo desiderio, eam ad professionem admisit. Sacro oleo inuncta et eucharistiae sacramento iam refecta ab apostolico nuntio, inter suavia de Deo ac de rebus coelestibus colloquia, animam efflavit die xxix. Aprilis aetatis suae anno quinquagesimo septimo.

LVI. Defunctae corpus totius urbis luctu ad monasterium Graecense, ut iusserat, absque apparatu illatum de nocte, indutum fuit clarissarum vestibus a Maria Seegerin abbatissa. Eius subinde imploravit patrocinium laudata abbatissa pedum morbo affecta, quae ad eius sepulcrum aliarum auxilio accedens, in haec verba erupit: *piissima fundatrix Maria! me nunc gementem respice, pristinamque pedibus sanitatem restitue.* Haec dicens, et corona eius mariana qua corpus tetigerat, genibus afflictis admota, e sella exiliit et pedibus libera incessit. Eius exuviae novo sarcophago marmoreo occlusae fuerunt ad ingressum clausurae eiusdem monasterii.

LVII. Beati Antonii Hungari tertii ordinis corpus, Fulginei in Umbria in ecclesia nosocomii s. Spiritus anno mccclxcviii. tumulatum, ob crebra miracula populique obsequium translatum fuit ad aram maiorem eiusdem templi, ac nobili theca integrum ac illaesum obseratum, omnium patet venerationi. Rem procuravit p. Melchior a Valle Tullensi in Gallia, praefati nosocomii prior.

Ann. min. ad ann. 1398 n 1 Iacobilius de ss. Fulginat.

LVIII. Hoc eodem anno exuviae Cherubini a s. Lucia, quae ab anno mdlxxxvii. conditae fuerunt in communi fratrum tumulo in ecclesia s. Nicolai Agrigenti provinciae Siciliae, mandante dd. Bonincontro episcopo loci, erutae e sepulcro, translatae fuerunt in sacrarium ecclesiae, decenti arca occlusae. Anno mdcxv. ea remota, nova arcula eius corpus excepit.

Ann. min. ad ann. 1587. n 183. Mazara tom. 8. pag 380.

LIX. Scribit Spondanus post obitum Alvari ii. regis Congii qui anno mdxcvii. proprium in Congio impetraverat, a Clemente viii. pro maiori fidei incremento episcopum, catholicam fidem periisse. Ut autem eam solicite restitueret, oratorem suum anno mdcviii. ad Paulum v. destinavit, et ut illi obsequium praestaret, vectigal regium eidem offerret, ac per viros pios ad verae pietatis studium incolas revocaret. At eo in Urbe e vivis erepto, et ad sanctam Mariam Maiorem honorifice condito, legatio ipsa suo caruit effectu.

Spondanus ad ann. 1608. n 1. De Gubernatis lib. de missionibus pag. 641.

LX. Haec tamen minus vere scribit Spondanus. Lusitani enim reges in Congium franciscanos ad verbum Dei disseminandum continuo mandabat, eorumque opes plures Congiani iuvenes Ulysiponem adducti, et bonis moribus et catholica doctrina ab eisdem imbuti, iterum veluti novi apostoli Congium repetebant. Scimus interim ecclesiam Insulae s. Thomae nondum a Congiano regno divisam, a sui exordio semper habuisse franciscanos praesules. Ab insula vero s. Thomae divisa, etiam ab episcopis franciscanae familiae moderata fuit. Ut autem fidem habeamus, omnium primus praesedit anno mdxcvii. ecclesiae cathedrali s. Salvatoris in regia urbe Bamboe Michael Baptista Rangel a Conimbria; ii. anno mdcix. Emmanuel Baptista ex Algarbiorum provincia die i. Iunii; iii. Simon Mascharenus inauguratus a Gregorio xv. anno mdcxxi. *Apostolatus officium* xvii. calendas Decembris; qui quidem verbo et exemplo

commissum sibi gregem pascebant, et ingenti labore alios infideles ad fidei veritatem adducebant. Postremo cum eamdem insulam verbi Dei praedicatione et lustrassent eo tempore sodales societatis Iesu, patet nulla unquam aetate desideratam ibidem fuisse catholicam Christi fidem.

LXI. Episcopale munus obtinuit hoc anno die xxvii. Februarii inter observantes Berengarius de Bardoxi pro ecclesia Oscensi; die xxviii. Ianuarii delectus est suffraganeus episcopi Olomucensis Ioannes Baptista Civalli minorita conventualis; die xvii. Novembris institutus est episcopus Verulanius Hieronymus Hasteus eiusdem instituti.

LXII. Aliqua mandat summus pontifex. Iubet, ut rectores ecclesiarum parochialium Indiarum orientalium et occidentalium maiorem eleemosynam non exigant a parentibus defunctorum, si ipsi tumulentur in ecclesiis monialium clarissarum vel minorum de observantia: *Expositum nobis* die xxv. Iunii; coercet abusum circa ingressum mulierum in monasteria monialium: *Facultatum* die i. Septembris; inhibet fratribus carmelitis receptionem fratrum capucinorum, aliorumque ordinum licet strictioris regulae: *Nuper* die vii. Iulii; ne fratres et moniales cuiusvis instituti sibi eligant confessarium vi bullae cruciatae: *Alias* die iv. Decembris; iubet fratribus observantibus conventus oppidi s. Sebastiani dioecesis Pampelonen. ne in eorum ecclesia celebrent solemnia ss. sacramenti in dominica infra octavam corporis Christi, quia antiquitus ea peragebant fratres praedicatores: *Exponi nobis* die xxvi. Aprilis; ne extrahantur libri e bibliotheca conventus observantium Pistorien. *Cum sicut* die xviii. Iulii; similia iubet fratribus conventualibus conventus Imolae: *Conservationi* die xx. Novembris; similia iubet iisdem fratribus conventus Maceratae: *Nuper* die . . . Decembris. Hoc nostro tempore tale coenobium fratribus vacuum est. Supprimit monasterium s. Clarae Hierusalem Vallisoleti, et introducit moniales ordinis eremitarum s. Augustini; unica enim ibi erat soror clarissa: *Nuper* die xiv. Octobris; confirmat Sixti v. constitutionem ne admittantur puellae educationis gratia in monasterium s. Mariae de Angelis Matriti: *Alias* die xiv. Decembris.

LXIII. Indulget superioribus regularium mendicantium etiam per aliam quam per Lusitaniam transmittendi verbi Dei praecones in Indiarum occidentalium regiones: *Sedis apostolicae* die xi. Iulii; ut fratres discalceati excitare valeant coenobia ubique locorum sola ordinarii facultate: *Alias* die x. Octobris; confirmat literas Clementis viii. *Ex iniuncto* die ii. Octobris anno mdciii. latas super reductionem fratrum tertii ordinis s. Francisci regni Franciae ad obedientiam ministri generalis ordinis: *In supremi* die xxvii. Augusti; confirmat privilegia fratribus de tertio claustralium ordine concessa: *Iustis et honestis* die iv. Octobris; indulget, ut Franciscus de Torres minorita de observantia consobrinus Ludovici presbyteri cardinalis Montis Regalis possit verbum Dei annuntiare ubique locorum de ordinarii loci et superiorum suorum licentia: *Exponi nobis* die xxviii. Novembris; ut Paulus Cornali eiusdem instituti valeat pauperibus locisque piis distribuere bona eidem relicta a Paulo Arigoni avunculo suo: *Tuo nomine* die ix. Maii; ut serenissima Maria ab Austria possit ss. eucharistiae sacramentum retinere in sacello interiori monasterii Viennae, quo degit, a se erecto: *Spirituali* die xxv. Ianuarii; ut Ludovicus Fontana Bononiensis uno tantum vice solvat fratribus conventus observantium Annuntiationis eiusdem urbis sexcenta ducata, loco annui reditus biscentum librarum ab eo relicti pro aedis reparatione: *Religiosorum* die v. Februarii; ut fratres

eiusdem coenobii convertant medietatem cuiusdam legati eis relicti a Hieronymo Vercelli illius urbis in constructione chori, infirmariae et hospitii: *Exponi nobis* die xxvi. Novembris; ut Aegidius Barcinonen. tertii ordinis mille scutata sibi a b. m. cardinali de Terranova relicta convertat in emptione census pro suo instituto, et eorum reditus pro suis necessitatibus disponat: *Religiosorum* die ix. Septembris; ut episcopus Ferrarien. extinguat pium legatum relictum ab Antonio Moringello loci incola pro consulendis necessitatibus monasterii s. Bernardini: *Exponi nobis* die x. Novembris; ut archiepiscopus Acheruntinen. convertat legatum pro reparatione aedis reformatorum s. Francisci Basilicatae, ubi antea degebant conventuales: *Exponi nobis* die xii. Novembris; reservat pensionem centum ducatorum auri de camera super fructibus parochialis ecclesiae ss. Faustini et Iovitae loci Conitzani dioecesis Brixiensis pro Modesto Terzo minorita conventuali, ut commodius sustentari valeat: *Religionis zelus* nonis Septembris; absolvit ab ecclesiasticis poenis Marcum Antonium Capello fratrem conventualem coram pontifice errata confessum, qui anno MDCVI. scripserat pro republica Veneta contra censuras a pontifice latas: *Pastoralis* die xxiv. Septembris; decernit fratres capucinos esse vere fratres minores: *Ecclesia* die xv. Octobris; pro Nicolao Mantuano capucino confessario Catharinae ab Austria: *Piis ac devotis* die xi. Ianuarii.

LXIV. Concedit altare maius privilegiatum in ecclesia s. Agnetis conventus Cracoviensis tertii ordinis: *Omnium saluti* die v. Decembris; altare s. Mariae in ecclesia conventualium s. Francisci Melduсae: *Omnium saluti* die xix. Decembris; altare s. crucis in ecclesia confraternitatis s. Rochi Venetiis: *Omnium saluti* die xiv. Decembris; altare b. Mariae de Succursu in ecclesia reformatorum s. Francisci Saccae: *Omnium saluti* die xxiii. Decembris; altare sub invocatione Patientiae in ecclesia discalceatorum s. Bernardini oppidi Matriti: *Omnium saluti* die v. Novembris; altare conceptionis in ecclesia s. Mariae Gratiarum observantium Bergomen. *Omnium saluti* die xi. Octobris; altare ad septennium b. Mariae in ecclesia observantium Albae Graeciae: *Omnium saluti* die xv. Septembris; altare domini nostri Iesu Christi et s. Bonaventurae in ecclesia monialium clarissarum Parisiis: *Volentes* die xx. Septembris; altare s. Francisci in ecclesia s. Eustachii Parisiis: *Omnium saluti* die ii. Septembris; altare ss. crucifixi in ecclesia conventualium s. Francisci Villae Albari Genuen. dioecesis: *Omnium saluti* die xxviii. Augusti; altare ad xx. annos sub invocatione . . . . in ecclesia observantium oppidi de Ariza Seguntin. dioecesis: *Omnium saluti* die xix. Augusti; altare maius in ecclesia s. Iacobi conventualium civitatis veteris Pragen. ad x. annos: *Volentes* die xxiv. Iulii; altare s. Antonii Patavini in ecclesia observantium Capraroiao ad triennium: *Omnium saluti* die xix. Iunii; altare ss. Incarnationis in ecclesia s. Antonii Patavini recollectorum Salamanticae ad septennium: *Volentes* die xxi. Iulii; transfert altare privilegiatum ss. crucifixi concessum a Gregorio xiii. ad altare s. Francisci in ecclesia observantium de Iesu Barcinonen. *Alias* die xxxi. Maii; altare s. Francisci in ecclesia observantium Buscodicen. *Omnium saluti* die xxvii. Martii; transfert altare privilegiatum s. Mariae de Succursu concessum a Gregorio xiii. ad altare eiusdem nominis ob peractam translationem eiusdem imaginis b. Mariae in ecclesia observantium Castrimaris Neapolitan. *Cum sicut* die xxii. Septembris; concedit fratribus capucinis tria altaris privilegiata in singulis provinciis ordinis: *Omnium saluti* die ix. Iunii.

LXV. Concedit indulgentiam plenariam fratribus capucinis pro oratione quadraginta horarum: *Ad ea* die XXII. Iunii; concedit indulgentias monialibus capucinis in monte quirinali: *Ad augendam* die XXVII. Iunii; erigit confraternitatem s. Rochi in ecclesia eiusdem invocationis in eremitorio Villaenovae de Cardete nullius dioecesis in prioratu de Veles: *Cum sicut* die XXXI. Martii; confraternitatem conceptionis in parochiali ecclesia Villae de Zenti Cartagineo. dioecesis: *Cum sicut* die XXXI. Martii; confraternitatem mulierum sub invocatione s. Francisci in oratorio s. Elisabeth Bitterco. *Cum sicut* die XIV. Iunii; transfert indulgentiam plenariam concessam confraternitati s. Bernardini Florentiae pro die eiusdem festivitatis ad dominicam infra octavam eiusdem festivitatis: *Cum alias* die IX. Februarii.

LXVI. Ex Petro de Alva diplomata. Constructio monasterii s. Clarae Hortonae Montis Teatin. *Inter universa* IV. calendas Februarii; fundatio monasterii in civitate Montisalti: *Inter universa* V. idus Septembris; pro monasterio clarissarum oppidi de Tordesillas Vallisoletan. *Sedes apostolica* VII. calendas Octobris; circa monasterium s. Calocerii Albinganen. *Ex iniuncto* XV. calendas Aprilis; beneficium in ecclesia b. Mariae conceptionis Camerani: *Apostolicae sedis* III. idus Martii; aliae pro eadem re: *Apostolicae sedis* sub eodem die; beneficium conceptionis in ecclesia s. Viti dioecesis Senogallien. *Literarum scientia* XIII. calendas Septembris; saeculare beneficium in hospitale conceptionis Burgen. *Vitae ac morum* idibus Maii; cappellania in ecclesia clarissarum s. Margaritae Bononien. *Vitae ac morum* nonis Decembris; perpetuum beneficium in ecclesia conceptionis s. Syri Pannen. *Dignum* pridie nonas Novembris; erectio monasterii discalceatarum conceptionis Civitatis Regum in Peruviano regno: *Debitum pastoralis* X. calendas Octobris.

LXVII. Prodigium quod evenit b. Virginis intercessione apud ecclesiam fratrum observantium Traiecti ad Mosam, verbis Francisci Agricolae pastoris
Sedulius pag. 188. ecclesiae Sittardiensis ponimus. *Anno Domini supra* MDCVII. *ante festum paschae contigit puellam quamdam Ioannam dictam, filiam m. Ioannis Gandarheydeni civis oppidi Sittardiensis et collegiatae ecclesiae s. Petri ibidem successoris et organistae, necnon apostolica caesarea auctoritate notorii publici atque etiam concilii Sustatensis secretarii, tali unius oculi corripi vitio, ut eis totus videretur deperditus atque ita occlusus, vitio accrescente, maneret, ut (nequidquam adhibita arte medica) de eius visu vel sanitate restituendi desperaretur, uti palam et passim in oppido Sittardiensi quoque innotuit. Quando vero medica vel naturali arte nihil effectum iri videbatur, mater dictae puellae votum fecit filiam ducendi ad chorum et imaginem ss. Deiparae in ecclesia s. Francisci Traiecti ad Mosam; quod ubi fecit ipso festo Visitationis eiusdem anni, statim sensit oculi aperitionem et restitutionem ita, ut pannos quibus antea obvolutus erat, ibidem reliquerit, et peregrinationem intra octavam Assumptionis, et postea tertio in festo Nativitatis cum matre repetens, deinceps sensit et retinuit (laus Deo virginique Matri) oculum integrum, clarum et sanum in hodiernum usque diem. Haec mihi infra subscripto pastori Sittardiensi diligenter examinata, puella ipsamet fassa est, cuius defectum quoque ante sicuti et iam restitutionem oculi ipsammet quoque meis oculis contemplatus sum, et uterque parens ita sese rem habere interrogati et examinati a me diligenter et specialiter coram vocatis et*

Digitized by Google

adhibitis testibus fide dignis, domino Simone Coloniensi et m. Ioanne Crieckelman, et fassi sunt et constanter affirmaverunt, parati etiam, si opus foret, iuramento idipsum confirmare. Acta sunt haec in aedibus meis pastoralibus XVIII. die Iulii anno MDCVIII.

***Ita testor** ego Franciscus Agricola pastor ecclesiae Sittardiensis et concilii Sustatensis decanus.*

LXVIII. Sequentia prodigia evenerunt b. Simonis a Lypnica intercessione. Ioannes Palanowiski gravi morbo in capite laborans, cum medicorum remedia nihil ipsi prodessent, voto emisso visitandi Beati sepulcrum, breves post preces levatum ac iuvatum se sensit. Idem ipse eiusdem Beati patrocinio a comitiali morbo liber evasit. Infans nomine Gregorius ab aquis submersus, Beati auxilio a parentibus invocato, a mortis faucibus ereptus est.

Acta ss. ad diem 18. Iulii cap. 2. num. 212. et num. 213.

ARGUMENTUM

Sigismundus III. Poloniae rex agit apud pontificem pro confirmando cultu b. Simonis a Lypnica. Decedunt martyres, pii viri ac virgines. Nova domicilia excitantur. Inclarent viri docti et occumbunt. Eximia sanctitate floret s. Franciscus Solanus. Acta narrantur b. Paulae Costa Gambara comitissae tertiariae, cuius arca exornatur. Instituuntur episcopi. Ordo favoribus augetur.

Cum ob crebra miracula valde auctus esset b. Simonis a Lypnica cultus, Sigismundus III. pientissimus Poloniae rex flagitavit summum pontificem Paulum V. ut dignaretur virum Dei sanctitate eximium in beatorum album referre. Idipsum et praestitere subinde alii Poloniae reges ac antistites, donec anno MDCLXXXV. ipsius Beati immemorabilem cultum probaverit s. rituum congregatio ex Innocentii XI. summi pontificis mandato. Sigismundi literam proferimus.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri domino domino clementissimo Paulo papae V.

Ex processu pro Beat. canonizatione.

Post oscula pedum beatorum sanctitatis vestrae, mei regnorum ac dominiorum meorum humillima commendatione praemissa. Simonem de Lypnica ordinis d. Francisci minorum de observantia generis Polonici, virum mira sanctimonia et insignibus divinarum virtutum exemplis, christifidelium animos ad veram pietatem informando, eosdemque ab interitu sempiterno ad viam veritatis reducendo, ita in terris iam dudum versatum accepimus, ut in carne coelestem vitam egerit, et beatorum mentium aeternam felicitatem sit imitatus. Cuius viri mirabilis Dominus in sanctis suis gloriam per ditiones nostras longe lateque illustrat, et populus universus opem eius implorando, praesentem sibi sentiens, praecipua religione divinum virum affixis etiam ad monumentum tabulis, accepti beneficii testibus colit. Humillime itaque sanctitati vestrae supplico, ut in eius omnem vitam et ea quae post discessum, ut credo, in coelum consecuta sunt, auctoritate apostolica inquisitionem instituat, ac si huiusmodi erunt quae non aliqua humana, sed superna plane et spirituali vi gesta iudicentur, eidem hunc honorem qui in beatorum numerum relatis a summis pontificibus tribui solet, decernat: et quo maiori christifideles mentis affectu Beatum venerentur, sacrosanctum missae sacrificium in honorem illius peragendi, eiusque anniversarium diem officio proprio ad normam precum breviarii romani, vel saltem ab hoc ordine celebrandi impertiri dignetur facultatem. Accedet is sanctitati vestrae regnis, dominiisque meis non vulgaris apud Deum patronus, qui omnium nostrum actionem et sempiternam salutem assiduis precibus commendabit, eritque ad illustre ac perpetuum sanctitatis vestrae, paternae erga me voluntatis

Digitized by Google

et gentem Polonam ordinemque d. Francisci argumentum. De caetero me ipsum, regna, ditiones meas gratiae et clementiae sanctitatis vestrae, quam diligentissime defero atque trado.
Vilnae die v. Iulii MDCIX.

Sanctitatis vestrae filius
Sigismundus rex.

II. Coronam martyrii hoc anno consequutus et in coelo Didacus a Cruce sive de Palomares, qui e provincia s. Gregorii Insularum Philippinarum in Iaponiam se conferens et incolarum conversioni sedulam operam navans, pro Christi fide immolatus est. In provincia s. Francisci de Zacatbecas martyrium subiit Martinus de Altamira, quem Indi occiderunt sacrum facientem in oratorio suae domus doctrinalis. Diu insudavorat in catholicae fidei propagatione.

> Didacus a Cruce m. *Ioannes a s. Antonio in Syllabo mm.*
> Martinus de Altamira m. *Torquemada tom. 3. pag. 317.*

III. Crudele etiam hoc eodem anno martyrium sustinuit Bartholomaeus Ximenez sacerdos ex provincia s. Ioannis Baptistae, in Vico Iniestae dioecesis Conchensis in Castella natus, qui anno aetatis suae XXIV. inter discalceatos adscriptus, maximis virtutibus floruit. Cum enim Philippi III. Hispaniarum regis mandato exilii leges subiissent suam ditionem incolentes mahometani, hi obvium fervidum divini verbi praeconem habuerunt in confiniis Valentiae et Castellae, et agmine facto irruentes super eum mahometanorum sectam exprobrantem, franciscalium habitu spoliarunt, et manus proprio cingulo ligantes, eorum gladiis confoderunt, capite interim ab una ad aliam aurem dissecto. Martyris corpus per agrum primum raptarunt, postea vero in veterem cisternam proiecerunt. At non multo post indicio insueti splendoris ex ore putei egredientis corpus fratribus demonstratum ac mox erutum, magno populi concursu solemniisque parentalibus tumulatum fuit in Ayorensi s. Antonii coenobio.

> Bartholomaeus Ximenez m. *Panes part. 1. lib. 3. cap. 4.*

IV. In Palestina pro Christi fidei confessione decessit die XXX. Decembris Bonaventura, natus in oppido Colonnellae apud Truentum amnem in provincia s. Bernardini, fratribus reformatis adscriptus in provincia Romana. Vix sacerdotalem dignitatem assequutus, praedicationis munus explevit non sine animarum lucro, cunctis se praebens sanctitatis exemplar. Verum infidelium conversionem sitiens, in Palestinae regionem se contulit, ubi eum obedientiae merito hac illac discurreret, a turcis ob odium fidei christianae comprehensus, ac carceribus inclusus opprobriis interim ac verberibus afflictus vitam cum morte feliciter commutavit.

> Bonaventura a Colonnella m. *Monum. prov.*

V. Provinciam s. Francisci de Zacathecas hoc anno nobilitarunt pretiosa instar morte duo ex minoritis de observantia sacerdotes, quorum alter fuit Alphonsus de la Oliva, qui prae sui humilitate, paupertate ac comitate animum ita devincebat furentium Chichimecarum, ut multi ex illis in fide edocti, sacrum baptisma susciperent. Postremus laboris sui socius extitit Ioannes Gomez, qui tum in urbe Guaçamota, tum in pago Macapit, tum in aliis finitimis regionibus inter vitae pericula sacri verbi pabulo eximiisque vitae exemplis pro eisdem Indis erudiendis sedulam operam impendebat.

> Alphonsus de la Oliva. *Torquemada tom. 3. pag. 343.*
> Ioannes Gomez. *Idem ibid. pag. 343.*

VI. Die VI. Ianuarii dies suos complevit in conventu oppidi de Quauhqxbollan in custodia s. Salvatoris de Tampico provinciae s. Evangelii Michael de Rodorate hispanus. Diu in provincia s. Evangelii et concionatoris et confessarii munus summa vitae probitate obivit; idipsum et praestitit in laudata cu-

> Michael de Rodorate. *Idem ibid. pag. 389.*

stodia. Vitam duxit saperitatibus plenam. Veneris die pane abstinebat; vescebatur dumtaxat carduis agrestibus. Hinc quadam die rogatus a consodali, cur illos comederet, respondit: se ita facere, ut recordaretur Christi Domini in cruce pendentis, aceto ac felle potati. In componendis dissidiis, mira charitate ditatus erat. Non semel homines ad singulare certamen convenientes, verbis dulcissimis ac genibus flexis, ad pacem et concordiam reducebat. Nulla infirmitate correptus, occubuit sereno vultu.

Lucas Salas. *Martinez lib. 3. pag. 138. Panes part. 1. lib. 3. cap. 37. et seq.*

VII. Ex discalceatis fratribus aliquot pii viri occubuere. In primis Lucas Salas laicus, natus in oppido de Lazor Insulae Minoricae, filius Francisci Salas et Catharinae Garcias. Annos natus XVIII. professionem emisit in conventu s. Mariae Angelorum Liriae in custodia s. Ioannis Baptistae. Humilitate singularique patientia in laboribus, illatisque sibi contumeliis sustinendis enituit. Cum olitoris munus ageret in conventu s. Rochi Gandiae, plantaria cucurbitarum formicae demoliebantur. Multa ad eas arcendas remedia adhibuit, sed frustra. Tunc intra se dixit: *scio quid faciam; praecipiam eis in virtute sanctae obedientiae, ne plantaria tangant, et tunc videbo, quid erunt facturae.* Mandatum tulit, et formicae e loco statim abiere. Rudi obsoletoque habitu amictus erat, nudisque pedibus etiam per inaccessos montes et asperos semper incedebat. Corpus macerabat asperrimis flagellis, crebrisque ieiuniis. Tenerrimo cordis affectu recolebat Iesu Christi erga nos dilectionem in ss. eucharistiae sacramento, multasque preces coram eo fundebat nocte ac die in quodam ecclesiae angulo. Cum in pervigilio seraphici Patris gravi morbo affectus lecto decumberet, et ad sacram mensam simul cum consodalibus sequenti mane accedere summopere cuperet, elatis oculis in eius imaginem quam in cubiculo habebat, summa fidentia dixit: *possibile erit, pater mi, me mane, cum sit dies festivus tuus, non iturum cum fratribus ad Christi corpus sumendum?* Vix istis prolatis, vocem audivit dicentem sibi: *tace, fili; nam mane sanus eris, et simul cum eis coelesti pane reficieris.* Factum probavit eventus.

VIII. Charitate Dei vulneratus, assiduus erat in divinis colloquiis et adhortationibus sanctis, quibus cuncti qui cum eo versabantur, ad Deum toto corde amandum alliciebantur. Egenis, infirmisque ceu benevolum providumque patrem se praebebat. Iis igitur divinis charismatibus cumulatus, martyriique desiderio incensus, cum in coenobium s. Rochi de Gandia anno MDCVI. advenisset Sebastianus a s. Ioseph, ut collectum fratrum haberet pro consulendis necessitatibus provinciae s. Gregorii insularum Philippinarum, eumdem humiliter exoravit, ut inter caeteros sodales ad eas insulas mittendos illum adscribere dignaretur. Votis piis benevole satisfecit commissarius, licet aegre ferret dux Gandiae, qui virum Deo dilectum impense venerabatur. Antequam itineri se committeret, petiit ab eo p. Bartholomaeus Gavaldon sibi familiaris, ut aliquod pignus ad eius memoriam perpetuo colendam ei relinqueret; precibus annuens Lucas, baculum quem ferebat, donavit. Ille vero tamquam pretiosam reliquiam custodivit, cuius ope non pauca miracula operatus est Deus. Quare Hieronymus Planes a. Ioannis Baptistae provinciae administer illum recipiens, debito honore reposuit in sacrario conventus s. Annae Montis Iumillae.

IX. Ut Maniliensem urbem accessit, indubia mox suae sanctitatis specimina cunctis praebuit; quibus commoti maiores, ad Iaponiorum imperium destinarunt.

Martinez ibid. pag. 138.

Osacae commorans, illius urbis praesidem anginae morbo afflictum ac e medicis derelictum extemplo sanavit. Ab incurabili etiam morbo eripuit modera-

torem regni de Quinocumi. Incolas mansuetos reddidit, et erga fratres benevolos qui pro eis sedes parare permisere. Delectam sibi vineam a Domino in urbe Bocayama regni de Quinocumi summa animi alacritate excolebat tum sanctitatis exemplo, tum doctrina in Indis catechizandis, a quibus tamen carceribus mancipatus, per annum inediam ac sitim sustinuit, donec in exilium actus, sepulcrum obtinuit in mare hoc anno in eodem regno. Postroma haec ignota fuerunt Antonio Panes illius provinciae historiographo.

X. Maniliae occubuit Didacus Bermeo hispanus, in saeculo doctoris laurea in utroque iure decoratus in universitate Complutensi. Professionem emisit in provincia s. Iosephi, ubi paupertate, humilitate, silentio corporisque maceratione floruit. Lucrandi infidelium animas gratia, in Philippinas insulas se contulit, et a suis missus in provinciam de Camarinas, solatio fuit et exemplo tum fidelibus tum infidelibus. Provinciae administor renuntiatus anno MDXCIX. commissam sibi familiam verbo ac vitae sanctitate fovit. Absoluto regimine, Iaponiam petivit; at a gravi morbo percussus, iterum Maniliam remeare coactus fuit, ubi denuo ad provinciae regimen assumptus, non multo post illud dimisit, ut divinis rebus iugiter vacaret. *Didacus Bermeo. Idem lib. 1. pag. 112.*

XI. Eodem anno Maniliae obiit die XXI. Decembris Vincentius Valero, item hispanus, antea professus in provincia Valentiae minoritarum de observantia. Aliquandiu fuit comes individuus b. Petri Nicolai Factoris, a quo pietatis spiritum cumulatissime hauserat. In s. Evangelii provincia commorans, novitiorum curam egit; idem munus sustinuit in provincia s. Gregorii insularum Philippinarum. Commendabatur prae sui animi innocentia, vitae austeritate ac altissima paupertate. In recolenda Christi Domini nativitate tanto cordis affectu afficiebatur, ut non semel divina luce circumfusus et extra se factus videretur. *Vincentius Valero. Idem ibid. pag. 125.*

XII. In conventu Dominae nostrae de Pietate oppidi de Guadalcanal provinciae Angelorum raptus est Franciscus de Lora sacerdos, cultor eximius paupertatis, carnis macerationis et observantiso regularis. In meditandis divinis rebus meruit a Deo coelestibus donis cumulari. Ante sui obitum recreatus fuit visione s. Annae, cui ab infantia summum praestabat obsequium. Paucos post dies a sui morte adparuit cuidam consodali degenti in coenobio Conceptionis de Herrera sibi dicenti: *frater, custodi sanctam paupertatem summe dilectam a Domino Iesu Christo redemptore, ac a seraphico p. Francisco: ecce nunc peto coelestem patriam, mihi a Domino per suam misericordiam paratam.* *Franciscus de Lora. De Guadalupe pag. 392.*

XIII. Nonagenarius decessit die IX. Septembris Franciscus Baptista sacerdos Conimbriae in Lusitania ortus. In ciborum usu fuit prorsus admirabilis. Secundis, quartis et sextis feriis nullum degustabat obsonium; triduana vero ieiunia absque cibo et potu praemittebat in pervigiliis Deiparae ac sanctorum, licet annis et infirmitatibus gravatus. Nemo tam auri cupidus, quam iste paupertatis; palliolum quod primum acceperat in provincia discalceatorum, per annos XL. semper retinuit, variis frustis resarcitum. Eodem anno in conventu s. Crucis Conimbriae obiit die XXV. Martii Franciscus Nogueira, maxima animi simplicitate exornatus. Delectabatur in sustinendis opprobriis ac contumeliis, in quibus vultus hilaritatem ostendebat. Humilitatis spiritu ductus, Franciscum peccatorem se insimulabat. *Franciscus Baptista a Conimbria. Monum. prov.* *Franciscus Nogueira. De Esperanza tom. 1. pag. 379.*

XIV. Ex capucinorum familia decessit hoc anno Barcinone in Hispania Antonius a Neapoli laicus, in Catalauniam provinciam a maioribus missus post aliquot a sua professione annos. Ab hoc tempore et rigidius carnem ieiuniis *Antonius a Neapoli. De Aremberg tom. 2. pag. 776.*

extenuare et verberibus mactare et vigiliis atterere exorsus est. Ecstases patiebatur miras in precibus fundendis. Donum a Deo etiam obtinuit propheticum, quo res futuras praenosceret ac mentium occulta penetraret, de quibus multa Carolus de Aremberg. Valentiae occubuit Narcisius Dianensis laicus, antea virtutibus praestans inter minores de observantia. Tanto in puerum Iesum amore fragrabat, ut quem intus in pectore occlusum gerebat, hunc saepe ore eructaret. Quaestuarii onus sustinens, quid quaereret, interrogatus, dicebat: *meum Iesum quaero*. Hoc tempore item obiit Michael Angelus Badensis sacerdos, eximia charitate exornatus erga infirmos; leprosis ministrare cunctaque illis pietatis officia exhibere solitus erat. Cum saeva lues Suitense oppidum invasisset, impetrata a coenobii praeside venia, ultro se peste laborantium ministerio mancipavit; qua contracta, non multo post spiritum Deo reddidit. Hispelli in Umbria occubuit Ioannes Bergomas item sacerdos in Insulam Sardiniam missus, ut illius provinciae fundamenta suis virtutibus iaceret. Enituit sensuum mortificatione, oculorum custodia, vitae innocentia ac pietate. Licet provectae aetatis, summa patientia ac hilaritate munus quaestuarii sustinuit. In coenobio Turris Maioris provinciae Barensis nocte nativitatis Domini occubuit Iacobus a Manfredonia laicus. Aspero semper cilicio usus est; lectus illi nudae tabulae, ac pulvillus perpetuus sarmenta fuerunt. Membra vero tot saepe fragris caedebat ut sanguinis aspersione impressa humi vestigia relinqueret; vulnera viva calce novo medicamenti genere abstergebat.

Narcisius Dianensis. Idem ibid. pag. 787.

Michael Angelus Badensis. Idem ibid. pag. 427.

Ioannes Bergomas. Idem ibid. pag. 496.

Iacobus a Manfredonia. Idem ibid. pag. 792.

XV. Paulus Caesenas insignis verbi Dei praeco capucinus, mittitur a pontifice Tunonium ad principem civitatem ducatus Chablasii, aliasque in Vallesiae, Lusanae, Friburgi provincias perlustrandas hisce literis instructus.

PAULUS PAPA V.

Dilecto filio Paulo a Caesena ordinis minorum s. Francisci capucinorum nuncupat. salutem et apostolicam benedictionem.

Tupius in bull. capuc. tom. 5. pag. 156.

Cum ex debito pastoralis officii quo fidei catholicae propagationi omni solicitudine invigilare tenemur, ad piam domum s. Marine de Compassione nuncupatam oppidi Tunonii Gebenensis dioecesis pro haereticorum conversione praecipue institutam, personam aliquam pietate, fide ac prudentia idoneam hoc tempore mittere decrevimus, quae de eiusdem domus statu et aliis de quibus nos certiores fieri pro tanti operis et catholicae religionis progressu in Domino duximus expedire, sese diligenter informet, tu nobis occurristi quem ad hoc munus deligeremus. De tua igitur sincera fide, catholicae religionis zelo, prudentia et industria multam in Domino fiduciam habentes ac fore sperantes, ut quae tibi commiserimus, prout oportet, et ex animi nostri sententia cures et efficias, apostolica auctoritate tenore praesentium tibi committimus et mandamus, ut ad domum praedictam quamprimum te conferas, ac de illius statu, regimine deque missionibus quae in Vallesiae, Lusanae, Friburgi aliisque circumpositis regionibus pro haereticorum ad fidem catholicam conversione, sicut accepimus, fiunt, veritatem diligenter perquiras, et quanto cum fructu animarum ac catholicae religionis augmento hactenus in illis partibus laboratum fuerit, quidque ad spem exploratum habeatur de Gebenensium aliorumque vicinorum populorum in haereticae impietatis nocte

misere errantium, reditu ad lucem verae fidei te similiter informes, ac simul remedia opportuna ad eorum conversionem, quae ex re praesenti cognosci possunt, pro tua prudentia consideres, omniaque alia et singula investiges, indages et perquiras, quae pro praedictis et circa ea in Domino iudicaveris expedire, nobisque etiam in dies per literas, antequam Romam redeas, accurate referas ita, ut quid tantum Christi negotium postulet, ex tua relatione cognosci et deinde mature desuper provideri possit ad gloriam Salvatoris. Praeterea tibi, ut si forte aliqua inciderint pro utilitate operis et missionum praedictarum, quae dilationem minime ferant ita, ut nos certiores faciendi tempus et rescripta nostra expectari non possint, sed praesentaneum remedium requirant, omnibus huiusmodi et singulis, prout tua tibi suggeret prudentia, providere possis et valeas, plenam et liberam tenore praesentium facultatem et auctoritatem tribuimus et impartimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die XI. *Ianuarii* MDCIX.

S. Cobellutius.

XVI. Idem pontifex concedit Maximiliano Bavariae duci, ut Laurentius a Brundusio capucinus praestantissimae doctrinae ac sanctitatis vir sibique charus apud se diversetur.

PAULUS PAPA V.

Dilecto filio nobili viro Maximiliano duci Bavariae salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut a nobis postulavit nobilitas tua, potestatem fecimus dilecto filio Laurentio Brundusino ordinis capucinorum ex Hispania remeanti, manendi apud te. Valde desideramus in omnibus quae eum Domino possumus, tibi gratificari, potissimum autem in tuis rebus quibus pietatem et religionem tuam foveri et adiuvari posse existimamus. Dominus tibi cuncta prospera atque secunda concedat, et nos nobilitati tuae peramanter benedicimus. *Idem tom. 4. pag. 154.*

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris pridie idus Decembris MDCIX.

Petrus Stroza.

XVII. Parantur domicilia pro eisdem fratribus capucinis. In provincia Romana habuerunt conventum Velitris; in provincia Veneta conventum Sacili dioecesis Aquileiae et conventum Thienae dioecesis Patavinae; in provincia Mediolani conventum Castellatii dioecesis Alexandrinae et conventum Raudi dioecesis Mediolanensis; in provincia Pedemontana conventum Villaefranchae dioecesis Niciensis; in provincia Tusciae conventum Lucae et conventum s. Miniatis; in provincia Cosentiae conventum Casalisnovi dioecesis Cassanensis, conventum Rossani et conventum Planae dioecesis Cosentiae; in provincia Aprutina conventum s. Michaelis Aquilae, diversum ab altero s. Iosephi titulo; in provincia Corsicae conventum Oristani dioecesis Alborensis et conventum Se- *Ex albo Michaelis a Tugio.*

Inri dioecesis Calaritanae; in provincia Helvetica conventum Friburgi Nuithoni dioecesis Lausanensis; in provincia Flandro-Belgica conventum Traiecti ad Mosam dioecesis Leodiensis; in provincia Vallonica conventum Athi dioecesis Cameracensis; in provincia Styriae conventum Fluminis sive s. Vitorii dioecesis Pollensis; in provincia Lugdunensi conventum Acici; in provincia s. Ludovici conventum Mamnescae dioecesis Sosteronensis; in provincia Lotharingiae conventum Mircuriae dioecesis Tullensis; in provincia Aquitaniae conventum Marmandae dioecesis Agianensis; in provincia Insulensi conventum Iprarum; in provincia Catalauniae conventum Aquae Latae dioecesis Vicensis et conventum Dertusae.

Conv. Fagnani. Monum. prov.

XVIII. Pro spirituali solatio incolarum terrae Fagnani ac finitimorum ebristifidelium, erectum ibidem fuit coenobium pro fratribus de observantia provinciae s. Bernardini prope ecclesiam s. Sebastiani m. dioecesis Aquilanae, favente Octavio Vivio loci barone. Natalem eo habuerunt ex eorum instituto Ambrosius sacerdos vir doctus multisque virtutibus exornatus; Felix item sacerdos angelicae puritatis, ac postremo Carolus de Pontima laica, vir simplex ac in recolenda Christi passione assiduus.

Conv. Birupensis. Monum. prov.

XIX. Fratres discalceati provinciae s. Iosephi obtinuerunt coenobium sub invocatione s. Iosephi apud oppidum Birupense seu Birocense, instructum impensis d. Ioannis Molinae. Fratres eo immisit Andreas ab Occania provinciae administer. Idem Ioannes patronatum sibi reservavit. Incolitur a XVI. fratribus.

Conv. Carthaginensis. Panes tom. 1. pag. 414.

XX. Hoc anno iidem fratres discalceati provinciae s. Ioannis Baptistae dimiserunt non satis accommodum conventum s. Didaci, fundatum anno MDCVII. extra moenia urbis Carthaginensis, ut alterum incolerent commodiorem s. Iosephi titulo. Utrumque coenobium aedificatum fuit civium eleemosynis.

Conv. Buterae. Pirrus. tom. 1. pag. 745.

XXI. Minoritae conventuales, relicto coenobio s. Mariae de Iesu ad iactum lapidis ab urbe Buterae dioecesis Agrigentinae in Sicilia, occuparunt alterum coenobium intra eamdem urbem s. Francisci titulo. Anno MDCXXIV. priorem locum incoluerunt capucini. Item ipsi conventuales dimiserunt conventum s. Mariae de Alto in oppido Lilybaei dioecesis Mazariensis, ad perfectionis apicem adductum anno MDXXXVII., et cum eius proventibus commigrarunt in alteram aedem s. Francisci nomine. Haec scimus ex Pirro.

Conv. Lilybaei. Idem tom. 2. pag. 885.

Conv. Iovis. Antonius ab Urbeveteri pag. 353.

XXII. Obvenit fratribus reformatis provinciae Umbriae conventus s. Mariae de Iesu prope oppidum Iovis dioecesis Ameriae, impensis instructus d. Asdrubalis Matthaei et uxoris suae Constantiae Gonzaga. Locum occuparunt fratres vel hoc anno, vel anno insequenti literis datis die XIX. Novembris ab Archangelo a Messana ministro generali ordinis. In eius ecclesia hoc prostrat monumentum. *Deiparae virgini Mariae Iesu aedem hanc et s. Francisci observantiae reformatorum coenobium Asdrubal Matthaeius et d. Constantia Gonzaga coniuges marchiones Iovis pietatis devotionisque suae populique boni spiritualis studio a fundamentis erexere.* Hoc eodem anno coenobium perfectionis culmen accepit.

Conv. Montopolis. Monum. prov.

XXIII. Extitit et pro eis in provincia Romana conventus s. Mariae Angelorum pro oppidum Montopolis in Sabinia abbatiae Farfensis, incolarum sumptibus excitatus pro XII. fratribus in aprico collis vertice. Ecclesia miram habet structuram. Praeter aram maiorem, obviant in eo quatuor sacella musivo opere elaborata. Quatuor insuper mm. corpora aliaeque permultae ss. reliquiae venerantur, ex Priscillae caemeterio eo illatae. Summus pontifex: *Exponi nobis* die XXXI. Decembris ratam habet coenobii fundationem.

Digitized by Google

XXIV. Sunt etiam summi pontificis literae: *Onerosa* die XIV. Decembris pro fundatione coenobii in urbe Brixiae eorumdem fratrum reformatorum. Extitit et pro eis in provincia Taurinensi coenobium s. Francisci in oppido s. Georgii incolarum sumptibus.

Conv. Brixiae. Conv. s. Georgii. *Monum. prov.*

XXV. Obtinuerunt fratres recollecti in custodia s. Bernardini conventum in urbe s. Pontii Thomeriarum in superiori Occitania. Loci possessionem adeptus est Simeon Ribero. Ibidem degunt XII. fratres. In provincia Germaniae Inferioris eis obvenit et hoc anno conventus Ruraemundae, anno MCCCCII. fundatus.

Conv. s. Pontii. *Monum. prov.* Conv. Ruraemundae. *Monum. prov.*

XXVI. Conventum Lendii in Artesia provinciae s. Andreae hoc tempore funditus eversum, de novo aedificatum fuisse pro fratribus recollectis tradunt Bollandistae. In ecclesia coenobii venerantur ossa b. Pacifici Piceni, de quo extat sequens memoria: *sub hoc lapide recondita servantur ossa sacra b. Pacifici ordinis minorum, qui ipse primus fuit provinciae Franciae minister.* Immerito iste confunditur cum b. Pacifico a Ripa civitato dioecesis Tridentinae, lacui Benasco proxima, quem tradunt ortum habuisse ex nobili familia Riccamboni. In ecclesia Ripensi haec obviat inscriptio in eius sepulcro incisa: *sacra tumulus hic ossa recludit b. pacifici Riccambonn, quem peperit Ripa, seraphici Patris consortis, sedibus aliis sublata, clero, magistratu, populo confluente, undenule viris, hac ampla urbe lustrata aetate MDCLIII.* Plura de hac re habet Vigilius Greiderer.

Conv. Lendii. *Acta ss. ad diem 10. Iulii §. 8. Greiderer tom. 2. p. 516.*

XXVII. In provincia Franciae Parisiensis concessus fuit fratribus tertii ordinis de poenitentia conventus s. Clementis Rhotomagi, antea inhabitatus a minoritis de observantia. Parisiis hoc anno iidem fratres de tertio ordine die XXIII. Novembris habuere provinciale capitulum, praeside Archangelo a Messana totius ordinis moderatore, ubi provinciae clavum sub invocatione s. Elzearii demandatum fuit Vincentio Mussart Parisiensi illius ordinis instauratori. Cum autem statuta sibi propria adhuc nullo iidem fratres, paucis ordinationibus exceptis, haberent, ea tamen eisdem accommoda ordinare coeperunt, quae generali ministro proposita ac ab eodem expensa, hoc anno, anno MDCX. et anno MDCXII. Lugduni vulgata fuerunt typis Claudii Morillon hoc titulo: *tertii ordinis strictioris observantiae in Gallia statuta, constitutiones et decreta generalia.* Inedita tamen decreto suo probavit in eodem comitio laudatus generalis minister.

Conv. Rhotomagi. *Gallia christiana t. 2. pag. 106.* *De Gubernatis tom. 2. pag. 829.* *Sbaral. lit. V.*

Nos frater Archangelus a Messana totius ordinis fratrum minorum necnon fratrum poenitentium tertii ordinis s. Francisci minister generalis et servus.

Visis in capitulo totius ordinis fratrum poenitentium tertii ordinis s. Francisci reformatorum in Francia consistentibus, statutis, dictorumque fratrum constitutionibus pro reformatione sua editis, stricte diligenterque ab iis observatis, pro dignitatis nostrae officio, ut ea quae pro huius reformationis utilitate hactenus statuta et ordinata sunt, firma et illibata subsistant, nostrae confirmationis robur iis libenter adiicimus adprobamusque; et quia dicti fratres iuxta seraphici patris n. s. Francisci exemplum non solum verbo, sed et exemplo fructus in vinea Domini in dies producunt uberrimos, eumque magis ad Dei cultum vitaeque integritatem incendantur, magnum pietatis specimen toti Galliae regno praelibantes, non sine magno catholicae religionis incremento et animarum salute, ea ratione ducti, pro maiori dictorum fratrum solatio, ipsorum refor-

De Gubernatis ibid.

matinnis constitutiones susmque vivendi normam inxta concilii Tridentini decreta denuo confirmsmus et adprobamus. In euius rei testimonium praesentes literas msnus nostrse snbscriptione ac maioris officii nostri sigillo muniri voluimus.

Datnm Parisiis in conventn b. Msriae de Gratiis die xxiii. Novembris snno Domini mdcix.

Loco ✠ Sigilli.

Archangelus s Messana generalis minister.

Torrubia pag. 110. Ann. min. ad ann. 1587. num 117 ad ann. 1588. n. 23. ad ann. 1599. n. 71.

XXVIII. Petrus Rniz praeses eustodiae s. Helenae in Insula Florida mandatnm sccepit a Bernardo de Salva commissarin generali Indiarum, literis datis ex coenobio s. Francisci Mstriti die xviii. Novembris, ut sequentia fratrum domicilia erecta in provincia s. Crucis Hispaniolae lsudstae eustodiae adscriberet.

CUSTODIAE S. HELENAE IN INSULA FLORIDA CONVENTUS

1. S. Salvatoris de Havana
2. S. Iacobi Cubae
2. S. Francisci Baysm
4. Conceptionis in civitate san Augustin
5. S. Cstharinse de Gnale
6. S. . . . in Insuls san Pedro
7. S. Ioannis Puerto Rico
8. S. Bonaventurae Guadalquiri
9. S. Dominici de Asao
10. S. Antonii de Guadnlce
11. S. Annse de Patann

Conv. Bazae. De Torres pag. 178.

XXIX. Ioannes de Orozco Covarruvias de Leyva episcopus Gaudicensis concessit fratribus observantibus provinciae Granatensis eremitorium s. Antonii sbbatis, positum sb nrbe Bazae ccc. p. Aedem incolnere hoc snno Petrus de s. Francisco sacerdos et Ioannes de s. Francisco laicus, quam snno mcccclxxxix. suis impensis sedificaverant Ferdinandus rex catholicus et Isabella regina ob partam ibi die xiv. Decembris contra saracenos victoriam. Eo loci suspensa fuerunt insignia realia, hoc monumento inciso: *Haec est victoria, quae nincit mundum, fides nostra.* Eremitorinm etiam reale dicebatur. Ecclesiam visitantibus, confessis sc sacra communione refectis anno mdiii. die xxiv. Isnuarii concessit snmmus pontifex Alexander vi. indulgentiam plenariam in die Conceptionis et Assumptionis b. Msriae virginis, in die parasceves Domini, in festo s. Barbarae, s. Antonii sbbatis et in die dedicationis ecclesiae.

Conv. de Lerma. Monum. prov.

Conv. Baradae. Monum. prov.

Conv. Montispessulani. Gallia christiana t. 8. pag 819. Gonzaga in prov. s. Ludovici conv. 1.

Conv Lazaysensis. Monum. prov.

XXX. In provincia Conceptionis recipinnt iidem fratres coenobium s. Francisci prope oppidum de Lerma dioecesis Burgensis, opibus sedificatum pientissimae d. Eleonorae de Roça uxoris d. Lopez Moscoso Osorio, comitis de Altamira. Incolitnr s xxv. sodalibus. S. Michaelis provincia sdmisit conventum Dominae nostrae de la Bion Barada, positum in dioecesi Cauriensi, impensis incolarum aedificatum. Intrarunt hoc anno iidem fratres opera et studio Petri Anneci e Ssbaudia urbis episcopi in conventum Montispessulsnum provinciae s. Ludovici piorum eleemosynis refectum, sb haereticis iam ferme dirutum ab anno mdlxvii. In provincis Gallicisns immaculatae Conceptionis eis obvenit conventus Lezaysensis Annuntiationis Deiparae titulo, erectus opibus d. Lucae du Buin Opulinski supremi regni Polnniae mareschalli. In ecclesia impense colitur imago b. Virginis, die xi. Septembris anno mdcclii. a Benedicto xiv. pontifice ob crebram miraculorum glorism corona redimita.

XXXI. Incolarum facultatibus instructum fuit et coenobium in provincia s. Bernardini prope oppidum Euphaniani dioecesis Aquilanae sub invocatione s. Sebastiani. Piorum sumptibus extitit et pro eis coenobium in oppido Marani dioecesis Neapolitanae in provincia Terrae Laboris sub invocatione s. Mariae Angelorum. Fundum pro eo aedificando fratribus obtulit Scipio Dentice eques Neapolitanus. In provincia Siciliae concessus eisdem fratribus fuit conventus titulo s. Mariae Magdalenae in urbe Panormitana. Anno autem MDCXLIX. migrarunt ad aliam aedem, olim s. Rocho dicatam, nunc ss. Cosmae et Damiano.

Conv. Euphaniani. Monum. prov. Conv. Marani. Monum. prov.

Conv. Panorml. Pirrus tom. 1. pag. 301.

XXXII. Positum fuit hoc anno in urbe Histonii dioecesis Teatin. in provincia s. Angeli monasterium monialium tertii ordinis de poenitentia sub invocatione s. Clarae civium impensis. Tres moniales spectatissimae vitae ad illud moderandum advenere e monasterio Aquilano s. Clarae pauperum nuncupato, nimirum Feliciana Barone ut abbatissa, Archangela Antonelli ut vicaria et Adaria Valverde hispana ut novitiarum magistra. Laudata Feliciana ibidem abbatissae munus obivit, sancteque occubuit die XXI. Octobris anno MDCVII. Morti proxima saepe vocabat s. Claram et seraphicum Parentem hisce dulcissimis verbis: o *splendor pudicitiae*, o *zelator paupertatis*! Valentiae extitit et monasterium s. Clarae capuccinarum sub cura ordinarii loci.

Monast. Histonii. Monum. prov.

Monast. Valentiae. Monum. prov.

XXXIII. Obiit hoc anno, non vero anno sequenti, ut scribit Sbaralea, Hieronymus Menghius minorita de observantia, natus in oppido Viadana sive Vitellianae dioecesis Cremonensis. De eo hoc prostrat monumentum in ecclesia coenobii s. Francisci eiusdem oppidi quod prout est, vulgamus.

Sbaralea lit. H. Flaminius a Parma tom. 2 pag. 575.

D. O. M.

HIC MIRA PERLEGE VIATOR VIRVM DOCTRINA CLARVM VIRTVTIBVS CLARIOREM SVAE TEMPESTATIS EXORCISTAM PRIMARIVM AD CVIVS NOMEN VOCE SCRIPTA EXORCISMA INSTITVTVM AC NVTVM DAEMONIA NON SOLVM FORMIDABANT SED ET AB OBSESSIS FVGIEBANT. CONTEMPLARE INQVAM A. R. P. HIERONYMVM MENGHIVM VITELLIANENSEM QVI IN MINORVM OBSERVANTIVM RELIGIONE PRINCIPALIORIBVS OFFICIIS SIBI ETIAM ALIQVANDO A CLEMENTE VIII. IMPOSITIS MAGNO ZELO SVMMAQVE VIGILANTIA FVNCTVS SVMMOPERE IN BONONIENSI PROVINCIA PER LX. ANNOS FATIGATVS FERE OCTOGENARIVS IN SVAE PATRIAE GREMIO DIEM VLTIMAM CLAVSIT VIII. IVLII MDCIX. IN QVA TERRA IPSA SIVE SVI PATRICII AMISSIONE SIVE LAETITIAE INFERNALIS MILITIAE (CVIVS ERAT ACERRIMVS INSECVTOR) MAGNO EST TERRORE CONVVLSA QVAE TANTI VIRI INSIGNIA NE HOMINVM MEMORIA EXCIDANT F. B. ANGELICVS PANNONIVS A VITELLIANA THEOLOGVS CONCIONATOR GENERALIS AC OLIM MINISTER GENERALIS OMNIBVS ADMIRANDA PROBIS IMITANDA HOC IN PARIETE P. PONI CVRAVIT ANNO DOMINI MDCXXXII. DIE IX. IVLII.

XXXIV. Plura scripsit. Bononiae an. MDLXXVII. typis Ioannis de Rubeis edidit *flagellum daemonum*; aliis etiam in locis opus lucem aspexit. *Fustis daemonum* vulgata fuit Bononiae an. MDLXXXVI. et alibi. *Compendium artis exorcisticae* impressum fuit et in eadem urbe an. MDLXXX. per Ioannem Rubeum et an. MDLXXXII. latino Venetiis. Compendium vulgare de operationibus daemonum et maleficiorum lib. 3. eius est etiam; forte idem est ac *compendium artis exorcisticae*. Italicam reddidit latinam *summam Angeli a Clavasio* an. MDXCIV. Venetiis impressam. Italice vulgavit Bononiae praelo Ioannis de

Rubeis ao. MDXCIV. *hortum deliciosum fratrum minorum omnium fructuum copiosissimum ad scientiom rerum saluti necessariarum et ad implendam professionem propriam.* Iisdem typis anno MDCVII. italice prodiit eius *thesaurus coelestis gloriosae matris Dei Mariae virginis.* Waddingus immerito scribit alium fuisse Hieronymom a Viadana, et alium Hieronymum Menghium, cum uous idemque sit.

Sbaralea lit. M. XXXV. Matriti die XXII. Maii septuagenaria occubuit Maria a s. Paulo, ibidem illustri genere orta, ac eximiis virtutibus ditata. A fundamentis erexit monasteriom discalceatarum immaculatae Conceptionis sub invocatiooe s. Iosephi a Ieso Maria, vulgo de el Cavalero de Garçia in eadem civitate positum. Scripsit *constitutiones* pro bono regimine illius monasterii, quae in eius vita habentor, Matriti edita aono MDCLVIII. typis Andreae Garçiae, studio d. Antonii Contreras.

XXXVI. Meritis ac doctrina clarus Urbioi in patria sua die XIII. Au- *Idem lit. P.* gusti obiit Prosper Urbani minorita conventualis, contra haereticam pravitatem Seois inquisitor, Urbinatum duci charus, *studiorum comes et assertor.* In *Idem lit. I.* eius funere e rostris dixit eius consodalis Ioannes Bramosella a Candelara, oppido provinciae Picenae, qui orationem suam funebrem dicatam Francisco Mariae de Ruere Urbini duci typis Ragusiis edidit an. MDCX. hoc titulo: *orationem in funere p. m. Prosperi Urbani Urbinatis min. conv. habitom Urbini die XIV. Augusti anno MDCIX.* Eius opera sunt *summula resolutionum summae Alexandri Aleosis theologicae* anno MDCIII. Urbini per Ragusios impressa; *oratio de Verbi Dei incarnationis mysterio argumentis ex mathematica focultate petitis demonstrato*; et italice *apologio pro Veneta republica cootro librum Emmanuelis Tordesiliae.*

Idem lit. H. XXXVII. Musicae artis studiosus florebat hoc tempore Hieronymus a Diruta Perusinus item conveotnolis, qui a Claudio Merula praeceptore suo probatum edidit opus italico sermone inscriptum *il transilvano dialogo del vero modo di sooar l'organo* libris 2. dispositum. Venetiis primum an. MDCIX. et MDCXII. pars prima et secuoda typis Iacobi Vincenti edita fuit. *Nonnulla alia musicis notis* composuit, ibique etiam impressa.

XXXVIII. Multi ex minoritis de observaotia viri docti inclarent. Ioannes *Beristain lit. M.* Baptista Mexicanus edidit Mexici typis Ludovici Ocharte in tres tomos *ser-* *Sbaralea lit. C.* *mooes para toda el ono en lengua megicana.* Chrysostomus a Capranica, oppido dioecesis Sutrinae in proviocia Romana scripsit *officium in ss. Nominis tetragrammatoo*, Viennae in Austria vulgatum. Incompertum est an sit opus diversum ab illo *de divinis nominibus* Gregorio XV. ab ipso nuncupa- *Idem lit. F.* tum. Circa haec tempora Franciscus a Monteauro in provincia Principatus scripsit ac delineavit *chroaologicam descriptionem praedictae provinciae.* *Idem lit. I.* Typis Alphonsi Rodriguez Gamarrae Hispali commisit Ioannes de Plata Hispanus *sermones de s. Nicolao Tolentioate. de s. Ioanne ante Portam Latinam, de conversione s. Pauli et de s. Clemente p. et m.* Ibidem etiam vulgavit hoc anno *conciones panegyricas de ss. Ioanne evangelista et* *Idem lit. F.* *Clara virgine.* Franciscus de Pitigianis Aretinus, Ferdinandi I. Hetruriae ducis et Francisci Gonzagae episcopi Mantoani theologus, Perusiae apud Augustos *Wadd. et Sbar. lit. H.* edidit *practicam crimioalem canonicam.* Henricus Paludanus Leodiensis non ex hispano, ut scribit Waddingus, sed ex gallico in idioma latinum vertit tres libros Didaci Vegae minoritae hispani, scilicet *conciones dominicales totius anni* in duos tomos distribotas, et *parodisum gloriae ss.*, qui tomus

tertius *sermones de ss. totius anni* continet. Hi prodierunt hoc anno et anno MDCX. Coloniae, et Venetiis anno MDCXI. Initio tomi tertii legitur epigramma Antonii de Monte Legii minoritae in eius laudem sic

Auspice te, Latium percurrit Vega latina
Indutus palla, qui modo Gallus erat.

In eodem tomo legitur etiam in laudem eiusdem translatoris elegans *carmen lyricum* Ioannis Pereis sodalis sui.

XXXIX. Hieronymus Gabanillas Hispanus Valentiae praelo Ioannis Garriz *Sbaralea lit. H.*
vulgavit *concionem de beatificatione s. Ludovici Bertrandi*. Iacobus Fode- *Idem lit. I.*
reus Maurianensis in Sabaudia provinciae s. Bonaventurae minister, Lugduni
gallice edidit *vitas ss. virginum et martyrum*. Parisiis edidit hoc anno ex
hispano gallice a se factum Ioannes Blancone Tolosanus *mariale p. Philippi* *Idem ibidem.*
Diez eiusdem instituti. Ioannes de la Cave ex provincia Baetica Granatae *Idem ibidem.*
vulgavit *orationem ad fratres suos in capitulo provinciali congregatos.*
Item Ioannes de Ovando Cacerensis ex provincia s. Iacobi typis Ludovici *Idem ibid. et Wadd*
Estupinan Ulysipone edidit *in omnes dominicas post pentecosten sermones.*
Ludovicus de Miranda Vallisoletanus per Arturum Tabernier Salamanticae *Sbaralea lit. L.*
impressit *expositionem regulae fratrum minorum et expositionem regulae*
tertiariorum. Petrus Gonzalez de Mendoza hispanus praelo Ludovici Sanchez *Idem lit. P.*
Matriti publici iuris fecit *indicem omnium librorum qui in bibliotheca coe-*
nobii s. Mariae de Saliceto asservantur. Petrus e Tebar Aldom Limensis *Idem ibid*
ex provincia ss. XII. Apostolorum Valentiae edidit *sermonem de resurrectione.*
Conimbriae apud Didacum Lopez Ioannes ab Incarnatione Lusitanus vulgavit *Idem lit. I.*
in folio *librum primum Scoti in sententias*. Operi praemisit *vitam Scoti*
cum annotationibus. Non fuit minister provinciae Lusitaniae, sed guardianus
tantum. Petrus Baraona Hispanus Matriti typis commisit opus *de hospitio s.* *Idem lit. P.*
Francisci et remuneratione benefactorum. Ioannes de Carthagena edidit hoc *Idem et Wadd. lit. I.*
anno Romae nuncupavitque Paulo V. pontifici typis Alphonsi Ciaconi primum *Ann. min. ad ann. 1607. n. 50.*
tomum operis, cui titulus *homiliae catholicae in universa christianae re-*
ligionis arcana. Agit in hoc primo tomo *de ss. Trinitate et Christo sal-*
vatore. Prodiit et hoc anno Venetiis praelo Patricii Castrucci. Vulgavit et
hoc anno Romae ex typographia camerae apostolicae in quatuor libros divisum
eius *propugnaculum catholicum de iure belli romani pontificis adversus*
ecclesiae iura violantes. Item in eadem urbe apud Alphonsium Ciaconium
publicavit *disputationes in universa christianae religionis arcana.*

XL. Ioannes ab Angelis Hispanus ex provincia s. Iosephi discalceatorum *Sbaralea lit. I.*
typis Ioannis Flamenco Matriti edidit *viridiarium spirituale animae reli-*
giosae ad Philippum III. Hispaniarum regem. Franciscus de Nigro capu- *Idem lit. F.*
cinus patritius Genuensis, patria Savonensis scripsit *sermonem de passione*
Domini nostri Iesu Christi habitum Genuae die XVII. Aprilis anno MDCIX.
Ioannes Baptista a Perusio eiusdem instituti edidit carmine hetrusco *visionem* *Idem lit. I.*
habitam in translatione reliquiarum ss. Herculani martyris, Petri abbatis
et Brevinatis confessoris facta Perusiae die XVII. Maii an. MDCIX. Anno MDCX.
opus impressum iterum fuit in eadem civitate. Lupus Felix de Vega ex tertio *Idem lit. L.*
ordine saecularium summus orator et poeta, Barcinone apud Gabrielem Graells
vulgavit *epopaeiam tragicam seu de destructione Ierusalem*. Anno MDCXIX.
iisdem typis iterum lucem aspexit.

Digitized by Google

Acta ss. ad diem 24. Iulii pag. 883.

XLI. Sanctitate vitae ordinem et illustrabat s. Franciscus Solanus, unde de eo sic prosequitur Tiburtius Navarrus. « Quamvis humani corporis debilitatem et carnis corruptibilis infirmam complexionem inspiceret, incredibiles quasi viri Dei Solani poenitentias reputabit, nisi divinae manus potentiam, in fragilitatis nostrae victoriis elucescentem attendat; servus namque Christi Franciscus adeo durum membris suis bellum indixit, ut nullum unquam corpori levamen ac requiem impendisse videatur; in mortificatione sensuum mirabilis, oculos modestia, linguam silentio, os abstinentia domabat; nunquam otiosa verba protulisse auditus est nec unquam aures ad voces contumeliae, murmuris aut dedecoris aperuisse. Erat in cibo adeo rarus, ut frequenter ad biduum triduumque abstinentiam protraheret, adeoque temperatus, ut vix sustentandae naturae necessaria alimenta comederet: unde infirmitatis continuis debilitatus, medicorum ac praelatorum mandato ad carnis esum adstrictus, medio plerumque gallinae iecore et modico musculi haustu contentus, vitam, affirmantibus medicis, miraculose protractam ducere putabatur ».

XLII. « Addebat tot abstinentiis rigidam exterioris hominis macerationem; sub hispida namque et aspera veste cilicium acuminibus horrendum ferebat ad carnem, quam et flagellis asperrimis usque ad copiosam sanguinis effusionem interdum repetitis, per singulas noctes cruciabat ita, ut ille cui ob sanitatem nulla unquam medicis visa est sanguinei humoris sectione fundendi copia suppetere, eodem ita frequenter violentia flagellorum expressio, parietes tingeret et pavimenta. Irreconciliabilis propriae carnis inimicus, dum in novissima aegritudine dolores acutissimos pateretur, ac omnium fratrum in se commiserationis affectum moveret, ipse semper sibi austerus et immisericors, iucundos ad coelum oculos elevabat, ac voce alacri dicebat: *o me felicem, cui cum flagellando corpori, et traditori isti vincendo domandoque vires desint, se divina manus in mei vindictam armavit* ».

XLIII. Praeter illas inflictae sibimet poenitentiae duras et assiduas mortificationes, incredibilia sunt quae et quanta in tot peregrinationibus pro Dei gloria et proximi bono susceptis vir apostolicus toleraverit incommoda. Sciunt omnes minoriticae professionis fideles alumni, quam gravia iuxta evangelicam normam ambulantes praedicatores mala patiantur, et quam arduo dignus sit praemio, qui sine argento, sine sacculo, sine humano subsidio, pedester et mendicus ad seminandum evangelii verbum procedit. Per has exercitatus est vias verus minorita Franciscus Solanus, e Limana civitate ad Tucumanas provincias pergens per ardentes solaribus radiis horas, per invios montes, per deserta et horrida loca, per profundos et rapidos fluvios, modo siti, modo fame, modo infirmitate, nunc persecutione vexatus transivit, ac tantum sexcentum leucarum decursum, sicut in reditu pedestrem egisse certum est, ita et eundo percurrisse indubium esse debet ».

XLIV. « Aliquando etiam a conventu recollectionis Limanae ad locum qui Callao (Limae portus) dicitur, duabus leucis distantem missus, ut brevitatem itineris carnis afflictione redderet asperiorem, acutis sandalia clavis transfixit, quorum acumina ad pedes vergentia ipsos in viae decursu, crudeli plaga cruentasse credendum est. Cum in conventu Limano ageret, saepe nudis genibus in terram flexis, imbre lacrymarum perfusus claustrum percurrebat. In ultimo agone constitutus, cum totus vehementia febris arderet, nonnisi de confessarii consilio et assensu refrigendae linguae modicam aquam ausus est adhibere. Tandem seraphicum Parentem in corporis austeritate imitatus, cum

Digitized by Google

ipso etiam ingenuam corpori gravioribus poenis ac poenitentiis, quam naturae debilitas paterelur, cruciato deprecatus est veniam. Verum enimvero Deus servi sui holocaustum in suavitatis odorem recepisse monstravit, dum imminente mortis periodo a profunda ecstasi reversus, auditus est in alacritate spiritus dicere: *benedicta sint talia flagella, ieiunia et poenitentiae, quae tam magnum gloriae pondus expectant.* Hinc pie credere licet, viro Dei aeternae felicitatis gradum ad quem mortificationis merito perventurus erat, fuisse revelatum ».

XLV. « In humilitatis abysso, eximiarum quibus splendebat, virtutum basim et fundamentum stabile collocaverat; in hac seipsum visus est excidisse. Haec est enim illa virtus, qua suadente toties sibi collata praelatianis officia depasuit, itaut intra quatuor menses quibus munus guardiani exercuit, illud undecies renuntiasse comparialur, non alio impulsu, nisi quod se ipsis omnino reputaret indignum. Haec est illa quae ipsum ex Hispania non minus quam intensa charitas ad Indias perduxit; ut enim fastum bonae famae quam sibi tot virtutibus, et ut quidam vir religiosus se ab ipsomet confidenter audisse refert, mortui pueri resurrectione comparaverat, declinaret ac tutius lateret, non solum ad alterius hemisphaerii terras, sed in abditissimas eiusdem regiones secessit. Haec est illa, quae etiam dum guardiani fungeretur officio, ipsum nonnunquam in refectorium fune ad collum alligato, et arundine per os transversa ad maiorem sui contemptum et culparum quas commisisse putabat, veniam humiliter postulandam trahebat, et ad pedes religiosorum colcandum prosternebat ».

LXVI. « Altissimae humilitatis gradus attigerat, dum in propria aestimatione nihil erat, nisi peccator ac homo vilis, talemque ab omnibus se reputari summe desiderabat; suam aliorum sententiis facile submittebat, nec quidquam boni de se praesumens, de aliis magnam concipiebat aestimationem, eunctos sibi praeferens, nemini seipsum anteponens. Digna sunt aeternae memoriae verba, quibus bonam quam de fratribus suis conceperat, opinionem et reverentiam paudebat; aiebat quippe: *dum audio fratres invicem colloquentes, credo ipsos de Deo tractare; dum video comedentes, puto ad id necessitate adstrictos; dum demisso immodeste capucio, brachiis incompositis, gressuque praecipiti aut indecenti cerno ambulantes, sic eos ab hominibus contemni et stultos reputari velle existimo, licet revera curam Deo sunt iusti et boni.* Huius taudem humilitatis quasi filiae matris sunt benignitas, familiaritas et modestia, quibus etiam minimis et pauperioribus se libenter admiscebat, neminem contemnens, omnibus amorem ac debitum honorem reddens ».

XLVII. « Fructum legitimum perfectae humilitatis patientiam vir Dei Solanus in omnibus vitae humanae experimentis invictam servavit; cum enim se omni consolatione indignum reputaret, non solum aerumnas, infirmitates et contemptus patienter tolerabat, sed et ipsis gaudebat Deique cantica personabat. In magnis illis peregrinationibus quot pertulerit vitae discrimina, quoties aestu et algore, siti ac fame laboraverit, superius relata probarunt, et in his omnibus nullum egressum est ab eius ore impatientiae verbum. Gravissimis insuper infirmitatibus afflictus atque doloribus continuis oppressus, fortissimo patientiae scuto se munivit; nec unquam aut tristior aut aliis gravior fuit, sed semper hilaris et quietus Deum benedicebat ita, ut omnibus mirae tolerantiae praeberet exempla ».

XLVIII. « Fuit enim vir Dei tentationibus illis probatus, quibus et sincera humilitas veraque patientia deteguntur, amicorum scilicet fratrum acri

reprehensiono non semel agitatus. Ad eum aliquando accessit quidam gravis religiosus et nihil tale engitantem coepit acriter increpare, quod homo superbus et hypocrito esset, quod omnes vana sanctitatis apparentia deciperet, addens practerca detegendas aliquando ipsins fraudes, ne plebem semper illius simnlatiouibus foret decipiendam. Ad haec vir humilis et patiens, quod talem invenerit reprehensorem, qualem olim seraphicus patriarcha sibi formabat, exhilaratus iubiloquo perfusus, ad pedes arguentis procidit, gratias egit, se vere cognitum confessus, rogavit, ut sibi ignosceret ac pro salute animae suae divinae misericordiae preces offerret. Recessit alter compunctus, et in bona quam de viro Dei conceperat, opinione confirmatus. Ingredientem ad se aliquando virum sanctum infirmus quidam religiosus gravis et eruditus, coepit hoc obiurgare sermone: quid ad me hypocrita venis, num ut me sicut alios decipias? vade retro nec unquam te meo conspectui sistas. Haud fuit vir Dei repentino casu turbatus, sed quia profundas in ipsius anima radices egerant humilitas et patientia, gaudio repletus geuisquo risu ot laetitia perfusis, in cunctis illum vera locutum alte respondit ».

XLIX. « Cum ab Hispania ad Indias navigaret, asperam a religioso sibi meritis et gradu non pari, mira toleravit patientia reprehensionem; quadam enim die profundae orationi intentum ille dure rudique accentu redarguit, quod, ut privatae consolationi vacaret, proximi bonum desereret, Nigros (*idest mancipia*) christianam non doceret doctrinam. Hanc vir Dei sanctus in silentio et mentis quiete excipiens increpationem, christianae fidei documentis instruxit illico Nigros barbaros simul navigantes; postmodum ore ad laudes divinas soluto, totum in devotis canticis Deique et Virginis laudibus noctem transegit. Miratus hanc mansuetudinem reprehensor ac confusus, die sequenti veniam deprecaturus ad viri sancti pedes provolutus est; quem illo amore singulari amplectens, qualem specialem benefactorem excepit. His et aliis probationibus palmam invictae patientiae reportavit ».

In vitae synopsi pag. 8. n. 2.

L. Arcam corporis b. Paulae Costa Gombara comitissae tertiariae, crystallis olim munitam, alia nobiliori hoc anno operiebat comes Hieronymus Feriolus Costa; comitissa vero Veronica Costa Scarampa ferreas crates eidem addebat, totumque Beatae sacellum suis impensis instaurabat. Ad facti memoriam laudatus comes monumentum in arca posuit aureis literis ita signatum: HIC HIERONYMVS FERIOLVS COSTA DENVO POSVIT ANNO MDCIX. Cum autem pauca admodum de actis b. Paulae notata sint a praedecessoribus nostris, ideo iuvat hic ea subnectere ex processu s. r. congregationi exhibito.

Ann. min. ad ann. 1546. n. 158.

In summario addit. pag. 1. n. 1. et seq.

LI. Brixiae nobilibus parentibus, Ioanno Paulo Gambara et Catharina Bevilacqua, die III. Martii anno MCDLXIII. lucem aspexit Beata. Dei benedictionibus praeventa, tenella in aetate diem veneris nativitatis suae passionis dilecti sui Iesu recordata, corpus ieiuniis aliisque macerationibus edomabat. Septennis Deiparae virginis parvum officium quotidie recitabat, et solitaria domi loca petens, ipsam b. Virginem lacrymis ac precibus exorabat, ut eam velut in natam sibi dignaretur adsciscere. Seraphici interim s. Francisci Assisiensis patrocinio se committens, eum velut sibi amantissimum parentem venerabatur obsequio summo. Puerili in aetate moderatores suae conscientiae habere voluit sodales franciscanos de observantia, a quibus in pietate instructa, novas quotidie ascensiones in corde suo ita disponebat, ut ad consummatum evangelicae perfectionis apicem iam pervenisse videretur. Mira praesertim in ea elucebat divina charitas cum sacro Christi corpore reficeretur; tunc enim velut extra se facta, ignita erga Deum amoris verba proferebat.

LII. Parentum voluntati obsequens, aetatis suae anno xvi. Ludovico Costa Bennarum aliorumque feudorum comiti invita nupsit. In confessarium mox sibi delegit eximium tum doctrinae tum vitae sanctitate Angelum a Clavasio, in Beatorum album cooptatum anno mdcclııı. a Benedicto xiv. summo pontifice, cuius hortatu tertio sororum saecularium ordini adscripta, omnium virtutum semitam alacriter arripuit, opes, honores caeterasque mundi vanitates abiecit, et se totam misericordiae operibus exercendis convertit. Modo enim quotidianis eleemosynis indigentium inopiam sublevabat modo ori suo cibaria subtrahebat egenis eroganda, modo in rigentis hyemis algore, ut pauperculam nudis pedibus incedentem operiret, propriis exuta est calceamentis.

LIII. Haec agendi ratio gravis erat nimis coniugi luxibus et lascivis dedito, qui in eius ludibrium adulteras non ad cubile solum, verum etiam ad mensam una cum uxore adhibebat, ac delicatiora interim semper fercula eisdem ministrabat. In hac coniugalis thalami violatione, non suam Paula sed scortorum vicem dolebat, et in hoc sui despectu non propria, sed divinae maiestatis offensa maxime angebatur. Cumque ob turpe lucrum et alimentorum indigentiam pellices peccare arbitraretur, illas non minis aut conviciis, sed exuberanti necessariorum largitione o flagitioso scelere avertere conabatur. Aliquando a coniuge quod integrum vini optimi dolium pauperibus erogasset, exprobrata, illud idem postea miraculose impletum invenit. Cum mense Ianuario panem ad pauperes asportaret, obvium habuit virum suum qui eidem iussit, ut quid in gremio celatum haberet, illico proderet. At illa flores se habere respondit, et maritus in invernantes rosas panem commutatum reperit.

LIV. Eo tempore extra urbem Bennarum pro fratribus minoribus de observantia coenobii fundamento iaciebantur. Cum autem ad illud perficiendum piorum eleemosynae satis non essent, Paulae opibus, opere et suasionibus ita rem promovebat, ut brevi absolveretur. Verae patientiae miraculum in tolerandis infirmitatibus duodeviginti annorum spatio se praebuit; in iis enim incessanter Dei laudes eructabat, languoris vim cum animi aequanimitate sustinens. Eius tandem spiritus corporeis vinculis obsolutus, ad superos evolavit die xxiv. Ianuarii anni mdv., moerentibus quidem oppidanis et dolentibus suum interiisse subsidium, sed angelicis turmis novi sideris accessione laetantibus. Sequenti die comitantibus saeculari ac regulari clero, maximoque christifidelium numero, Paulae corpus, ut ipsa mandaverat, illatum fuit in ecclesiam coenobii minoritarum de observantia extra moenia Bennarum positam. Eius funus cohonestarunt utriusque sexus incolae, saepius ad feretrum inclamantes: *sancta Paula ora pro nobis*. De ea tunc e rostris dixit p. Balthassar a Castroveteri minorita de observantia, quem aliquando habuit moderatorem suae conscientiae, illud ex parabolis Salomonis cap. xxxi. usurpans: *gustavit et vidit, quia bona est negotiatio eius; non extinguetur in nocte lucerna eius.*

LV. Ipsius Beatae corpus primo in gentilitio comitum Costa sacello fuit honorifice conditum separato in loco; sed multis patratis miraculis, splendore etiam super tumulum divinitus apparente, non multo post e sepulcro erutum, in altare laudati sacelli compositum fuit, ut publicae christifidelium venerationi pateret. Anno mdxv. exorto inter Carolum v. imperatorem et Franciscum i. Galliae regem bello, Ioannes Ludovicus Costa, praevidens coenobii vastationem, sacrum Paulae corpus et imagines eius intra Bennarum urbem solicite intulit. Cum autem anno mdxxxvi. Bennenses cives novum pro eisdem soda-

libus s. Francisci coenobium intra eorum moenia erexissent, ipsius Beatae corpus sepositum fuit honorifico in sepulcro a terra elevato in sacello ss. Annuntiationis, ubi integrum adhuc et imputre conspicitur, singulari christifidelium frequentia colitur ac miraculorum gloria illustratur.

LVI. Insigniora b. Paulae intercessione prodigia notamus. Beatae patrocinio servata est anno MDCXXXI. Bennarum civitas a gravi lue, quae finitimas regiones vastaverat. Hinc publico urbis consilio statutum fuit perpetuum legatum quindecim libellarum, ut ante illius corpus die noctuque lampas colluceret. Simili Beatae patrocinio libera evasit a lue epidemica anno MDCCXXIV. eadem civitas, institutis ad eius honorem novendialibus precibus quibus quotidie praesto fuerunt canonici ecclesiae collegiatae, qui et ceram tulerunt et missam solemnem ad eius aram celebrarunt. Ab ingruento etiam pestilentia servata fuit eadem civitas anno MDCCLIX. indictis iam publico mandato novendialibus supplicationibus.

LVII. Anno MDCCLXXV. cum arva diuturna siccitate penitus arescerent, de mense Aprili populus Lequiensis sub vexillo sodalitatis collectus Bennas confugit, et ad altare Beatae preces fudit pro pluvia obtinenda. Pluvia subito agros rigavit et dona pro consequuto beneficio obtulit.

LVIII. Publico Bennensis magistratus edicto solemnes preces per novem dies anno MDCCLXXXII. ad Beatae sacellum institutae sunt, ut terrae fructus ab aeris tempestatibus servarentur, et eorumdem votis cessit Beata.

LIX. Anno MDCCXCV. quaedam matrona aureum annulum in cultus significationem, et Franciscus Martinengo argenteum cor in acceptae valetudinis protestationem ad Beatae corpus suspenderunt.

LX. Confectis subinde de more actibus super Beatae cultu immemorabili eidem praestito et s. r. congregationi exhibitis, eadem s. congregatio sequens vulgavit

DECRETUM

Confirmationis cultus ab immemorabili praestiti
Ven. Servae Dei

PAULAE GAMBARA COMITISSAE COSTA

Alumnae tertii ordinis minorum s. Francisci
Beatae nuncupatae.

Post medium saeculi XV. Brixiae non obscurae notae civitatis in Gallia Transpadana ex nobilissimo genere Gambara progenita est Paula, quae pie et ingenue a parentibus ad bonos mores composita, suo tempore comiti Ludovico Costa nuptui tradita est, et Bennas in Subalpinis magna cum ambitione deducta. Amabili indole a natura ditata praestantiorem hanc reddidit omnium cumulo virtutum, quas ut rectius excoleret, beatum Angelum a Clavasio ex ordine minorum a confessionibus sibi adlegit, illiusque opportuno consilio tertii minorum ordinis censui adscripta, divitias, honores caeterasque mundi vanitates abiecit, seque totam exercendis misericordiae operibus convertit: quotidianis siquidem eleemosynis indigentium opitulabatur miseriis, cibos ori suo subductos famelicis erogabat, et aliquando rigentis hyemis algore pau-

perem nudipem propriis calceamentis operuit. Seraphici coenobii fundamenta extra civitatis ambitum Benuenses quum posuissent, neque fidelium largitiones operi perficiendo pares essent, ipsa suis opibus, opera, hortationibus, ut brevi absolveretur, effecit. Patientiae vero atque humilitatis copiam studiose sibi Paula et incrementa posuit, quum gravis ex hoc regularis vitae genere coniugi evasisset, isque mulieres alias adamaret etiam ob eius oculos: illa enim harum potius vicem quam suam miscrata, divinisque offensis summopere anxia, munifica liberalitate eas avertere, ac benignitate pari a flagitioso scelere virum deterrere conabatur. Mox stomachi languore correpta, ad annos duodeviginti Deo benedicens aequo animo toleravit, donec spiritus eius corporeis solutus vinculis evolavit ad coelum anno MDV. pauperibus quidem suum periisse subsidium dolentibus, universis autem Paulam beatam inclamantibus. Corpus eius flexibile adhuc et palpabile gentilitio in sacello domus Costa praedicti coenobii extra muros primum, deinde in ecclesia novi coenobii Bennensis post annos triginta honorificentius apposita in aedicula ad latus altaris collocatum, et in sepulcro a terra elevato et crystallis munito, ut conspici valeret, summa religione colitur. Imagines eius cum radiis in stolu matronae et tertiariae depictae fuere, indulgentia in eius festo impetrata, a scriptoribus Beatae titulo cohonestata, nomen in martyrologio ordinis accensitum, patrocinium eius tempore contagiosae luis imploratum, novendiales preces saepius institutae, et tumuli visitationes per ordinarios peractae. Haec et similia publici et ecclesiastici cultus erga beatam Paulam ab immemorabili praestiti indicia et significationes animo reputans *r. p. fr. Aloisius a Luca sacerdos professus ordinis minorum s. Francisci de observantia* causaeque postulator ab s. r. congregatione humillime petiit, ut cultus hic formiter de more probaretur, quae ordinariis in comitiis ad vaticanas aedes subscripta die coadunata, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Vincentii Macchi episcopi Portuensis, s. Rufinae et Centumcellarum ponentis, omnibus accurate riteque libratis, audito *r. d. Petro advocato Minetti s. congregationis assessore*, et vices *r. p. d. Andreae Mariae Frattini sanctae fidei promotoris agente*, visisque responsionibus ad animadversiones per defensores datis, unanimi sensu rescribendum censuit: — *Constare de casu excepto a decretis san. mem. Urbani papae VIII.* —

Die XIV. Iunii MDCCCXLV.

Super quibus omnibus facta postmodum ss. domino nostro Gregorio papae XVI. per me subscriptum secretarium fideli relatione, sanctitas sua rescriptum s. congregationis adprobavit, et cultum beatae Paulae Gambara comitissae Costa ab immemorabili praestitum sua auctoritate confirmavit.

Die XIV. Augusti MDCCCXLV.

F. L. card. Micara ep. Ost. et Velit. s. r. c. praefectus.
Ioseph Gaspar Fatati s. r. c. secretarius.

LXI. Hoc anno, iubente Leonardo a Iesu custodiae s. Antonii Brasiliae, guardianus conventus s. Francisci urbis de Victoria in praefectura Spiritus sancti eiusdem regionis accessit ad eremitorum Dominae nostrae de Rupe Penbas in celsi montis vertice positam, perquisiturus corpus quod latebat, fratris Petri a Palatis, ubi dormitionis requiem acceperat magna cum sanctitatis laude. Is natalem habuit in oppido de Rio Seco in regno Castellae, et ex *Monum. prov. Agiolog. Lusitan. ad diem 2. Maii.*

Hispania in Lusitaniam adveniens, inter fratres discalceatos provinciae Arrabidorum cooptari meruit. Licet laicus, maiorum suorum imperio in Brasiliensem vineam Domini sibi commissam anno MDLXV. advenit. Solitudinis amore incensus vitam cum Christo absconditam primum duxit in monte qui portui maritimo impendit, densis arboribus consito. In eius summitate lapidem pergrandem inveniens, in eo oratorium pro fundendis precibus sibi, magno insumpto labore, aptare coepit. Nam cum omnia ad operis molitionem deessent, ea tamen ex remotis locis suis humeris laetus adsportabat. Miram viri Dei patientiam ac pietatem tacitus considerabant incolae, eiusque virtutibus allecti, aediculam illam Beatae virgini dicatam frequentare coeperunt, vulgarique sermone nuncupari eremitorium Dominae nostrae do Rupe Penhas. Tunc vir sanctus cunctos qui eo affluebant, coelesti eloquio erudiebat ac ad sectandam pietatem excitabat.

LXII. Ab eo tempore ibidem Petrus anachoriticam vitam arreptus, dies suos ducebat in summa vitae asperitate; pane enim et aqua semel in die reficiebatur; cilicio revinctus erat asperrimo; breve somnum super tabulam, supposito ad caput lapide, carpebat, nudatisque pedibus semper incedebat. Nonnisi audiendi sacrum festivis diebus, expiando crimina, et ad petendam eleemosynam descendebat de monte; revertebatur tamen vel aqua vel lapidibus maxime onustus, ut alterum ad s. Francisci fundatoris honorem oratorium eo loci aedificaret.

LXIII. Transitus sui longe antea praescius, ais qui ad eum accedebant vel capiendi consilii, vel suis orationibus se commendandi gratia, sibi cito faciendum esse longum iter dicebat. Id tamen mox futurum significavit parvo othiopi ei in socium dato a nobili et pio urbis viro, quem exoravit, ut candelam accensam ad se deferret. Vix illam accepit, ante aram seraphici patris procubuit, mandans interim ethiopi, ut iret festinus vocatum dominum suum ad eius corpus sepeliendum. Accurrit iste protinus cum multis optimatibus aliisque christifidelibus ad Deiparae aediculam, et cunctis mirantibus virum Dei iam defunctum, flexis ante altare genibus, manibus in coelum elatis faciequo viventi simile invenerunt.

LXIV. Licet eius exuviae in sacra Deiparae aedicula sepositae fuissent, spectante populo, temporis tamen decursu loci memoria periit omnino. Cum autem anno MDLXXXIV. advenissent franciscani fratres in Brasiliam, incolae urbis de Victoria multa de viro Dei magnalia ois in laudata aedicula cum ingenti sanctitatis fama defuncto narraverunt. Exarsit ex eo tempore desiderium perquirendi corpus eius; at frustra: attamen a sui morte post annos XXXIV. ingenti per triduum labore, guardianus coenobii eius corpus cum habitu et rosario precatorio in porticu laudati sacelli reperit, sequenti epithaphio in lapide sepulcrali inciso. *Sepultura del s. fr. Pedro Palacios natural de Rio-Seco en Castilla fundador de esta hermita que asi en vida como despues de muerte florecio en milagros. Fue en la E. de MDLXXV.*

Annal. min. ad ann. 1595. n. 52

LXV. Vulgata corporis viri Dei inventione, utriusque sexus incolae turmatim eo advenere sacra illa pignora veneraturi. Cum autem ob aediculae angustiam alio ea transferri oporteret, adstantibus dixit guardianus sibi placere, ut ad ecclesiam s. Francisci traducerentur, ac apto sarcophago occluderentur. Refragabantur plurimi; at pacatis incolarum animis, corpus e loco amotum, cum hymnis et canticis ab optimatibus et a clero solemni indicta supplicatione delatum fuit ad fratrum ecclesiam, et honorifico in sepulcro collocatum. In eius

Digitized by Google

translatione non defuerunt miracula. Fratrem in valetudinario coenobii valida febri afflictum, osculo corporis viri Dei sanatum fuisse tradunt. Multi et alii infirmi tactu earumdem reliquiarum sanitatem recuperarunt, de quibus sicut et de eius virtutibus confectus fuit processus ab ordinario loci.

LXVI. Ad metropolitanam ecclesiam Thuamensem in Hibernia promotus est hoc anno die xxx. Martii Florentius Conrius, de quo ad annum MDCXVIII., iam minister provinciae minorum de observantia in Hibernia, ob mortem Iacobi Nelil; die xxv. Maii ad ecclesias Congi et Angolae in Indiis occiduis Emmanuel Baptista Lusitanus eiusdem instituti; ad ecclesiam de Zebu in Insulis Philippinis Petrus Mathias ex Sbaralea; die x. Iunii Bonaventura Secuslus patriarcha Constantinopolitanus eiusdem ordinis ab ecclesia Messanen. transfertur ad ecclesiam Catanen. in Sicilia; ad ecclesiam Pisaurensem die xv. Iunii promotus est Bartholomaeus de Gregoriis item minorita de observantia; Ferdinandus de Nava minister provinciae minorum de observantia s. Iosephi de Iucatan sub die xxiv. regias Philippi III. epistolas accepit, ut nomine Gonzalez de Salazar ordinis fratrum praedicatorum electi episcopi urbis Meridae solemniter possessionem capiat sui episcopatus. Rem procuratus est usque ad sui adventum, qui fuit anno insequenti. Laurentius Mangioius episcopus Minerbinus: *Apostolatus officium* vi. calendas Februarii translatus est ad archiepiscopatum Lancianensem in regno Neapolitano. Ex minoritis conventualibus inquisitoris generalis contra haereticam pravitatem munus obtinuit pro urbe Pisarum Archangelus Mandainus a Placentia.

Lopez in prov. de Iucatan pag. 464.

Ughel. tom. 6. pag. 793.

LXVII. Aliqua statuit summus pontifex. Iubet, ne fratres ad Indiarum regiones missi, ad loca ipsis non destinata, declinent: *Accepimus* die VIII. Iulii; ne ad alios usus impendantur eleemosynae oblatae pro locis Terrae Sanctae: *Coelestis regis* die XIII. Novembris; mandat episcopo Vallisoletano, ut supprimat institutum s. Clarae in monasterio titulo Portae Coeli eiusdem urbis, et ibidem immittat moniales reformatas ordinis s. Augustini, quia paucae erant clarissae: *Alias* die VII. Septembris; ne paramenta sacra, reliquiae aliaque ecclesiae coenobii s. Didaci et s. Pauli ordinis praedicatorum Vallisoleti aliis mutuentur: *Ex debito* die XXIII. Maii; similia iubet circa supellectilia pertinentia ad valetudinarium coenobii conventualium Bononiae: *Cum sicut* die VII. Septembris; aliqua statuit pro infirmaria conventus s. Mariae de Aracoeli de Urbe: *Decet* die XXII. Septembris; adprobat ordinis privilegia a suis praedecessoribus concessa: *Iniuncti nobis* die I. Decembris.

LXVIII. Indulget summus pontifex, ut in provincia s. Mariae Hungariae ordinis reformatio inducatur: *Pastoralis* die XI. Decembris; ut in monasterio clarissarum Cuscan. in Indiis possint haberi Indae et Nigrae christianae inservientes loco virginum hispanarum: *Expositum* die IV. Iunii; ut christifideles Indiarum occidentalium noviter ad fidem conversi, licet eucharistiae sacramentum non suscipiant, sacras indulgentias consequantur: *Exponi nobis* die XXVIII. Aprilis; ut Ludovicus Hieronymus franciscanus de observantia possit extrahere a caemeteriis Urbis ss. reliquias, secumque in Hispaniam ac Indiam eas transferre; *Piis supplicationibus* die IX. Februarii; similia indulsit Ioanni Baptistae Provenzano fratri de tertio ordine: *Piis ac devotis* die VII. Septembris; ut moniales clarissae Varsaviae, ecclesia et choro destitutae, instructo arcu clausuraque munito, e monasterio ad ecclesiam proximam fratrum de observantia transire possint pro audiendo sacro sacramentisque suscipiendis: *Expositum*

nobis die xvi. Iulii; ut Ioannes Ramirez ex provincia Granaten. in quodcumque coenobium sibi benevisum transferat libros sua industria comparatos pro erigenda bibliotheca: *Religionis zelus* die xxvii. Martii; concedit Vincentio Paci conventuali Constantinopolim eunti indulgentiam plenariam pro diebus nativitatis, resurrectionis ac s. Francisci visitantibus ecclesiam s. Francisci Perae eiusdem urbis: *Ut animae* die xxiii. Iunii; ut moniales conceptionistae monasterii Iesu Mariae Mexici recitent sub ritu duplici officium s. Geltrudis virginis: *Domini nostri* die xi. Augusti; erigit confraternitatem conceptionis in ecclesia minorum de observantia oppidi de Alcabril dioecesis Toletanae: *Cum sicut* die xiii. Decembris.

LXIX. Ponimus vivae vocis oraculum summi pontificis factum Pompeio Arigonio s. r. ecclesiae cardinali ordinisque patrono, circa recitationem officii immaculatae virginis Mariae conceptionis.

Pompeius miseratione divina tituli s. Albinae s. r. e. presbyter cardinalis Arigonius nuncupatus, archiepiscopus Beneventanus totius ordinis s. Francisci protector, gubernator et corrector.

Matritensis tom. 1. pag. 482.

Universis et singulis praesentibus literis inspecturis, lecturis pariter et audituris fidem facimus et attestamur, qualiter die xiv. mensis Ianuarii anno ab urbe condito MDCIX. ss. dominus et in Christo pater dominus noster Paulus divina providentia papa v. suae vocis oraculo nobis facto, ad instantiam et supplicationem r. p. fr. Ludovici a s. Ioanne Evangelista discalceati eiusdem ordinis, in romana curia commissarii generalis ultramontanae familiae, propter eximiam devotionem quam totus ordo habet in Deiparae virginis immaculatam conceptionem, concessit, quod omnes fratres totius ordinis supradicti, omnibus diebus sabati, festo novem lectionum non impeditis, possint recitare officium immaculatae conceptionis, quod incipit sicut lilium etc. *sub ritu semiduplici. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes manu propria subscriptas, per secretarium nostrum ac sigillo quo utimur in similibus iussimus communiri.*

Datum Romae in palatio nostrae solitae residentiae sub annis reparatae salutis MDCIX. die XXI. Ianuarii pontificatus eiusdem ss. d. n. anno IV.

Loco ✠ *Sigilli.*

Cardinalis Arigonius protector.

LXX. Concedit summus pontifex altare privilegiatum omnium Sanctorum in ecclesia s. Francisci conventualium Monopolitan. ad tres annos: *Omnium saluti* die xviii. Decembris; altare s. Antonii de Padua in ecclesia conventualium Terrae Lendinaiae Adrien. dioecesis: *Omnium saluti* die xiv. Decembris; altare s. Margaritae in ecclesia conventualium s. Francisci Adrien. *Omnium saluti* die xxiii. Decembris; altare s. Annae in ecclesia s. Francisci observantium civitatis s. Iacobi de Cile in Indiis: *Omnium saluti* die x. No-

vembris; altare conceptionis in ecclesia s. Thomae observantium Taurini: *Omnium saluti* die III. Novembris; altare ss. XII. Apostolorum in ecclesia s. Francisci conventualium Casalismaioris Cremonen. dioecesis ad triennium: *Omnium saluti* die IX. Octobris; altare in ecclesia conventualium s. Marini Feretran. dioecesis: *Omnium saluti* die XVI. Septembris; altare s. Antonii Patavini in ecclesia observantium s. Francisci de Chiapas in Indiis: *Omnium saluti* die XII. Septembris; altare s. Annae in ecclesia s. Clarae monialium oppidi Medinae de Pomar Burgen. dioecesis: *Omnium saluti* die XVII. Augusti; altare nativitatis Domini in ecclesia observantium s. Angeli in Pantanelli in territorio de Baschis Tudertinae dioecesis ad triennium: *Omnium saluti* die XI. Iulii; altare s. Crucis in ecclesia conventualium oppidi Ciamberii ad triennium: *Omnium saluti* die XXXI. Iulii; altare ss. crucifixi in ecclesia s. Francisci observantium de Merida nullius dioecesis in provincia Compostellae ad septennium: *Omnium saluti* die XVII. Iulii; altare b. Mariae virginis in ecclesia observantium s. Francisci loci de Dogallia Rapoten. dioecesis ad annos XXX. *Omnium saluti* die XXVII. Aprilis; altare s. Annae in ecclesia monialium s. Clarae de Ausonne Bisuntin. dioecesis ad septennium: *Omnium saluti* die III. Aprilis; altare maius ecclesiae s. Francisci observantium de Charuville Roman. dioecesis: *Omnium saluti* die X. Ianuarii; altare s. sepulcri in ecclesia s. Francisci observantium Nivernen. ad septennium: *Omnium saluti* die XXII. Ianuarii; transfert altare privilegiatum s. Annae concessum hoc anno sub die XVII. Augusti ad altare maius in ecclesia monasterii oppidi Medinae de Pomar Borgen. dioecesis: *Volentes* die XXI. Octobris.

LXXI. Accedunt diplomata ex indiculo bullarii Petri de Alva. Pro archiconfraternitate chordigerorum s. Francisci Assisien. *Pias Christi* die III. Octobris; frater Alphonsus Ciaconius instituitur pater provinciae Granaten. *Religionis zelus* die I. Decembris; pro monialibus s. Michaeletti Lucan. *Ex iniuncto* IX. calendas Ianuarii; circa monasterium monialium oppidi del Final Mutinen. *Ex iniuncto* XVI. calendas Decembris; de clarissis monasterii s. Leonardi Iannen. *Ex iniuncto* idibus Augusti; pro conventu monialium capucinarum Immolaeen. *Ex iniuncto* pridie idus Septembris; cappellanis sub invocatione conceptionis in ecclesia Pistinen. *Vitae ac morum* calendis Decembris; pro monialibus discalceatis s. Bernardini de Villarobledo Toletan. *Inter universa* XVI. calendas Ianuarii; pro monialibus monasterii de Basico Messanen. *Ex iniuncto* X. calendas Februarii; beneficium in monasterio de Petrisalvis oppidi Orcan. Urgellen. *Literarum scientia* nonis Septembris; circa fundationem conventus fratrum tertii ordinis de poenitentia provinciae Mediolanen. *Ex debito* XVI. calendas Augusti; indulgentia pro capitulo generali eorumdem fratrum in ecclesia ss. Cosmae et Damiani de Urbe: *Cum sicut* die XII. Decembris; pro archiconfraternitate confalonis de Urbe circa missas: *Alias felicis* die XI. Decembris; cappellania conceptionis in ecclesia s. Pauli Verolan. *Vitae ac morum* III. calendas Maii; decretum de non equitando et servanda vita communi: *Nos Pompeius* die IV. Octobris.

LXXII. Penes coenobium Carcerum s. Francisci secundo ab Assisio milliari, in monte Subasio positus fuit pons lapideus ad commoditatem ab uno ad alterum montem transeuntium, impensis et cura Alexandri cardinalis Peretti. Facti memoria obvist lapidi incisa.

ALEXANDER S. R. R. CARDINALIS MONTALTVS
VICECANCELLARIVS
SIXTI V. P. M. MAGNVS NEPOS
INGENTEM HANC
REPLEVIT FOVEAM
ARCVS EREXIT
AD AVGENDAM PEREGRINORVM
QVOTIDIE HVC VNDIQVE CONFLVENTIVM PIETATEM
ADITVM AMPLIOREM FECIT
RVPEM QVAE
LAPIDEO SERAPHICI P. D. FRANCISCI
STRATO IMMINET IAM IAM
RVENTEM MVLTO RETRAXIT AERE
PERPETVOQVE FIRMAVIT
A. D. CIↃ. IↃ. C. IX.

LXXIII. Sacrarium maioris ecclesiae s. Mariae Novae Neapolis excepit ossa eximii principis Caroli Emmanuelis Lotharingii, altius elevata in arca, bysso auroque contexta.

D. O. M.

CAROLO EMMANVELI MAGNI ILLIVS CAROLI MENAEI DVCIS FILIO LOTHARINGIO SOMMARIVAE COMITI REGIO AVSTRASIO ET SABAVDIAE PRINCIPVM GENERE CLARO PERAGRATA ITALIA ET AFRICAE LITORIBVS AD SVORVM GLORIAM EMVLANDAM NEAPOLI IMMATVRE DEFVNCTO MAXIMI PHILIPPI REGIS MVNIFICENTIA DECORATO ET IOAN ALPHONSI PIMETELLI COMITIS REONIQVE VICARII PIENTISSIMI PRINCIPIS HOSPITALI HVMANITATE HONESTATO PRINCEPS PARENTES LICET IN EXTERNO SOLO INTER AVITA TAMEN SICVLORVM REGVM MONVMENTA MOESTISSIMI POSVERE.

OBIIT ANNO CIↃ. IↃ. C. IX.

LXXIV. Prope sacellum s. Sepulchri iu pavimento ecclesiae s. Petri in Monte Aureo de Urhe hoc iacet epithaphium.

D. O. M.

HVGONIS MAGNI ONELLII PRINCIPIS COMITIS TYRONIAE OSSA.

Alterum filii sui Hugonis prostrat e regione arae maioris eiusdem ecclesiae.

D. O. M.

HVGONI BARONI DE DONGANAN HVGONIS MAGNI ONELLII PRINCIPIS ET COMITIS TYRONIAE PRIMOGENITO PATREM ET RODERICVM COMITEM TIRIONELLIAE AVVNCVLVM PRO FIDE CATHOLICA QVAM MVLTOS ANNOS CONTRA HAERETICOS IN HIBERNIA FORTITER DEFENDERANT RELICTIS STATIBVS SVIS SPONTE EXVLANTES AD COMMVNEM CATHOLICORVM ASYLVM VRBEM ROMAM PRO SVA SINGVLARI IN DEVM ET PARENTES PIETATE SECVTO CVIVS IMMATVRA MORS SPEM DE EO RESTAVRANDAE ALIQVANDO IN ILLIS PARTIBVS CATHOLICAE RELIGIONIS OB EIVS INSIGNES ANIMI ET CORPORIS DOTES AB OMNIBVS CONCEPTAM ABSTVLIT AC DICTO RODERICO AVVNCVLO FATO SIMILI ABSVMPTO CONIVNXIT. OCCIDIT TAM SVIS QVAM TOTI CVRIAE FLEBILIS IX. KAL. OCT. M. D. C. IX. AETATIS SVAE XXIV.

LXXV. In conventu s. Cathaldi Coralti in proviucia s. Nicolai obiit hoc anno Gratianus de Altilia anuo MDXCIX. Gravinae renunciatus illius provinciae minister. Munus commissarii generalis cismontanae familiae obtinuit anno MDCII. ab mortem Ioannis Francisci Maculini, quod sustinuit usque ad congregationem generalem Romae habitam anno Insequenti, ubi inter definitores generales adscriptus fuit. In eius lapidea effigie haec leguntur. *De Fanno pag. 92.*

REVERENDISSIMO P. F. GRATIANO ALTILIENSI MINORITAE.

Exigno in tumulo credas quis maximae nostri
Pars iacet, et nostrae religionis honos,
Utque vices potuit generalis ferre ministri
Iura dare emeruit tempus in omne suis,
Curatum rapuit, genuitque Altilia nomen
Claudere non possunt carmina fama capit.

FRATER BONAVENTVRA DE BRVNDVSIO MINISTER PROVINCIALIS MOERENS POSVIT
ANNO MDCIX. IDIB. AVGVSTI.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

S. Francisci Solani obitus et acta pro eius beatificatione ac canonizatione narrantur. Alii viri Dei et virgines coelestia petunt. Viri docti occumbunt et emicant. Erigitur custodia del Dorado et aedes fundantur. Aliqua statuuntur pro fratribus tertiariis gallicanae congregationis. Ecclesiae consecrantur et episcopi instituuntur. Summi pontificis iussa et indulta notantur.

VErbis Tiburtii Navarri finem imponimus vitae s. Francisci Solani, qui hoc anno ingentibus cumulatus virtutibus ad coelestem patriam convolavit. « Etsi tota viri Dei Francisci vita crux fuerit et martyrium, tamen duobus antequam e vivis excederet, mensibus, ut christianae patientiae pretio divinas acquireret promissiones, graviores sensit dolores, quibus adiuncta vehemens febris, ipsum lecto decumbere omnino coegit. Veniant hoc omnes christiani et viri tanti exemplo viam bonae mortis addiscant: lectulo namque decumbens, etsi viribus corporis paulatim destitueretur, animae virtutes intendit, factus in infirmitate potentior. Erat in conspectu eius sacra crucifixi effigies, quem interdum alloquens gratias agebat, quod ea quae propria manu corpori infligere non poterat, ille inferret flagella et de hoste ipsius scilicet corpore, optatam reposceret vindictam. Inde ad seipsum dirigens verba, non hic expectandam requiem fatiscentibus membris contestabatur ».

Acta ss. ad diem 24. Iulii pag. 883.

II. « Ab orationis exercitio nulla eum infirmitas potuit amovere, sed in illis ultimis diebus ita contemplationis in eo volatus efferbuit, ut semper inter angelos conversari videretur, ac corporeae necessitatis oblitus, etiam peritorum medicorum iudicio, vitam miraculose tandiu protrahere crederetur. Nunquam eius ferventior aut prolixior oratio, nullum coram se, nisi de Deo sermonem misceri, nihil nisi proficuum et spirituale legi permisit. Voluit ut socius devotissimas eruditissimi et piissimi patris Ludovici Granatensis meditationes coram se legeret, eo tandem modo, quod interdum eum a lectione cessare iubens, vir Dei conversis ad crucifixum oculis, in suavissima oratione audita ruminabat, a qua velut e somno excitatus, iterum legentem attente audiebat. Postea solutus in lacrymas, familiarem sibi precatiunculam *glorificetur Deus*, vel aliam huiusmodi magna mentis teneritudine repetebat. Aliquando psalmos illos: *lauda anima mea Dominum*, et *benedic anima mea Domino* postulans recitari, et ineffabilem ex his cordis liquefactionem sentiebat ».

III. « Evangelium illud Ioannis: *Ante diem festum paschae* etiam sibi legi optavit; ad cuius verba, sed praesertim ad crucifixionis historiam mire commotus, Christum patientem alloqui coepit, et gratias agens, eius bonitatem et misericordiam sibi peccatori tam benigne impensam celebrare. Hymnis quoque b. Virginis plurimum recreabatur, et in illius consideratione, iubilo et laetitia perfundebatur. Confessario suo aliquando dixit: *adiuva me, pater, ad Dei laudes promendas;* moxque adiunxit: *Deus meus tu creator, rex pater meus, tu deliciae, tu cunctae res meae.* Ex his dictis adeo flamma divini amoris exarsit, ut anima ad intus conversa totaque spiritualibus deliciis occupata, sensus immobiles corpusque marmori simile reliquerit ».

IV. « Quadam die cum idem confessarius corporis eius angustias animae voluptate sublevaturus dixisset: o pater Francisce, quantum erit gaudium ci-

vitalis sanctae Ierusalem, lapidibus pretiosis aedificatae, lucerna cuius est Agnus ita efferbuerunt viri sancti praecordia, ut in laudes divinas proruperit, et in pelago contemplationis immersus et omnino absortus, operto ore, oculis elevatis, corpore quod per totum aegritudinis tempus iacuerat, erecto, extensis brachiis, decora sui compositione longam sit ecstasim passus, qui cum vocantium vocibus non responderet, solus in suavis deliquii libertate relictus est. Ab his autem excessibus prout impressio coelestis mentem affecerat, aliquando hilaris, aliquando lacrymabundus revertebatur ».

V. « Exorto ss. Trinitatis die festo, in tanti mysterii cogitatione, debilitatem corporis spiritus fervore corroborans, e cella quasi alatus exivit, voce alta intonans: *benedicamus Patrem et Filium cum s. Spiritu*; omnes ad individuae Trinitatis laudes celebrandas invitabat. Succedente postea corporis Christi solemnitate a dilecto animae suae Agno immaculato speciali quodam beneficio recreatus est. Pater quippe Franciscus a Mendoza confessarius ipsius qui nocte illa cellulae eius ostium ipsum invisurum aperuit, solum quidem invenit, sed loquentem et multa gaudii signa demonstrantem. Audiit quoque haec verba: *venite, adoremus, et procidamus ante Deum* saepius repetentem. Vidit et angulum cubiculi quemdam manibus designantem quasi maiestatem illam quam laudabat, ad cuius etiam laudes creaturas vocabat, indicaret. Qui mox ad confessarium intuentem conversus rogavit, ut abiret, nec suave illud matutinum sua praesentia turbaret. Cui ille morem gerens, clauso ostiolo recessit; sed tunc virum Dei singulari aliqua Christi visione honoratum ex iis quae viderat et audierat, intellexit ».

VI. « Crescente infirmitate visum est medicis opportunum sacri viatici tempus; quorum sententiam significantibus sibi fratribus respondit vir sanctus: *intempestive quidem et promptius, sed tam bonum hospitem cito recipiamus.* Fuit haec dies decimaquinta ante obitum eius. Sacramento mira devotione suscepto, visus est quasi novas acquisiisse vires. Quare reverendissimus p. Ioannes Vinedo mox episcopus Orensis *(latine Auriensis)* vitae terminum diutius protrahendum existimans, viro Dei, quod sacram Portiunculae indulgentiam lucraturus putaretur, ait. Cui ille indulgentiam quidem dilecti sui patris s. Bonaventurae se consecuturum adiecit; quibus verbis aliisque indiciis in festo tanti doctoris obiturum omnes intellexerunt, nec desunt pii bonique religiosi, qui clare et distincte sic a Dei servo praedictum affirment. Asseritque p. Franciscus de Nunes, quod nocte feriae secundae, biduo antequam migraret, cum nonnulli fratres ad cellulam viri sancti concurrissent, sibi ab eo dictum fuit: *mone patres ut redeant ad somnum; non enim hac nocte sed in die patris mei s. Bonaventurae sum moriturus* ».

VII. « Circa ultimum vitae ipsius diem multoties auditae et visae sunt aviculae quaedam in cellulae fenestra, cantu suavissimo et melodia insolita adstantium aures animosque rapientes; quae cum nec strepitu nec vocibus humanis terrerentur, ac noctibus ipsis mediaque hyeme (Iulio enim mense hyems Limanis est) praeter morem canerent, corpus eius mortuum ad valetudinarii oratorium postea suaviter personando sunt subsecutae, mirum aliquem et plane divinae operationis effectum portendere putabantur ».

VIII. « Quinto ante obitum die fratri Ioanni Pomez infirmorum curae praefecto, ait: *nunquid advertis, frater, magnam Dei erga me misericordiam, qui vires mihi ad vincendum et expugnandum inimicum suppeditavit?* Triduo mortem praecedente ad religiosum sibi ministrantem reflectens,

lacrymans ac suspirans in haec verba erupit: *unde hoc, mi Domine Iesu, ut tu crucifixus, et ego servorum tuorum ministerio adiutus; tu nudus et ego coopertus, tu alapis percussus spinisque coronatus, et ego tot bonis cumulatus totque beneficiis consolatus?* Die sequenti praesentibus fratribus exclamavit: *o Deus animae meae sis glorificatus; qualis est tua circa me dignatio! quod cum in desertam solitudinem quasi stercus maculatum proiici, et ab omnibus merear derelinqui, tunc angelis istis, religionis scilicet, me video circumdatum, et eorum officiis tam affluenter sublevatum. Gaudeo, Domine mi, quod Deus sis. O quam suavis es!* His dictis ad adstantes conversus, eos ad amorem divinum efficacibus verbis est adhortatus. Tandem quidquid ad novissimum ultum temporis fluxit, totum in charitatis, orationis et omnium actibus virtutum expendit ».

IX. « Die XII. Iulii extremae unctionis sacramento se ad agonem, ut bonus Christi miles accinxit, atque ut facilius pauper et nudus cum nudo hoste pugnaret, laceriorem habitum in eleemosynam a guardiano impetravit, mox commendata praeceptorum coelestium et regulae seraphicae observantia, singulis fratribus tenerrimo amplexu valedixit; et quamquam, dum viveret, speculum sanctitatis fuisset, malae aedificationis et vitae parum religiosae supplex et gemebundus veniam deprecatus est. Nocte transitus praecedente in profundam ecstasim raptus, omnium adstantium iudicio expirasse creditus; reversus tamen postea exclamavit: *laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Ex tunc usque ad finem visa est in facie eius superfusa laetitia, alacritas et venustas, ac anima eius de bono sibi promisso exultans, in effusa gaudii signa prorupit. Dicenti sibi cuidam fratri: quandoquidem te, pater, iamiam ad coelum Deus extollet; memento mei dum veneris ad regnum aeternum, Respondit hilari voce: *ita est, quod ad coelum pergo, sed hoc ex merito mortis et passionis Christi: ego enim maximus peccator sum; cum ad patriam appulero, bonus tibi amicus ero* ».

X. « Orta est denique dies sancto Bonaventurae sacra, in qua vir Dei debitum naturae soluturus, non horruit ad terribilium terribilissimum, sed multis indiciis ineffabilem laetitiam pandit. Eadem dies febris continuae, quae corpus exesa carne velut aridas radices exsiccaverat, subito intemperies cessavit; oris saliva prius foetida, iam suavem odorem emisit; manus asperae et rugosae tunc candidae et naturali redditae proportioni apparuerunt. Adeoque novas videbatur induisse vires, ut quidam medicus, dum postea defunctum scivit, aliquo casu extraordinario, puta amoris divini aut desiderii coelestis violentia expirasse affirmaverit ».

XI. « Cum itaque religiosi adstantes officium divinum voce intelligibili recitarent, vir Dei ad versiculum *Gloria Patri*, oculis ac manibus sursum erectis, solitam iaculatoriam *glorificetur Deus* suaviter proferebat. Finitis psalmis symbolum fidei decantatum est, suam interim musicam et harmoniam aviculis commiscentibus; cumque ad verba illa: *et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine* ventum est, insonuit etiam ecclesiae campana signum elevatae hostiae in missa solemni s. Bonaventurae. Tuncque vir sanctus ad crucifixum intentus, manibus in crucis figuram compositis, devotam oratiunculam *glorificetur Deus* cum anima ad Deum eiaculatus est, et dormienti similis expiravit die XIV. Iulii s. Bonaventurae festo, anno vero millesimo sexcentesimo decimo, aetatis suae sexagesimo primo. Corpus a fratribus curatum, circa meridiem ad valetudinarii oratorium iuxta morem delatum est ».

XII. « Cum anima viri Dei Francisci Solani ad regis immortalis gloriam migrasset, corpus eius quod ultra naturalem complexionem, ob longas et difficiles peregrinationes, rigidas poenitentias et graves infirmitates, dum viveret ad nigredinem et siccitatem vergebat, subito candidum, pulchrum, tractabile et plenum non sine spectantium stupore effectum est. Oculis quos perpetua mortificatio visibilibus clauserat, mox apertis miro splendore rutilabant. Caro illa spiritu orbata suavem emittebat odorem, et quae prius ob aegritudinis maciem et hyemalis tempestatis vigorem, frigus tam acre contraxerat, ut nullo operimento satis calefieri posset, iam novum induit calorem, quo per multas horas frigentes aliorum manus solo calebant contactu ». *Ibidem pag. 348.*

XIII. « Accessit aliud mirabile, quod etiam post decimam septimam ab eius felici transitu horam, cum quidam extremam pedis ungulam et capitis capillos secare tentasset, perducto inconsulte ad carnem et pellem forcipe, copiosus ex levi utrinque scissura ruber et coloratus sanguis per longum effluxerit tempus; quae omnia a medicis et doctis viris sunt miraculo adscripta. Illud etiam non tacendum, quod cum Ioannes Mondragon chirurgus post vigesimam tertiam horam pedem defuncti osculari volens, crus supra manu suaviter apprehendisset, illico, quasi vixisset, crus ad se retraxit; quo motu magnum tangenti incussit timorem et reverentiam ».

XIV. « Ut excellentissimus pro-rex marchio de Monte Claros Francisci mortem audivit, sepulcrum ipsius ad diem sequentem differri mandavit; volens ei quod vivum pluris aestimaverat, etiam mortuo officio devotionis exhibere. Concurrit interim universa multitudo populi ad conventum ex omni sexu, aetate et conditione, sanctum, ut aiebant, visuri; alii pedibus oscula devota figebant, alii habitum in pretiosas particulas dissecabant, horumque tantus erat numerus, ut eadem die quatuor tunicae corpori mortuo successive aptatae, in fragmenta conscissae sint. Alii rosaria et coronas pretiosi cadaveris contactu sacrabant, et omnes manifestas gloriae futurae primitias in carne illa mirabantur. Post occasum solis recedente populo, liberior patuit religiosis accessus, qui per totam noctem sanctum depositum custodientes, ei effusa devotionis persolvere officia ».

XV. « Eadem nocte ignea e coelo conventui et valetudinarii oratorio insedit columna, quae procedens circa horam undecimam a quibusdam devotis monialibus clarissis supra ipsarum monasterium decidere visa est; quae cum etiam duodecies renata obscuras noctis illius tenebras in diei lucem toties convertisset, habita quoque hybernae tempestatis ratione, aliquid singulare praesagire putabatur. Hanc et quaedam eiusdem monasterii religiosae tribus noctibus, illa scilicet quae morti viri sancti proxima fuit, ea qua, ut iam retulimus, corpus in oratorio iacebat, et illa, qua e sepulcro, ut infra dicetur, eductum est, adparuisse testatae sunt ».

XVI. « Interim non recessit a foribus coenobii innumera plebis caterva, quae per manus cuiusdam fratris coronas et rosaria sacri corporis benedicenda attactu continuo transmittere non cessavit. Binis ante diluculum horis urgente populi clamore, aperta sunt ostia, factusque est tantus omnium concursus, ut apponendi fuerint custodes ad ingressus, qui nimium intrantium impetum cohiberent. Tunc omnium ordinum religiosi, praelati et subditi ad contuendum et venerandum eum, et pauperes tunicae ipsius particulas retinendas confluxerunt. Ipsa s. Augustini veneranda communitas, quae a duobus annis franciscanae familiae consuetudine non fuerat usa, quasi ab angelo pacis invitata, ad sa-

crum corpus honorandum sponte accessit. Tunc etiam impletum est verbum a Francisco nuper prolatum, quo cuidam praefati ordinis augustiniani religioso sibi amico et proximo, quod videre ipsum in infirmitate non poterat, condolenti respondere fecit, dicens: *ne molestiam inde percipiat, quoniam cito ab eo iuxta desiderium videbor, et intra quatriduum pax summa inter omnes stabilietur* ».

XVII. « Eodem mane illustrissimus Limanae metropolis archiepiscopus ecclesiastico capitulo stipatus, et excellentissimus Peruviani regni pro-rex cum equitibus et senatoribus et officialibus multis ad valetudinarii oratorium venerunt; qui sacri corporis pulchritudinem, suavitatem et candorem admirantes proni in terram ceciderunt, et humilia pedibus eius oscula infigentes, quantum virtus eximia apud ipsosmet saeculi principes polleat, demonstrarunt. Ipse egregius pro-rex, qui intra se manus osculari decreverat, prae summa reverentia non praesumpsit. Ut ubique perpetuum apud se tanti viri memoriale servaret, ac in periculis praesens semper haberet auxilium, humile servi Dei sagum in pretiosam reliquiam sibi dari curavit. Postea uterque ille, ecclesiae et saeculi principes illustres humeros sacro oneri supponentes, adiuvantibus religionum praelatis, feretrum ab oratorio ad ecclesiam detulerunt. Incredibile est, quam frequens populus ad ecclesiam confluxerit; ipsum etenim pro-regis satellitium, licet haec triplici navi innumerae multitudinis capax, vix ab arcendo tumultu, et ad spatium corpori deferendo aperiendum sufficiebat. Omnes corpus contingere, videre et venerari contendebant. Collocato itaque in medium cappellam feretro, musici cathedralis ecclesiae cum multis religiosis missam pro defuncto suaviter cecinerunt, celebrante reverendissimo p. Venido, tunc illarum provinciarum commissario. Concionem habuit r. p. Ioannes Sebastianus societatis Iesu praepositus provincialis; qui cum esset vir apostolicus et vitae innocentia conspicuus, eximias servi Dei virtutes, acta heroica, crebra miracula et pretiosam mortem spiritu vere prophetico annuntiavit. Tandem licet renitente omnium devotione, quae sibi talem thesaurum ab oculis eripi aegre patiabatur, corpus sepulturae mandatum est, et in cappella sepeliendis fratribus destinata sub altare maiori in capsa lignea depositum ».

XVIII. « Tumulato viri Dei corpore, excellentissimum pro-regem pia cogitatio incessit, nondum scilicet vera eius imagine non esse fraudandum. Quare eadem nocte post octo a funere horas, ut naturalis eius effigies pingeretur, illud e sepulcro iussit educi. Tunc observata sunt eadem quae supra narravimus, in sacro cadavere mirabilia. Completa imagine, pretiosum rursus depositum terrae mandatum est. Religiosi autem non solum conventus, sed et provinciae totius spirituali consolatione hac die perfusi, quamdam ineffabilem mentis teneritudinem, proficiendi desiderium ardens, et rerum coelestium amore se simul percepisse notaverunt ». Ita Navarrus.

Ibidem pag. 386. et seq. XIX. In ipso sui obitus die voluit Deus eius sanctitatem miraculorum gloria confirmare. A gravissimo capitis dolore liber evasit Ioannes Sedano, minorita de observantia, ut sacras Francisci manus suo capiti imposuit. Viri Dei reliquiam contingens, a capitis dolore etiam eadem die incolumen se reddidit Ludovicus Pacheco eiusdem instituti. Francisco de Mendoz concionatore et vitae inculpatae religioso teste, aliqui fratres infirmi in valetudinario Limano incolumes illico eodem die evaserunt.

XX. Anna de Prado a decennio asthemate, febri et acuto lateris dolore cruciata, audita viri Dei morte, ipsum pro salute deprecata est, et tunicae

ipsius particulam pectori devote admovens, ad eius contactum subito convaluit. Reliquiae contactu puella semestris, filia Ioannis Stephani Perez et Antoniae Ortiz de Vargas perfectum manus brachiique usum, quibus tumore ac fluxu impedita erat, recuperavit eodem mortis Francisci die. Ludovicus Laurentius de Esquibel duodecim annorum puer gravi obstructione oppressus, ita circa stomachi orificium intumuerat, ut a medicis moriturus crederetur. Eodem viri Dei mortis die ipsius tunicae particulam accipiens, eam nocte sequenti parti laesae admovit, et mane consurgens, se sanum a tumore invenit.

XXI. Quae sequuntur, insepulto viri Dei corpore evenerunt, prodigia. Asthematico dolore lib·r recessit Christophorus Vivas post effusas preces devotas coram Francisci corpore. Tertiana ac quartana a multis mensibus febri laborabat Franciscus de Avalos Tixoeo. At eius corpus invisens, at collo suo habitus ac chordae prosegmina apponens, febris molestiam haud expertus est. Filius Ioannis de Esquibel annorum septem a febri vehementi oppressus, dum vir Dei migrabat, exclamavit: *deferte me ad patrem Solanum, quia ille me sanabit.* Ad oratorium in quo viri Dei corpus erat expositum delatus, illius manus et pedes est devote osculatus. Illico levamen sensit, ac inde domum alacer et gaudens repetiit incolumis. Acutissimis capitis doloribus validaque febri patiebatur Didacus de Estrada sacerdos ordinis b. Mariae redemptionis captivorum. Cum nullum remedium in humanis inveniret, ad venerandum viri Dei corpus accessit, et eius pedibus et manibus devota oscula infigens, et caput illius plantis reverenter supponens, illico febris et dolor ab eo evanuit. Diuturna stranguria ob quam nec cibum nec somnum capere poterat, afflictabatur Catharina de Ormenta, uxor Ioannis Martini de Vivas. Ad eam accessit Ioannes de Villavincentio, ei annuntians recentem viri Dei mortem, interimque eam monens, ut eius intercessionem implorarent. Obedivit mulier, et tunicae eius fragmento partem dolentem tetigit, et filum eiusdem staminum ore deglutivit. Eo hausto, statim calculum cum urina eiiciens, sanitati completae restituta est.

XXII. Eleonora de Abreu a sex mensibus profluvium sanguinis patiebatur, praecipua vero mali vis sustinuit die exequiarum viri Dei Francisci. Cum eius maritus Dominicus de Bustinea capitaneus accessit ad ecclesiam Limani conventus, et demiratus esset suavitatem odoris et corporis viri Dei candorem, aliquas suae tunicae particulas petivit ac obtinuit a coenobii fratribus. Ut domum accessit, eas admovit infirmae ventri, et subito profluvium stetit et illa sanitatem recuperavit.

XXIII. Isabella Carillo filium peperit latere dextro confractum. Tanta pueri erat aegritudinis vis, ut, cum unum crus alteri admoveretur, prae doloris vehementia immutari ad mortem videretur. Nulla valuerunt artis remedia. Cum dies viri Dei exequiarum esset, ad ecclesiam deferre filium voluit; non potuit tamen ob ingentem populorum multitudinem in ecclesiam intrare: apposuit tamen filio infirmo viri Dei reliquiam, et illico sanus evasit.

XXIV. Maria Gutierez de Medina uxor Thomae de Herrera Escalona gravi struma instar carcinomatis sub brachio sinistro erumpentis afflicta erat. Cum per annos circiter binos, medicorum cura licet adhibita, nullum experta esset levamen, ad viri Dei funus difficulter accessit eius auxilium imploratura. Post viri Dei pedum oscula turgentem strumam habitus ipsius particula contexit, et resoluto penitus tumore, mirabiliter sanata est.

XXV. Servi Dei Francisci virtus etiam ad ipsos peccatores se extendit. Quidam incola Limanae urbis triginta ab hinc annis ita a peccatorum iugo

subactus erat, ut uulla vi se ab eo retrahi posse adfirmaret. Hinc ad viri Dei corpus accedens, ait intra se: si vir iste sanctus est, me ab huius vitii nexibus liberabit. Mox pronus in terra precibus se ei commendavit, ac pedibus sacris devota oscula infigens, corde liquefieri, contritionis dolore intus urgeri, peccati deformitate et divinae iustitiae flagellis terreri, ac misericordiae coelestis confirmatione recreari se sensit. Inde statim exorgens, luteotia confessario conscientiae vulnera aperuit, et in virum novum mutatus est.

XXVI. Mulier a duodecim annis ob extremam paupertatem sibi illatam a quodam viro, tantum contra illum conceperat odium, ut etiam ei mortuo continua precaretur malo. Ad funus viri Dei accessit, pedes illius et manus osculatura. Divino tunc illustrata lumine, tacite sibi exprobrare incepit odii intestini peccatum. Quare ad Franciscum conversa rogavit, ut pro se ad Deum intercessor existeret. Sacram viri Dei manum osculata, mox lapidei pectoris sui est emollita durities, et tranquillitas et erga illum amor successit.

XXVII. Cum autem frequentia ad viri Dei tumulum evenissent miracula, ad instantiam procuratorum Limanae urbis ac fratrum regularis observantiae provinciae Limanae ab anno MDCX. ad annum usque MDCXII. confectae fuerunt a Goudisalvo de Campo archiepiscopo Limano et a suffraganeis suis consuetae informationes super eius sanctitatem, virtutes et miracula. Francisci sanctitatem et prodigia rata habuere tercentum et quatuor testes, quorum tanto auctoritas maior est, quanto inter eos suot quamplurimi dignitatibus ecclesiasticis et saecularibus conspicui, et multi religiosorum ordinum alumni, muneribus, pietate et doctrina praestantes, qui omnes uno ore Franciscum Solanum sanctum et miraculis famosum proclamabant.

XXVIII. Delatis ad Urbem auctoritate ordinaria archiepiscopi Limani confectis processibus, ac congregationi s. r. a reverendissimo Benigno a Genua administro generali ordinis porrectis, ac ibidem mature expensis, eadem s. r. congregatio, Urbani VIII. summi pontificis iussu, die I. Februarii anni MDCXXV. literas remissoriales apostolicas vulgavit misitque ad mox laudatum archiepiscopum, ut per se aliasque duas personas suae ecclesiae in dignitate ecclesiastica constitutas non solum, verum etiam per alios extra illam in aliis dioecesibus ecclesiae romanae obedientibus manus admoveret super vita, virtutibus et viri Dei miraculis. Hae literae magno cum plausu et apparatu vulgatae fuerunt in principe Limano templo.

XXIX. Quae cum magno omnium studio agerentur, urbes quamplurimae Peruviani regni prae eximia Francisci vitae sanctitate ac prodigiis eum apud Deum sibi patronum constituerunt. In primis Limana civitas illarum provinciarum mater et caput, devotum suae clientelae die XXVI. Iulii anno MDCXXVI. consecravit officium, assignatis pro suae canonizationis expensis Romam quolibet anno mittendis bis centum nummis. Similia statuit civitas de la Plata provinciae et archiepiscopatus Charcharum caput, die XXV. Februarii anni MDCXXXI.; Carthagena item civitas die XI. Octobris eiusdem anni; s. Iacobi civitas regni de Cile caput, die XXVI. Augusti anni MDCXXXII.; civitas de Cusco an. MDCXXXII. civitasque de la Habana; die XX. Septembris anno MDCXXX. oppidum de Salinas caput episcopatus s. Crucis; oppida s. Philippi de Oruro, de Valverdo, de Ica, de Oropesa in valle de Cochabamba de Castrovirreina anno MDCXXXI.; die XXIII. Martii anno MDCXXXII. Oppidum Dives et imperiale de Potosi; oppidum de Carrion, de Velasco et de Amedo; et anno MDCXXXIV. civitas Leonensis de Guanuco.

XXX. Apud Americae australis navitas patronus extitit et vir Dei. Cum enim labente Maio mense anni MDCXXXI. e portu de Callao ad Terrae-Firmae regnum et Panamam regio thesauro onerata classis perrectura solvisset, nocivam tranquillitatem per aliquot dies experta immobilis permanebat. Tunc Bernardinus Hurtado de Mendoza classis praefectus rogavit p. Idelphonsum Queto franciscanum Romam profecturum cum processibus viri Dei, ut Francisci imaginem explicaret et in medium collocaret. Quo peracto, ortus est ventus propitius, fortiter puppam impellens. Iterum cessavit ventus; at singulari viri Dei beneficio vento flante, iter prosequuta est feliciter. Cum autem navis, ut dicunt admiranta, triginta circa Panamam leucis ob caliginosam noctem impegisset in incognito vado, tertio manifestata Francisci imagine, omnes a praesenti discrimine liberavit. Nondum tamen beneficiorum finis; nam et istam ventus adeo adversus impellere coepit, ut in syrtem obviam et in eadem vada recto impetu protraheretur, nisi iam quarto extensa esset viri Dei imago. Vix illa feliciter ad Panamae portum accessit, idem Bernardinus, habito consilio capitaneorum et totius classis officialium, virum Dei Franciscum in patronum classium regiarum mari australi navigantium nominavit. Hoc tempore eadem Panamae civitas in celebri senatus et magistratuum consessu in patronum eum sibi delegit, copiosa pro eius canonizatione assignata eleemosyna.

XXXI. Quae sequuntur deprompta ex utroque tum ordinario tum apostolico viri Dei processu, missa fuerunt ad a. r. congregationem. Ac primo ex eisdem actibus probata fuit fama eius sanctitatis multorum insignium virorum testimonio. Apud Hispanos antequam ad Indias transiret, multis claruit virtutibus ita, ut populorum plausus praesertim in ignitis suis concionibus effugeret, ad Americanum hemisphaerium se contulit. Apud Tecumsanas aliasque Indorum regiones reverentiam ac auctoritatem maximam sibi conciliavit. Limanae urbis archiepiscopus Bartholomaeus Lobo Guerrero miram item de eius sanctitate conceperat opinionem, sicut et eius in archiepiscopatu successor Ferdinandus Arias de Ugarte. Et ut aliquorum episcoporum eius sanctitatem testantium verba referamus, Gabriel de Zarata ordinis praedicatorum episcopus Guamongae in Peruviano regno deposuit, illum suis virtutibus et exemplis novum orbem illustrasse, Deumque quasi fulgentem stellam in medium nebulae caecitatis et ignorantiae gentilitiae in salutem Indorum transmisisse. Franciscus de la Serna ex eremitanis s. Augustini episcopus de Paraguaia, mox de Popayan viro Dei familiaris, coram apostolicis iudicibus adfirmavit, eum fuisse hominem coelestem, apostolicum praeconem, angelum a Deo missum et in salutem animarum innumerabilium ad Peruvianas provincias destinatum. *Ibid. pag. 840. et seq.*

XXXII. Pro-reges Peruviani regni heroicas viri Dei Francisci virtutes confirmarunt. In primis Ludovicus de Velasco, marchio de Salinas, Gaspar de Zuniga Azebedo, comes de Monterrey, Ioannes de Mendoza et Luna, marchio de Montes-clarios, Ludovicus Ferdinandus de Corduba, marchio de Guadalcazar, et comes de Chincon uno ore viri Dei merita comprobarunt. Iis adhaeserunt et alii doctrina et sanctitate praestantes, commissarii generales fratrum minorum provinciarum Peruviani regni, ordinumque regulares professores, inter quos eminet Didacus Alvarez de Paz societatis Iesu provincialis in eodem regno, Francisco Solano coaevus, qui tom 2. lib. 15. cap. 13. de paupertate sequens illustre testimonium de eo reliquit sic expressum: *Diligebat, Franciscus, secretum ac secum commorari, nisi gloria Dei aliud depo-*

sceret, rebus omnibus praeponebat, ibique assiduis precibus et divinorum contemplationi vacans, non raro ecstases et raptus patiebatur. Hisque epulis assuetus saepe noctes insomnes in suppedaneo summi altaris apud Dominum in eucharistia delitescentem traducebat, et manu lyram parvulam pulsans et ore psalmos canens, et corde coelestia delibans, pernoctabat. Cum autem has divitias variissimas possideret, non multum, si paupertatis amator esset, et omnem penuriam propter Christum et indigentiam diligeret, cui adeo fuit addictus, ut pauperrimo habitu et tunica contentus, vix necessaria imbecillo satis et infirmo corpusculo sustineret accipere; cuius etiam hostis factus, seu, ut melius dicam, fidelissimus amicus effectus, maluit ipsum affligendo diligere, quam pusillanimiter fovendo et molliter tractando perdere. Et ut finiam ...... vita ipsius non aliud extitit, quam sanctissimo quaedam et utilissima actio, aut ferventissima et coelestibus consolationibus et illustrationibus refertissima oratio.

XXXIII. Haec de sanctitate vitae. Sequentia autem miracula proposita fuerunt s. r. congregationi pro assequenda beatificatione eiusdem viri Dei Francisci. Nos potiora exscribimus

FEBRES PERIODICAE ET CONTINUAE EXPELLUNTUR.

XXXIV. Ioannes Rodriquez de Saavedra conventus fratrum minorum Limae praeses, abscessu et febri vehementi decumbens, admoto sibi fragmento sagi viri Dei, mox integram sanitatem recepit. Hieronymus Idelphonsus a Turra incola laudati coenobii, periculosa febri vexatus, convaluit visitans eius sepulcrum sibique admovens particulam babitus viri Dei. Alio tempore ab acuta febri et vehementibus doloribus immunis fuit, vix se praecioxit viri Dei cingulo.

Septenois puer filius Ioannis de Cespedes et Isabellae de Comargo a duobus annis febri quartana et frequentibus obstructionibus afflictus, medicorum iudicio in manifestum vitae periculum devenerat. At a suis ad sepulcrum viri Dei delatus, emissis votis, omnis aegritudinis labes ab eo abscessit tactu ipsius reliquiae.

Isabella Ortiz bimensis puella, a viginti diebus acerbo thoracis dolore cruciata, et interdum acri febri exusta, morti proxima videbatur. Post emissum a matre votum eam deferendi ad eius sepulcrum, et in oratorio ad sui honorem missam retributo stipendio celebrandi, puella statim suavi somno correpta, integre mox convaluit.

Petronilla de la Cueva et Catharina de Vargas ambae periculosa febri extenuatae, sanitatem subito recuperarunt; illa quidem oleo lampadis collucentis ante viri Dei sepulcrum; altera vero sacrae reliquiae virtute ad suum collum appensae.

Hieronyma de Navadies lactis deficientiam prae diuturnae febris violentia patiens, facta in viri Dei sacello oratione, lactis copiam trium infantium lactationi sufficientem recepit.

CRURUM DOLOREM PELLIT.

XXXV. Antonius Lopez laicus franciscanus dolorem ex cruris laesione patiens, recursum habuit precibus suis ad virum Dei, et statim dolor et

laesio cessarunt, et pede quem antea non poterat in terram ponere, commode incepit ambulare.

Ob vehementem pedis dolorem nec stare nec sedere nec iacere poterat Ioannes Sedano eiusdem instituti sacerdos; ut autem aegro pedi admovit pannum viri Dei corporis tactu sacratum, illico sanitatis compos fuit.

Bernarda de Carvaial monialis professa in monasterio de Illescas, intenso dolore cruciabatur a coxendice usque ad cruris medium. Cum quiescere nullo modo valeret, optatam consequuta est sanitatem efficacia reliquiae Francisci.

Emmanuel de Arco asperi collis ascensu in sudorem et eruriam debilitatem incurrens, biennio doloris violentiam sine quiete et sibi appetitu sustinuit, nec absque grallarum fulcimento ambulare poterat. Eius mulier oleo lampadis linivit illius partes laesas, et post haec obdormiscens, liberum ab infirmitate se sensit, vix a somno experrectus. Grallam cui bacteous innixus fuerat, appendit in trophaeum in ecclesia parochiali oppidi de Sanam.

Marcus de la Vega miles in conflictu inito anno MDCXXXV. contra rebelles Indos apud Cilanos, a cutis sinistri sura usque ad superiorem genu partem duplici hastae ictu transfixus fuit. Chirurgorum opera aliquot nervi amputati fuerunt, quorum abscissione laeso crure, contractis articulis et pede breviori effecto, nonnisi beneficio grallarum incedebat. Post tres annos Limam adveniens, praemissis confessione se communione, ad sepulcrum Francisci accessit, illumque pro sua valetudine humiliter oravit. Partem morbo affectam inunxit quidam religiosus lampadis oleo viri Dei. Post horam crus saucium extendit, in terra facile pedem fixit, se reiectis fulcimentis, domum suam, tota spectante religiosa conventus familia, liber repetiit.

PODAGRAM, HYDROPISIM ET ASTHEMATA ABIGIT.

XXXVI. Andreas Corzo minorita de observantis incola conventus Limae, acri podagrae molestia cruciatus o mensibus duodeviginti, absque baculo incedere haud poterat. Vix autem induit braccas quas vir Dei gestaverat, subito liberum se sensit, et licet octogenarius, tamen sine fulcimento deinde ambulavit. Graves etiam podagrae dolores extinxit sui habitus particula quidam alius illius conventus religiosus.

Maria Ximenez, uxor Andreae de Villartoel foetum gerens, hydropisise morbo a sex mensibus dire affictabatur; superveniente interim puerperii cruciatu lethali, in ultimum vitae discrimen, medicorum iudicio, iam devenerat. Emisso ab ea voto visitandi viri Dei sepulcrum, eidemque admota habitus particula, brevi post tempore prolem geminam vitae compotem edidit, et sana penitus effecta, feliciorem illum omnibus praecedentibus partum fuisse adfirmabat.

Ioannes de Riberia Albanil prolixo asthemate, quod ipsum singulis noviluniis ad ultimas reddebat angustias, absque remedii spe misere laborabat. At promisso novendio et celebratione unius missae in oratorio viri Dei, ad finem impleti promissi, incolumen a morbo se vidit.

HERNIOSOS CONSOLIDAT.

XXXVII. Idelphonsus de Vargas Ioannae Ponciae de Leon filius, a pueritia usque ad decimum tertium aetatis annum crudeles molestias subiit ob

insanabilem herniam ex fractione contractam. Reliquiae viri Dei tactu ac precibus ad eum fusis, tumor et durities partium illico cessavit. At a matre prohibitus, ne miraculum vulgaret, iterum morbus recruduit; quo flagello mater edocta, veniam a Beato postulavit, et miraculi famam vulgaturam promisit. Quo facto, filius pristinae sanitati restituitur.

Pulvere sepulcri eiusdem viri Dei sparso a Ioanne de Esquedreute super tumorem herniosum filii sui decennis Lucas nomine, illico sanitatem obtinuit. Oleo lampadis collucentis ante sepulcrum eius inunctus ab Isabella de Saavadra Bernardus filius suus quadriennis, cuius intestina ob herniae morbum contractum o pocllula, diffluebant, persoluto tumore et intestinis ad sedem nativam reductis, statim bene valuit. At mater cum eidem cavisset, ne a lecto surgeret, ac brachiali illum muniret, iterum ab eodem morbo corripitur. Maritus eius votum emisit viro Dei pro valetudine filii, quem excitavit, ut per tres vel quatuor dies haec verba proferret: sancto Solano, fractinorum meam pro amore Dei, sana. Puer subinde sanitatem obtinuit, ut antea.

Eodem oleo semel inunctus liber evasit Nicolaus de Villavicencio puer septennis filius Christophori Guttierez Munoz, hernia item gravique tumore in vesica afflictus.

Ioannes alter puer recens natus, filius servulae Maurae hernia et comitiali morbo laborans, corporis compagibus eodem oleo linitis, ab omnibus infirmitatibus sanatur.

Ioannes Narvaez chirurgus vetulus cum ultra sexennium gravem eiusdem morbi sustinuisset angustiam, olei eiusdem unctione perfecte convaluit.

COMITIALEM MORBUM EXPUGNAT ET PARALYSIM.

XXXVIII. Agnes filia Didaci Hurtado undecim annorum puella, a triennio frequentibus maioris morbi concussionibus impetita, saepe in terram repentino casu proiiciebatur; interim spumam ex ore eructabat, et quasi scintillas ex oculis emittebat. Eius collo quaedam habitus particula viri Dei appensa, illico morborum pertinacia evanuit.

Puerulus Ioannes Francisci de Aguilar servus a crudeli morbo comitiali et hernica fractione simul quam vehementi collisione et casu frequenti incurrebat, oleo lampadis viri Dei salvus evasit. Ioanna altera infantula huiusmodi morbo detenta, lampadis oleo inuncta, a morbo convaluit.

Puellula Francisca filia Idelphonsi Garciae Flores paralytico morbo occupata, oris situm, et deformem ac contortum, pedes manusque violento motu concussos habebat. Mater Ludovica de Miagolla eius capiti imaginem Francisci imposuit, et filia mox lac suxit. Mane vero facto os eius in naturalem figuram rediit.

ULCERA SANAT.

XXXIX. Ferdinandus del Poco ulcera in lingua et faucibus sustinuit a decem et octo annis absque ullo medicorum levamine. Ut morbi molestiam liniret, ad Cilense regnum se contulit. Ibidem quinquennio licet frustra renovatis remediis permansit. Limam iterum rediit, et audita fama miraculorum Francisci Solani, novendiales preces inivit in oratorio viri Dei. Quotidie gra-

Digitized by Google

dum aliquem sanitatis acquirebat. In fidei fervore e sepulcro viri Dei terram in os immittebat, eaque guttur fricabat. Haec aliquoties repetens, infra quindecim dies optatam sanitatem invenit.

Petrus a Texada habens tumentes et ulceribus saucias a quadraginta diebus aures, viri Dei auxilium imploravit, et eius habitus particulam in geminam aurem inducens, se sanum invenit.

Isabella Folupa captiva Ioannis Garciae Alvarez gravi et inveterato tibiarum ulcere cruciabatur. Uxor laudati Ioannis eius plagas de nocte oleo lampadis viri Dei inunxit, dum infirma implorabat viri Dei patrocinium; manu facto, sanam se sentiens, lingua vernacula Dei laudes concinere coepit.

Emmanuel de Figueroa curiae Limanae a secretis vehementem gutturis molestiam, strumam acerbam, internam inflammotionem, ulcera fauces infestantia et violentam febrim patiebatur. Votum emisit visitandi viri Dei tumulum per novendium. Hac prolata sponsione et eodem oleo inuncto, statim levamen percepit, et quarta novendii die sanus perfecto evasit.

SANGUINIS FLUXUM SEDAT ALVIQUE PROFLUVIUM.

XL. Francisca Serrano diuturno duorum mensium sanguinis fluxu afflicta, ad vitae extremum deducta erat. Votum emisit visitandi sepulcrum viri Dei; intra triduum perfecte sanata, promissum implevit.

Martha de Espinosa uxor Francisci Garcia foetum gerens, fluxu sanguinis crebro vomitu et lethalibus paroxysmis impetita, brevi moritura a medicis iudicata fuit. Ut infirmae collo fuit admota reliquia digiti unius viri Dei, illico sanguis vomitusque stetere, et mortis signa cessarunt.

Sola viri Dei invocatione ab eodem morbo libera evasit Francisca de Acuna, Gabrielis Cavaleril uxor. Recruduit in ea eadem infirmitas post duos menses; inuncta tamen oleo lampadis eius perfecte se liberavit.

Idelphonsus Iacomo Carlos febri, alvi profluvio et intenso ventriculi dolore cum haemorrhaidum morbo anxiatus, eodem oleo perlinitus de nocte, mane expergefactus sanus e lecto surrexit.

Sacri olei potu ab eodem morbo libera evasit Catharina Bran. famula Francisci de Obando.

Quaedam infantula Limanae urbis decem mensium spatio ventris profluvio et superveniente periculoso morbo ad instar cancreis serpente, ultima mortis indicia dabat: salutam tamen sanitatem accepit efficacia particulae habitus viri Dei.

MULIERIBUS IN PERICULOSO PARTU OPEM TULIT.

XLI. Agnes de Vascones uxor Petri Pinol difficilis puerperii crudeles patiebatur cruciatus, et proxima erat morti. Ut eius obstetrix chordam viri Dei ad ventrem eius admovit, illico absque doloro masculum, mirantibus omnibus, feliciter peperit. Post binos annos infantem ad mortem aegrotantem mater spondet coram viri Dei tumulo franciscano habitu induaturum: voti compos effecta, filium incolumen domum reduxit.

Clara Eugenio uxor Matthaei Munez acerbum in puerperio febris malignae cruciatum perpessa, mors propero passu ob superadditos dolores adesse putabatur; tunicae tunc ipsius particula ad alvum sibi iussit apponi, et cito peperit et ab aegritudine sana emersit.

Panniculo quo usus fuerat Franciscus quaedam mulier oppidi Potosi praecinta in partus angustia, foetus qui in ventre complicatus locum exitus non inveniebat, facili partu eluctus est ita, ut mulier se nunquam commodius peperisse testaretur.

Ioanna Rodriquez ob depravatam et vitiosam carbonum ac coriorum oppetentiam, intensos in partu per viginti quatuor horas absque levamine perpessa est dolores; ut vero ventri eius admovit particulam tunicae Francisci, illico mortuum foetum eiecit.

Partu item infelici ad vitae terminum deducta erat Maria Salazar uxor Ioannis de Govantes, quae licet octo dierum spatio continuis agitata doloribus, praecincta tamen eius funiculo filiam feliciter peperit et incolumis remansit.

Marianna de Palacios Antonii Xamarillo uxor intempestivo partu foetum valde exiguum edidit, et cum magnam sanguinis copiam effunderet, a secundis purgari haud potuit. A medicis derelicta, viri Dei imploravit auxilium, et haustis duobus frustulis ossis ipsius, statim duplici paroxysmo secundas eiecit, sanguinis profluvium stetit, ipsaque convaluit.

In infelici partus successu constituta Ioanna de Carrion uxor Francisci Munoz, quae foetum in globum ad guttur complicatum edere non poterat et acutos dolores patiebatur, se viro Dei per votum commendans, statim peperit, et ipsa et foetus absque periculo perstiterunt.

Eleonora de Scalona et Aguero uxor Francisci Garnica, magno animi dolore confecta erat, quia iam quinquies gravida semper abortivos foetus et mortuos ad sextum vel septimum mensem peperisset. Facta promissione de prole si vivam gigneret, eius nomine insignienda, accessit ad viri Dei sepulcrum, et oleo eius lampadis perlinita, elapsis novem mensibus filiam vivam et incolumem produxit, quam Franciscam Solanam nuncupavit.

Isabella Baraza varios infausti puerperii dolores sustinuit per aliquot dies; et licet obstetrices multis remediis eam sublevare contenderent, nullum tamen solamen eidem afferebant. Unum tandem brachiolum foetus eduxit. Mortuam prolem haud extrahere valuere obstetrices; quare ipsa mulier morti vicina, ad ecclesiae sacramenta suscipienda disposuere. Eo in instanti perlinita oleo lampadis Beati, mulier sana remansit.

Catharina Brau famula Hieronymae de Pineda semestri foetu gravida, proiecto ab adolescente saxo in eius ventrem in terram ferme exanimis cecidit, et proles ictu offensa occubuit. In his periculis constituta, patientis alvus oleo unctus est lampadis viri Dei et illa subito vocem emisit, et transversam conglubatam, ac inter secundarum faeces, rapite fracto confusam prolem effudit, et libera sanitatem invenit.

Eodem oleo inuncta Anna Malo de Molina uxor Petri Nunez de Alvarada civis Limani putrefactum, et odore tetro manantem foetum emisit, licet multis exagitata doloribus per novem dies. Post haec sana extitit et incolumis.

CARCINOMATIS MORBUM PELLIT.

XLII. Ioseph Nino de Frias afflictus carcinomatis morbo in capite et in vultu, et medicinae artes sibi parum profuturas existimans, laesas partes oleo servi Dei unxit, et statim resoluto tumore sanus evasit.

Menciao Dominici de Salazar famulae canis morsus maiorem partem aurae assumpsit, cuius mox resecata a chirurgis proxima laesionis carne, ibidem

lethale carcinoma excrevit. Herus sibi eripi illam dolens, erua cereum ad viri Dei oratorium, et missae ibidem celebrandae stipendium detulit. Post haec domum reversus, eam invenit melius se valentem. Die interim sequenti e lecto ipsa surrexit, nova pro veteri sibi carne restituta.

Petrus de Ribera scholasticus, ulcus insanabile ad carcinoma vergens, circa quod alia tria minora saniem copiosam manantia excreverant, viri Dei auxilio superavit; nam apposita eius cruri particula sagi, cum post tres dies tibialia deponeret, decidit et reliquia sanum ab omni plagae molestia relinquens.

SVRDIS AVDITVM MVTIS LOQVELAM RESTITVIT.

XLIII. Andrea de Iesu monialis clarissa ab anno surditatem nullo remedio sanabilem contraxit. Cum autem per triduum ad aures tulisset particulam tunicae viri Dei, repente strepitum et fragorem audivit, et statim perfectum auditivae potentiae usum recepit.

Mulier quaedam pauper febri valida infirma, usu loquelae privata fuit. Maria de Torres quoe ad eam curandam domi suae adduxerat, exoravit virum Dei, ut loquelam ei restitueret pro emittenda sacramentali confessione. Hinc ab ea accensis candelis, posuit inter eas imaginem Francisci, et mox infirmae liberam confessioni linguam, mentem ac bonam corporis valetudinem obtinuit.

Admota reliquia viri Dei Chrysostomo incolae Vallis do Xauca, qui febris malignae violentia usum vocis et sensuum liberam facultatem amiserat, statim sensuum expeditam sanitatem adeptus est, linguam solvit, peccata confessus est, testamentum condidit et tandem in pace quievit.

INCENDIA EXTINGVIT ET MARIS TEMPESTATIS CONTINET.

XLIV. In valle de Güambaco Peruviani regni spatiosus est cannarum dulcium sacchari tractus, circa quem ad unam et mediam circiter leucam ignis in quodam parvo nemore succensus fuit. Ventorum impetu ad arundines aridas delatus ignis, magnam stragem edebat. Ad eum extinguendum impares erant humanae vires, imo et ecclesiasticae preces. At proiectae inter flammas duae Francisci tunicae particulae a parocho Martino de Ortega, subito torrens flammeus stetit, nec ultra vel parum processit. Post quindecim dies aliud incendium fortuito excitatum in alio arundineto sacchari, idem parochus tunicae viri Dei fragmento repressit.

Franciscus Beltran aliquando ad suum cannarium in valle et districtu de Santa situm adveniens, vidit vicini sui arundinetum mox igne vastandum. Timens etiam rei suae ob loci contiguitatem iacturam, serico panno involutam habitus viri Dei reliquiam caunae silvestris ramo appendit, dicens: o *vir benedicte, alii in ignem reliquias proiiciunt; ego vero non ita, sed eas, ut ignem arceant, huic germini affigo.* His actis, ignis ad marginem loci sui haesit, et dulces arundines licet eum vicinu complicatas et aridas haud attigit. Reliquia interim et sericum velum, et lignum absque ulla laesione steterunt, et quidquid ei circumstabat.

Fortuito candelae incendio conflagrata fuit domus cum omni supellectili Marianae de la Vega incolae Limanae urbis; arcula tamen lignea, ubi inventa fuit reliquia viri Dei cum pretiosis vestibus ipsius mulieris innoxia remansit.

Franciscus Fernandez eiusdem viri Dei reliquiam proiiciens in ignem, qui de nocte domum vastabat cuiusdam incolae civitatis Truxilli, illico flamma, quasi torrenti aquarum obiecta, coercita stetit.

Vir et mulier orantes in oratorio Beati, flamma destitutam cum moerore viderunt lampadem ad eius sepulcrum appensam. At invisibili manu subito illam accensam inspexere.

Eodem anno quo obiit vir Dei Franciscus, e portu Limano solvit navis Francisci Livii ad portum de Pisco perrectura, quae cum accessisset ad tractum oppidi de Cnnete, viginti vel viginti quinque leucis a Lima, ab vehementi ventorum vi nautae ne ad terram impingerent, altum tenuere. At ob nimiam aestus tempestatem confracta ac dissoluta navis, ut navitae evaderent naufragium, unus et viginti eorum scapham ingressi sunt. Verum crescente undarum mole, noctis obscuritate ac ventorum impetu, vicinam mortem metuebant. Tunc Ioannes Rubio de Vargas et socius eius viri Dei implorantes patrocinium, ipsius habitus particulas quas secum deferebant, in mare proiecerunt, et facta mox fuit tranquillitas magna. Post haec incolumes omnes ad fanum de Sureo feliciter appulerunt.

Eadem tunicae viri Dei particula, suadente Isabella de Torres, in undas immissa, ventorum furor quievit, et navis quae a Callai portu ad Aricanum bis centum leucis distabat, undarum furentium motu hac illac iactata, et in plures dissoluta rimas, ad portum de Callao iterum rediit felici cursu cum nautis et viatoribus.

VARIAS INFIRMITATES DEPULIT.

XLV. Tunicae viri Dei tactu filius Petri de Ribera ab octoginta diebus febri, oppilatione, ossium debilitate infirmus, illico convaluit. Similem valetudinem obtinuit tactu eius tunicae Indus quidam infantulus, stupore sensuum et carcinomate ori impendenti omnino insanabilis. Chordae ipsius tactu a gravi sensuum stupore item liber evasit quidam Clemens miles, qui per tres dies nec cibum nec potum sumere valuerat.

Puer quidam in civitate Truxilli ob abscessus gravitatem a medicis derelictus, statim ut aquam ipsius tunicae superfusam potavit, foetidam corruptae materiae e corpore eiecit, et mirabilem adeptus est sanitatem.

Antonia quaedam Maura crebris febrium molestiis, vomitu importuno afflicta haemorrhoidum morbo interius corrosa et praecordiis sauciata et intestinis, ab hera servo Dei commendatur, et ad sui oratorium defertur. Admota faciei eius reliquia, illico oculos aperuit, panis frustulum comedit et paulatim sanitatem obtinuit. Eius domina Clara de Montoyos ad perennem tanti beneficii memoriam, linteum quod puellae tumulandae paraverat, in viri Dei sacello appendit.

Petrus de Soto primus administer oppidi Guanici ob urinae detentionem in vitae discrimen lapsus, quamdam tunicae Beati particulam ad dolentem sibi partem applicari obtinuit, et statim calculum emisit.

Oleo viri Dei lampadis ante eius sepulcrum collucentis eadem urinae detentione, qua laboraverat triginta annorum spatio capitaneus Ioannes a s. Cruce et Padilla vir nobilis, liber omnino evasit. Aperti erant in eo quatuor abscessus, e quibus per patentes canales urina diffluebat. Haec ulcera et statim evanuere.

Idelphonsus Ossorio cathedralis ecclesiae Limanae parochus, dum circa meridiem mensae accubuisset, primam carnis buccellam quam deglutire tentavit, profundo faucium meatui adhaerere sensit. Adfuerunt chirurgi artis experimentum, at frustra, factori. Vix respirabat; interea intumuit eius facies et denigrata est, oculi quasi scintillas igneas emittebant, et guttur velut ad praefocandum compressum turgebat. Ut autem reliquiam ossis Francisci ad eius guttur admovit, ot dixit magno fidei fervore: *pater mi, si sanctus es, ut ego credo, et amicus meus, pete a Deo liberationem meam*. Vix dictis, statim buccella in stomachum decedit, quae licet ipsius fauces sauciasset et copiosum postea sanguinem evomere coegisset, tamen omnino sanus evasit, libere comedit, et eadem die munus suum obivit. Idem sacerdos singulis annis largam eleemosynam offerebat pro sumptibus canonizationis laudati Francisci.

Maria Magdalena de Mirando ab intonsa cordis palpitatione afflicta, libera extitit tactu imaginis viri Dei.

Maria Angela Nigra eumdem morbum tolerabat; insuper cruribus et toto corpore intumuit. Sagum viri Dei sibi confidenter apposuit, illico prompta a tumore et cruciatu liberatio sequuta est.

Caecitate afflictis visum restituit.

XLVI. Blasius ex fratrum praedicatorum ordine, exhaustis pro oculorum medela humanis remediis, ex pulvere viri Dei inhaerenti lutum faciens, eoque oculos inungens, statim visum recepit. Idem ipse plura alia in suis infirmitatibus beneficia obtinuit ab eodem Francisco.

Ludovicus de Guadalupe eiusdem instituti e quadriennio oculorum dolore ob continuum humorum fluxum laborans, unius visionis potentiam amiserat. In ea angustia constitutus, maxime vero una die in qua imparem se vidit ad matutinas horas legendas, sic alloquutus est virum Dei: *o pater Francisce Solane, si vis me de tua sanctitate quam publica fama celebrat, omnino convincere, fac tuis precibus, ut Deus ab hac infirmitate me sanet*. Vix haec cogitavit, facile legit et ab aegritudine liber remansit.

Maria famula Mariae de Salas ob continuos ad oculos humores, a duobus et ultra mensibus caeca omnino remanserat. Eius hera cum nocte oculis eius admovisset pulverem adiacentem viri Dei sepulcro, de mane illam invenit bene valentem in suis oculis. Simile beneficium obtinuit Catharina de Origo visu penitus orbata, palpebris tactis fragmento tunicae viri Dei.

Maria trimestris puella item videndi potentia destituta ac morti proxima, delata fuit ad viri Dei sepulcrum, et celebrato ad eius honorem sacro, in se statim reversa, lac sugere coepit quod haud valuerat a diebus octo.

Mors propinqua repulsatur et mortui ad vitam revocantur.

XLVII. Puellula quaedam gravi infirmitate interiit; eius moesti parentes viri Dei caputium super defunctae filiae cadaver posuere, et subito illa lugere coepit, et novam adepta est vitam.

Infantula biennis ex alto quinque contignationum solario domi Gasparis de Giles in impluvium lapidibus stratum decidens, extemplo occubuit. Ad caput defunctae admota reliquia habitus viri Dei, illa velut a somno excitata revixit, et in ea nullum laesionis signum remansit.

Nicolaus Ioannis Home et Isabellae Rodriquez incolae Limani filius, multis lethalibus infirmitatibus correptus, sensuumque usu destitutus per quadrantis spatium, adstautium indicio, expiravit. Tunc pater exclamare coepit: *o beate pater Francisce Solane, redde mihi filium vivum; et ego beneficii non ingratus, ad sepulcrum tuum novendiales stationes me acturum polliceor, tuque semper mihi peculiari devotione charus existens.* Hisce dictis filius oculos aperuit, et omni aegritudine depulsa, eum sanum cuncti viderunt.

Petrus de Figueroa filius Isabellae de Torres per duos menses acutis febribus agitatus, antu auroram expiravit. Exanime corpus mater ad viri Dei sepulcrum detulit, ubi illacrymans et dolens pro filii resurrectione ad eum preces fundebat. At non exaudita, de sero iterum ibi cadaver eius deposuit; quod cum sequenti mane et exanime invenisset, renovavit preces, ad viri Dei honorem stipendium dedit pro celebratione divini sacrificii. Ad sacrae hostiae elevationem, puer lugere incepit, et mox sanus fieri.

Quaedam mater famula capitanei Petri de Azaua filium suum triennem in fossa incili incaute lavit: illico puer a frigoris rigore affectus et cordis deliquium passus, mortis indicia in oculis, dentibus vultuque dabat. Hieronyma de Santander hera eius pueri labiis habitus viri Dei particulam admovit, et mox oculos aperuit, ora laxavit et linguam solvit.

Decem mensibus puer ex nutricis incuria in fossam aquarum molas tres volventem decidens, per varias fere semimilliari anfractus defertur magno impetu. Maura quaedam forte conspectum puerum pede apprehendit, et ad Catharinam de Leon matrem suam detulit. Mox haec viro Dei Francisco affectuose pro ea se commendans, infra semi-horam puerum vitae redditum vidit, quem mane sequenti ad ipsius oratorium pro gratiarum actione reddenda adduxit.

Ioseph puer anniculus Francisci Garciae et Catharinae Martinez filius a mensae sedili decidens, caput in terram impulsu tam vehementi impegit, ut statim uberem ab oculis et naribus cruorem effundens, per integram horam eius mortem parentes luxerint. At pater Francisci Solani imaginem filio suo imponens, statim puellulus novam vitam recepit.

Eiusdem imaginis tactu vitam perditam obtinuit Petrus filius Mariae Miugolla, Martini Godinez Ternero uxor, praematuro partu natus et repentina aegritudine correptus. Tunc immutato lethi pallore, roseam venustatem in illo conspexit pater eius.

Beatrix de Monroi puella quinquennis, Antonii Dias de Obregon et Mariae de la O filia, e suprema quinque contignationum tabulatu in terram decidens, caput in duas partes divisum, confractum, et unus oculus avulsus in ea apparuit. Exanimi filiae parentes primo admoverunt imaginem viri Dei, ac postea oculum oleo ipsius lampadis inunxerunt. Hinc puella velut a somno excitata exclamavit dicens: *Iesus sit mecum.* Tot laesiones mox evanuere et perfecte convaluit.

Anna triennis puella, Ioannis Ferdinandi Iordani filia, violento equitis cursu super lapides prostrata, in uno temporis largo vulnere sauciata fuit ita, ut nullum vitae indicium daret. A suis invocato viri Dei patrocinio, incolumitatem cita puella obtinuit.

AEGRI SANANTUR VIRI DEI FRANCISCI APPARITIONE.

XLVIII. Ioannes Viafero villicus, ob molestum stomachi languorem copiosum sanguinem ex ore emittebat; insuper haemorrhoidum morbo detentus, cancro interius serpente, praecordia exesa, iecur et pulmones per frustula eiiciebat. Ioanna de Lugo et Torres villici hera pro eius incolumitate emisit votum, et eiuo filia eidem admovit reliquiae particulam viri Dei. Mater ad lectum filii morientis stabat, et extemplo vidit assistentem filio Franciscum novo habitu franciscano indutum. Hinc in spem erecta obtinendae valetudinis filii sui, eadem hora infirmus convaluit, cibum petiit et e lectulo surrexit.

Eadem visione recreata Isabella de Mexia uxor Idelphonsi de Castro convaluit, importunis ulceribus in gutture sauciata; saepe interim ab ore et o naribus copiosum sanguinem emittebat. In maximis angustiis constituto, patrocinium viri Dei iuvocavit, et tunc videns de nocte duos fratres minores od eam accedentes, cognovit unum ex illis fuisse eumdem virum Dei qui prope lectum suum manens, digitos in eius aurem immisit et illico evanuit. Alta tunc voce mulier exclamavit, maritum dormientem excitavit et visionis seriem narravit. Mane facto, vir eius ad oratorium Beati accessit, missam ad sui honorem celebrari curavit, et oleum ex lampadibus acceptum domum ferens, uxoris guttur et aures linivit, et illa subito perfectam valetudinem obtinuit.

Ioannae Ortega Valencia incolae Villae de Carrion infirmae et a medicis derelictae, vir Dei auxilium petenti apparuit dicens: *quid a me petis?* cui illa: *salutem, mi sancte.* His dictis disparuit, et mulier eius beneficio sanitatem accepit.

OLEUM LAMPADUM COLLUCENTIUM AD SEPULCRUM VIRI DEI MULTIPLICATUR.

XLIX. Idelphonsus Martinez Lozano et eius uxor Augustina de Alvarado ampullam vitream oleo lampadum viri Dei haud semiplenam acceperat, licet per binos menses eo usi fuissent, et ad alios pro variis infirmis transmisso, tamen illud nunquam imminutum noverunt.

Angela de Lescano vas vitreum oleo plenum earumdem lampadum e Limana urbe ad regionem de Chiclayo dioecesis Taxcallensis sibi transmitti curavit. Oleum per quinquennium ito crebro infirmis illius provinciae distribuit, ut cum septies ultra vasculi capacitatem eductum haud defecerit. Idem vas oleo vacuum vidit eadem mulier, expetito pro quodam puero urinae detentione laboranti. Cum autem mulier licet multa frustra egisset, ut oleum ex vase obtineret, tunc Deum sic alloquuta est: *quomodo, Domine, nunc deest oleum, ut cum illo miracula dilecti famuli tui cessent? Ostende, Domine, meritorum ipsius virtutem, ut nos eam celebremus.* Vix haec protulit, subito vasculum quod manibus tenebat, visibiliter novo oleo exuberans aspexit. Prodigium evenit anno MDCXXXII., anno vero MDCXXXIX. illud vasculum nondum erat exhaustum.

L. Cuncta haec quae de virtutibus et miraculis viri Dei adnotavimus, transmissae fuerunt od Urbem a commissariis ab apostolica sede delectis. Verum ut primum ad Peruvianorum notitiam devenerunt decreta Urbani VIII. summi pontificis, anno MDCLVI. corpus venerabilis viri Dei Francisci ab ecclesiae coenobii Limani tumulo, in quo publica christifidelium devotione cole-

batur, in valetudinarii oratorium eiusdem coenobii delatum, absque ulla elevatione humili loco conditum fuit. Lampades etiam, imagines, vota, donaria appensa et cuncta tandem cultus indicia ablata, secreto in loco illata fuere.

LI. Iis igitur peractis, iterum causa beatificationis et canonizationis viri Dei Francisci instaurata fuit. Loco apostolici Hispaniarum nuntii assumptus fuit a s. r. congregatione episcopus Tymniensis archiepiscopi Toletani suffraganeus ad informationem capessendam super non cultu et obedientia decretis Urbani VIII. Virtute praefatae commissionis ad annum sibi a s. congregatione die XXII. Novembris concessae, et a summo pontifice Alexandro VII. die XXIV. eiusdem mensis anno MDCLXIV. adprobatae, diligenter ita egit, ut veritas praeallegati non cultus et decretis obedientiae manifeste probaretur.

LII. Ut Romam haec delata fuere, instante fratre Ioanne a s. Didaco Villalon provinciae Andalusiae laico professo et viri Dei causae in curia romana procuratore, eadem s. congregatio propositam et mature discussam sententiam episcopi Tymniensis ratam habuit ac decrevit, constare de sufficienti adimplemento decretorum Urbani VIII. ut plenius in decrato die XXVI. Iunii MDCLVI. emanato continetur. Subinde vero die XXVII. Augusti an. MDCLVII. Clemens papa IX. ad humiles preces praefati Ioannis a s. Didaco Villalon procuratoris benigne concessit, ut in congregatione ordinaria proponeretur et discuteretur, an de validitate processuum auctoritate apostolica confectorum super vita, sanctitate, virtutibus et miraculis servi Dei Francisci Solani constaret. In eius gratiae executionem, re in s. r. congregatione proposita, die X. Decembris MDCLXVII. de validitate dictorum processuum constare, et ad ulteriora progredi posse declaratum est, ac huiusmodi decretum ab eodem summo pontifice die XXVI. Ianuarii anno MDCLXVIII. fuit adprobatum. Tandem post consuetas instantias ac formulas beatificationis sequens decretum vulgatum fuit.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quemadmodum coelestis imperator et magister noster Christus Iesus, qui sedet ad dexteram maiestatis in excelsis egregia functos militia super terram pugiles suos, qui virtute ex alto induti et spiritu facta carnis mortificantes, non solum voluntatem suam cum omnibus concupiscentiis crucifixam Deo in holocaustum obtulerant in odorem suavitatis, sed etiam luculentas de impietate victorias reportare, et gentes quae Deum non noverant ad veritatis agnitionem adducere meruerunt, perennis gloriae corona donat in coelis, ita et nos qui eius vices, licet immeriti, in hac terrena statione gerimus, Magistri nostri vestigiis, quantum nostra fert infirmitas, inhaerentes, illorum cultum et venerationem in terris promovere studemus, sicut ad divinae maiestatis gloriam, ad eius ecclesiae praesidium, ad aedificationem fidelium et animarum salutem cognoscimus in Domino expedire. Cum itaque mature diligenterque discussis atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus, de apostolicae sedis licentia confectis super vitae sanctitate et virtutibus tam theologicis quam moralibus in gradu heroico, quibus servus Dei Franciscus Solanus ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum professor multipliciter claruisse, necnon miraculis quae ad eius intercessionem et ad manifestandam mundo

illius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem congregatio coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, unanimiter censuerit, posse quandocumque nobis videretur, ad solemnem eiusdem servi Dei canonizationem tuto deveniri, interim vero indulgeri, ut in toto terrarum orbe Beatus nuncupetur; hinc est, quod nos piis et enixis charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici ac charissimae in Christo filiae nostrae Mariannae earumdem Hispaniarum reginae catholicae viduae eius genitricis, necnon totius praefati supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de praefatorum cardinalium consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolica praesentium indulgemus, ut memoratus Dei servus Franciscus Solanus in posterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium, non tamen in processionibus circumferenda exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die prima non impedita post diem felicis eius obitus recitetur officium et missa celebretur de confessore non pontifice iuxta rubricas breviarii et missalis romani. Porro recitationem officii et missae celebrationem huiusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet in oppido Montiliac in quo dictus servus Dei natus est, in civitate Limana unde ad coelos evolavit et ubi eius venerabile corpus requiescit, ac in provincia Tecumana in quam catholicae fidei nova semina feliciter invexit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus quam regularibus qui ad horas canonicas tenentur, necnon in toto ordine praefato tam fratrum quam monialium; et quantum ad missam attinet etiam a sacerdotibus ad ecclesias eiusdem ordinis confluentibus. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, et quoad Indias a die quo eaedem literae illuc pervenerint inchoando in ecclesiis oppidi et civitatis, ac provinciae et ordinis praefatorum respective solemnia beatificationis eiusdem servi Dei cum officio et missa sub ritu duplici maiori, die ab ordinariis respective constituta, et intra sex menses promulganda, postquam tamen in basilica principis apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, quam ad rem die xxx. Iunii proxime venturi assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem; Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die xxv. Ianuarii MDCLXXV. pontificatus nostri anno v.

LIII. Anno MDCLXXXVIII. s. r. congregatio concessit facultatem progrediendi ad processum canonizationis beati Francisci Solani hisce verbis expressam: *s. r. congregatio remisso, sibi supplici libello ss. domino nostro* (Alexandro papae VIII) *porrecto a p. fr. Francisco Rossellon postulatore causae praedicti b. Francisci Solani ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Chisii ponentis, censuit posse dispensari et concedi, ut in congregatione ordinaria s. r. cum interventu consultorum proponi et discuti valeat dubium super miraculis, quae supervenerunt post illius beatificationem in casu et ad effectum de quo agitur, decretis aliisque in contrarium quibuscumque non obstantibus, si ss. domino nostro visum fuerit. Hac die XXIV. Ianuarii MDCLXXXVIII. Et facta de praedictis sanctissimo relatione, sanctitas sua benigne annuit die XXVII. Ianuarii an. MDCLXXXVIII.*

LIV. Institutus de miraculis b. Francisci processus, Romae anno MDCXCII. lucem aspexit: nos ea miracula quae post indultum a sede apostolica *Beati* *Acta ss. ibid. p. 906.*

titulum evenerunt, notamus ex actibus excerpta pro eius canonizatione. Maria de Aguilar una cum filia et nepte in cubili somno detentis nocturno tempore, domus repente concidit. Ad ruinae strepitum Beatum protinus invocaverunt, quibus praesto fuit; nam tota domo diruta, ea pars ubi quiescebant, immota permansit, absque earum ulla laesione. Domus etiam suppellex et vas olei od usum lampadis Beati iugiter ad eius imaginem ardentis, item illaesi permauserunt.

Ioannes Bellimar trium annorum puer cecidit e fenestra ab altitudine decem et octo palmorum in publicam viam, lapidibus structam. Beato commendatus, repente puer mortuus revixit, et absque laesione incolumis repertus fuit.

Ioanna Rodriquez, Ioannes Mathias et Franciscus filii eius, et Ioannes Perez cum vidissent et audissent ruinam cuiusdam domus circa horam dimidiam noctis, eidem Beato se commendarunt, et absque laesione inter ruinas remanserunt.

Puer annorum trium cum dimidio nomine Franciscus Solanus, e superiori parte turris ecclesiae recenter instructae Montilliae in domo eiusdem Beati, altitudinis palmorum circiter viginti septem lapsus, nullum vitae signum edebat. Eum iacentem tamquam mortuum sustulit in brachiis Alphonsus Ruiz, et obvio Ioanni de Zeo patri suo obtulit, suggerendo recursum ad Beati intercessionem. Puerum pater ad Beati sepulcrum detulit; antequam autem eo accessisset, exanimem filium ad vitae munia et pristinae sanitati restitutum esse vidit.

Franciscus Antonius Solanus e fenestra cadens, rupta vena in posteriori parte, cum fluxu sanguinis remansit per novennium. Tumoribus etiam ulceratus, et phtisi affectus, iam morti proximus erat. At eius mater eum inungens parti laesae oleo lampadis Beati, incolumis redditus est et sanus.

Catharina Bernarda de Aran puella annorum quatuor in proximo vitae periculo constituta ob haustam in aqua hirudinem latentem, crucis tactu olim ad Beati usum statim convaluit, hirudine ex ore emissa.

Ex eodem crucis Beati tactu ab anginae morbo integre evasit incolumis Idelphonsus Marquez de Espexo, impotens omnino ad cibum et potum a sex diebus.

Maria de los Sanctos filia Ioannae de Blancas magna gutturis tumefactione cum valida febri laborabat, unde nec cibum recipere nec respirare poterat. Eius mater imposuit super infirmam filiam Beati imaginem, quae illam manibus tenens et illacrymans, pro sua incolumitate orabat. Extemplo evomuit putrem humorem, et mox bene se habuit.

Ioanna Munoz vidua sexagenaria septem dierum spatio partes oris inferioris, sive mandibulas habuit dilapsas e loco suo. Cum alimentum sumere haud valuisset, morti proximam se credebat. At precibus se Beato commendans, mandibulas loco suo restitutas cognovit.

Ioannes Traperus magno tumore sub genu dextro afflictus, ardentibus febribus et atrocissimis doloribus per quatuor hebdomadas laboravit. Nec caput elevare, nec alimentum sumere poterat. Ingravescente morbo, Beato se commendavit, et erupto tumore sanitati restituitur.

In sinistra mammilla a septennio dire affligebatur a periculoso cancro Ioanna de Blancas Canero. Omni humano remedio destituta, Beatum invocavit, et parti laesae eius imaginem de nocte admovit. De mane evigilans, dolores quibus antea erat exagitata, nullos experta est. Ecclesiam petivit; sacramentalem confessionem emisit et eucharisticum panem sumpsit. Domum reversa, repente

tumor orupit, et cancrum facile sine doloribus patientis et absque sanguinis effusione extraxit chirurgus.

Franciscus Antonius Perez presbyter saecularis ob diuturnam malignantem febrim morti proximus, missam pro eius valetudine recuperanda celebravit in altare Beati Ludovicus Perez item sacerdos saecularis; in actu oblationis sacrificii quoddam animi solatium expertus est, et domum repetens, infirmum invenit absque febri ot paullo post perfecte se convaluit. Ambo obtulerunt Beato imaginem valoris tercentorum ducatorum.

Laurentius de Aquilar sacerdos franciscani ordinis Montiliam pervenit, febri hectica a diuturno tempore afflictus, a qua, liret multis humanis remediis adhibitis, nunquam potuit esse liber. Verum in spem erectus valetudinis consequendae. beati Francisci meritis, oratorium eidem sacrum invisit, et oleo lampadis coram ulus icone collucentis sese perlinivit. Illico melius se habuit, et per quatuor dies inunctus ad integrom sanitatem pervenit.

Plures epidemiae morbo affecti in civitate Montiliae Beati ope convaluere. Iosnna Francisca Hurtado duobus bubonibus in inguine affecta, ob pudorem occultabat. Haec matri suae revelans in extremis ferme constituta, ambo se commendarunt Beato. Ex tunc incepit se melius habere ac inde perfecte sanari. Eius domus subindo libera fuit a diro serpente contagio.

Eodem contagio correpta fuit Maria del Pino septuaginta sex et amplius annis nata, quae in extremis loborans, ut eius filii celebraro fecerunt in Beati honorem unum missae sacrificium in suo oratorio, statim o febri liberam se sensit et omnino incolumem.

Lampadis oleo Beati inuncta, sana evosit Ioanna de Blancas habens cum lethali febri in oculo sinistro tumorem quemdam, vulgo *Carbunco*.

Petrus Arona eiusdem olei unctione perfecte convaluit ex pestilenti tumore in inguine eum ardentissima febri atrocissimisque doloribus. Eodem morbo et eadem olei unctione convaluere Antonius Straperus et Emmanuel Cordon.

Francisca Victoria Soriano vomitu, deliriis ac vehementi febri ob contractum epidemiae morbum affecta, sub eius axillis inspecti fuerunt plures bubones, magna duritie per se ferentes. Frustra adhibuerunt medici humana remedia, imo ingravescente morbo, sacramentis ecclesiae munita fuit. Morti proxima, Anna Maria eius mater ad Beati opem confugiens, tradidit filiae imaginem Beati. Vix illa buboni admovit sub brachio sinistro, illico morbus disparuit; idipsum praestitit alteri buboni, et ex omni parte valetudinem recuperavit. Inde invocato ab eius filia Beati patrocinio, libera extemplo evasit et mater, quae ex filiae cura eodem morbo affecta fuerat. Petrus etiam filius Annae Mariae eodem contagio iisdemque morbis correptus, sanus rediit ad tactum imaginis Beati, et sequenti die ruralia munia obivit.

Haec de huiusmodi contagii exordio et exitu narrant pp. Bollandistae. « E villa Monturquensi quae pestifero morbo augebatur, nonnulla fuere invecta Montiliam, ex quorum contactu sub mense Iunii MDCLXXXI. eodem lues civitatem illam invasit. In dies vires acquirens eo pervenit, ut ineunte anno MDCLXXXII. ex quatuor mille personis (quem numerum dicta civitas non excedit) quatuordecim et quindecim quotidie comperirentur deficere, partim febribus malignis, partim carbunculis ac bubonibus in inguinibus et sub axillis occumbendo. Ad huiusmodi stragem coercendam plures medici convenere, et praesentientes illam non posse ulterius obtegi, quemadmodum antea sate-

geraut, sub finem Martii eiusdem anni obvinni infectis ad curationem nosocomium instituere. Haec efferrata morbi grassatio aequo pede pertinaciter semper incessit. Quapropter postremis diebus mensis Aprilis, humanis diligentiis compertis inutilibus, subiit animos religiosorum e franciscana familia ad nostri Beati opem habere confugium. Processione igitur indicta, Beati imaginem precibus et corporum afflictationibus comitantes sisterunt ad nosocominm, ibique reliquerunt infirmariis duo canistra, alterum passis uvis, crustnlis alterum repletum penes dictam imaginem una simul delata, ut sub dicti Beati munimine aegris distribuerent. Subinde iisdem religiosis civitatem eadem cum imagine peragrantibus, plurimi confluxere dictam processionem insequentes, ac intercessionem Beati piis lacrymis, publicisque clamoribus implorantes. Sub vespertinis horis nosocomii administri ad praedictam distributionem inter infirmos devenere, degustatisque dictis uvis et crustulis, statim infirmi convaluerunt ita, ut postera die comederint cibos nedum sibi appositos, verum etiam qui pro ministrantibus erant parati. Miraculum actum fuit ex eo, quod nec die praedictae processionis nec in sequenti ullus ex infectis obiit, nullusque fuit in eadem civitate repertus indigens nosocomio, quod propterea infra paucos dies obseratum extitit ».

Hydropisiae infirmitate affectus a biennio Ioannes Franciscus a Sanctis parvulus quinque annorum, plorando petiit salutem a Beato cui a parentibus admota eius imagine ipsa die sanitati fuit restitutus.

Uxor Emmanuelis Solano ob colicae morbum ad extremum vitae ducta, tactu imaginis Beati statim eius alvus exoneratus est, et integre convaluit.

Iosephus puerulus, filius Hieronymi Trillo equitis s. Iacobi ob violentas morbi comitialis commotiones hernica fractura laborans, unctione olei lampadis Beati repente sanitatem adeptus est.

Ioanna de Blancas deposuit in processu canonizationis Beati quamdam puellulam tribus mensibus a sui nativitate oculos non operuisse, ac ex illis emanasse humorem foetidum sanguine mixtum. Pro ea sacrificium ad Beati sepulcrum celebratum, illico oculos aperuit et absque laesione remansit.

Maria Ruiz septuagenaria in morbum incidit attractionis manuum et crurium, unde nec se movere nec incedere nec cibum sumere sine alterius auxilio valebat. A medicis post adhibitis multis remediis derelicta, invocavit Beati auxilium, et sponsione facta visitandi suum oratorium nuper instructum modo quo poterat. Hinc primo adhibitis duobus fulcris ad ecclesiam accessit, diminuta mox infirmitate. Postera die etiam adivit ipsius oratorium, manibus tamen et pedibus ad motus aptitudinem magis paratis. Tertia postremo die licet iter perageret fulcrorum ope, filia tamen dumtaxat, nec ullo olio usa est. In oratione ferventi Beato magna fiducia dicebat, se nolle domum suam repetere, nisi valetudine impetrata et absque fulcris. Aegra protinus exaudita fuit; nam circuivit novies orando oratorium et altare Beati, ac inde manibus et pedibus libera domum absque fulcris rediit; fulcra tamen ad vulgandum prodigium in manibus gestabat.

Maria Hieronyma de Aguilar in lucem edidit feminam, sed secundas, ut dicunt, nunquam valuit. Accesserunt medici, qui frustra adhibuerunt humana remedia. Adstabat mater infirmae Ioanna Fernandez de Sotomaior, quae imaginem Beati magna cum devotione et precibus admovens corpori infirmae, eodem ferme tempore illa secundas emisit absque dolore, linguam solvit, et alta voce exclamavit: *miracolo, miracolo.*

Maria a s. Gregorio post infantem in lucem editum, cum secundas non emisisset, cognovit obstetrix alium infantulum remansisse, qui post quatuor horas brachium emisit, eoque in statu per quatuor horas permansit. Ad extremum constituta, sacramentis ecclesiae munita fuit. Foetus autem eodem modo perseveravit per alias vigintiquatuor horas. Allata tunc ei fuit imago beati Francisci, et omnes circumstantes coram ea genuflexi pro infirma orantes, mulier secundum infantem peperit, secundas emisit et absque sui laesione permansit.

LV. Beati Francisci canonizatio aliquo tempore, sicut in operosis huiusmodi inquisitionibus esse solet, suspensa remansit, licet postulatores causam identidem resumpsissent. Id patet sequenti s. r. congregationis decreto pro eius canonizatione vulgato. *Dudum, scilicet die XII. Aprilis MDCCXII. coram sanct. mem. Clemente papa XI. habita fuit congregatio generalis s. rituum, in qua cl. mem. cardinalem Bichium tunc ponentem seu relatorem proposita fuit causa Limana canonizationis beati Francisci Solani ordinis minorum s. Francisci de observantia super dubio, an constet de relevantia eorum quae supervenerunt post indultam eidem Beato venerationem; discussisque nonnullis miraculis a Deo, ut asserebatur, intercessione eiusdem Beati patratis, nulla hinc prodiit resolutio. Inde vero eodem summo pontifice e vivis erepto, postulatores causae praedictae nonnisi anno MDCCXXIII. san. mem. Innocentio XIII. supplicem libellum porrexere, quo novum miraculorum examen sub die X. Septembris anni eiusdem impetrarunt. Proposita itaque per reverendissimum d. cardinalem Scottum, loco reverendissimi d. card. Fabroni absentis, in generali congregatione s. r. coram ss. d. n. Benedicto XIII. die IX. Iulii praesentis anni, denuo causa super eodem dubio subiectisque novo examini iisdem miraculis, sanctitas sua auditis dominorum consultorum et reverendissimorum cardinalium suffragiis, resolutionem eo die differre censuit, ut prius de more tum suis tum aliorum precibus coelestis luminis opem imploraret. His itaque abunde impletis, infrascripta die seraphico ecclesiae doctori divo Bonaventurae ordinis minorum sacra, et in qua idem beatus Franciscus Solanus ad superos evolavit, tria sequentia miracula in tertio genere approbavit, nimirum: primum repentinae sanationis Ioannae de Blancas a tumore cancrenoso; secundum instantaneae liberationis civitatis Montiliae a peste; tertium instantaneae sanationis Franciscae Victoriae a peste et febri maligna. Ac insuper decrevit, stante miraculorum horum approbatione, tuto ad solemnem canonizationem beati Francisci Solani quocumque faciendam procedi posse, et ita etc.* Acta n. ibid. p. 886.

Romae hac die XIV. mensis Iulii MDCCXXVI.

C. card. de Murinis praefectus.

Loco ✠ Sigilli

N. M. Tedeschi arch. Apamenus s. r. c. secretarius.

LVI. Tandem Benedictus XIII. pontifex maximus edita constitutione in ss. numerum b. Franciscum solemniter adscripsit.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad fidelium Dei servorum gloriam in terris manifestandam, unde cultus divinus maxime augeri, et frigescentia corda hominum ad verae pietatis opera, praeclaris eorum exemplis inflammari atque erigi possint libenti et pervigili animo intendimus, quoniam Christum Dominum in sanctis eius laudare iubemur. Hinc beatum Dei servum Franciscum Solanum ex ordine fratrum minorum qui a regulari observantia nuncupantur, christianarum virtutum praestantia et miraculorum numero illustrem nacti, magnum populis nostrae solicitudini creditis praesidium nos allaturos putavimus, si eum solemni s. r. e. caeremonia hac die in honorem b. Ioannis apostoli et evangelistae Deo sacra sanctorum confessorum non pontificum canoni adscriberemus.

§. 1. Montiliae Hispaniae Baeticae oppido sub ecclesia Cordubensi quam complures Christi martyres nobilitarunt, voluntate martyr futurus, lucem vitalem aspexit VI. idus Martias anno reparatae salutis MDXLIX. ingenuis piisque parentibus ortus, qui filium timorem Dei virtutesque christiano homine dignas solicite docendum curarunt, quibus ipse animo accensus, in fratrum minorum qui a regulari observantia nuncupantur, sacram familiam adolescens cooptatus est. In ea miris et multis severioris disciplinae christianaeque humilitatis argumentis eluxit, die noctuque divinae pietatis assiduaeque poenitentiae exercitiis intentus, beatos etiam illos patres Benedictum et Franciscum imitatus, qui se nudos inter pungentissimas spinas proiecerunt, ut omnem vim sensuum domarent. His aliisque praeclaris animi dotibus ex eius admirando tenore vitae identidem prodeuntibus, sacris ipse concionibus quas ardentissima charitas caeteraeque eximiae virtutes in eo fulgentes, ornabant, animas lucrifaciens, Sancti elogium passim consequutus est, praesertim ubi aegri pueri corpusculum totum ulceribus tectum, amotis linteis, lambens, sanitati restituit.

§. 2. Sed lue crudeli grassante in Hispania Baetica maximam suam charitatem Dei famulus morbo pestifero tabescentibus patefecit, ubi humano et spirituali solatio destitutis in tanta calamitate opem laturus, pereuntium animabus corporibusque curandis, nulla mortis formidine territus, summam operam dedit; imo et ipse mortali contagione infectus, et manu Dei sospes redditus, in pristino ministerio usque ad lethalis morbi finem se alacrius exercere perrexit.

§. 3. Per ora omnium Solani sanctitatis fama percrebescente, vir modestissimus qui Dei non suam gloriam quaerebat, se ei clam subducere cogitavit. Quare martyrii pro Christo subeundi percupidus, hanc sibi gratiam a maioribus dari humillime flagitavit, ut in Africam verbum Dei praedicaturus traiceret. Compos tamen voti nequaquam factus, hoc tandem obtinuit, ut ad remotissimos Indos evangelica doctrina imbuendos cum aliis verbi Dei praeconibus navigaret. Animarum salutem multis iisque gravissimis maris terraeque periculis vir Dei praeferens non sine prodigio ad vineam sibi o Deo paratam laboriose excolendam cum sociis applicuit, utque oves errantes ex lupi faucibus ereptas summo pastori servaret, nullis incommodis et vigiliis pepercit. Alienas aerumnas suas ratus, Deique amore et proximi aestuans, linguo gentium divinitus percepta, suavissimos sermones habens, Dei gratia id praestitit, ut barbari deposita feritate, ad Solanum instruendi ultro et certatim accurrerent;

Digitized by Google

unde factum est, ut innumeram eorum multitudinem sacro fonte regeneraret, tanti apud omnes habitus, ut ipse ab iis facile obtineret quae alias poenarum metus at rigor extorquere non poterant. Quantum eius praesentia piique sermonis vis apud Indos posset, tunc maximo patuit, quum multa millia infidelium, christianis de more in dominicae passionis mysteriis recolendis feria v. in coena Domini sancte occupatis cruentam caedem iamiam allatura, ipse Dei verbo exarmavit, diversaeque ac sibi ignotae linguae barbaros homines uno idiomate allocutus, non solum pacem suasit, sed ad Christi fidem super novem millia convertit. Pervulgata Francisci fama, miris gestis identidem aucta, ipse ad latibula confugiens, eam declinare conabatur, nec nisi maiorum imperio obtemperans, munera sibi imposita obivit, donec Limam, orbis Americani principem civitatem missus, incolarum animos ad poenitentiam cohortatus, ni agant, alter Ionas extremam cladem interminatur. Nec mora, omnes ad seriam criminum suorum poenitentiam agendam perduxit.

§. 4. Interim summa pro Dei gloria amplificanda laboribus confectus, supremae vocationis diem sibi imminentem agnoscens, sanctissimis ecclesiae sacramentis muniri voluit, et pridio idus Iulii anno Christi Domini MDCX. in honorem beati ecclesiae doctoris Bonaventurae cuius patrocinio se olim addixerat, Deo sacro, manibus in crucis figuram compositis, pias oratiunculas recitans, semperque in Domino fixus, in coenobio Limano ss. nominis Iesu expiravit. Francisci anima in coelum recepta, sacrae eius exuviae antea subnigrae, mox pulchrae et candidae suavique odore perfusae, undique ad eas venerandas concurrentibus populis, eiusque vestium particulas sibi pro sacris reliquiis servandas parare contendentibus. Solani postea virtutibus et miraculis omnium praeconio ubique diffusis, et apud hanc sanctam apostolicam sedem probatis, piae memoriae antecessor noster Clemens papa x. nono calendas Februarias anno salutis MDCLXXV. Franciscum Solanum solemni ritu s. r. e. beatis adscripsit.

§. 5. Postmodum vero per venerabiles fratres nostros s. r. e. cardinales novis miraculis a tempore eius beatificationis patratis, in praesentia nostra aeque discussis, inque tribus consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium s. r. e. cardinalium, atque etiam patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum Romae praesentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per sedis apostolicae notarios coram nobis excepta, rogumque ac principum christianorum, totiusque ordinis fratrum minorum pro beato Francisco Solano in sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo, precibus nobis enixe porrectis, post tantae rei perficiendae solemnem diem indictam, perque orationes, ieiunia et eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis quae ex antecessorum nostrorum romanorum pontificum constitutionibus, et s. r. e. disciplina agenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem b. Ioannis apostoli et evangelistae Deo sacra, una cum eisdem venerabilibus fratribus nostris s. r. e. cardinalibus, patriarchis archiepiscopis, episcopis ac utriusque cleri et populi frequentia in sacrosanctam basilicam principis apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum et tertio pro viro Dei Francisco Solano in sanctorum confessorum canonem referendo, per venerabilem fratrem nostrum Laurentium s. romanae ecclesiae episcopum cardinalem Tusculanum, Corsinum nuncupatum, precibus repetitis, post decantatas sacras orationes et Spiritus sancti gratiam humillimo invocatam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem et

christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii, et Spiritus sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicae vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, beatum Franciscum Solanum Hispanum ordinis fratrum minorum, qui a regulari observantia nuncupantur, de cuius sanctitate, fidei sinceritate et caeterarom virtutum et miraculorum excellentia plene constabat et constat, una cum beatis viris perinde confessoribus non pontificibus, Peregrino Latioso a Forolivil ordinis fratrum servorum beatae Mariae virginis, et Ioanne a Cruce ordinis fratrum excalceatorum beatae Virginis a Monte Carmelo sanctornm esse definivimus, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus et definivimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus et adscribimus, eumdemque per omnes christifideles tamquam vere sanctum honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab ecclesia universali in eius honorem aedes sacrae et altaria in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, construi possint, et quotannis pridie idus Iulias, quo die ad coelestem patriam evolavit, solemnia eius natalitia, ut sancti confessoris non pontificis celebrari possint.

§. 6. Insuper eadem auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eadem solemni die natalitio in memoriam b. Francisci Solani quotannis ad sacras eius exuvias venerandas accesseriet, annum et quadragenam; iis vero qui in octava eiusdem festi quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

§. 7. Postremo gratiis Deo actis, quod ecclesiam suam insigni novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sanctorum Francisci Solani, Peregrini Latiosi et Ioannis a Cruce solemni oratione, in ara maxima supra confessionem principis apostolorum sacrosanctum missae sacrificium celebravimus cum eiusdem confessoris et caeterorum commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

§. 8. Decet igitur, ut pro tam peculiari magnoque beneficio nobis concesso omnes benedicamus et glorificemus Deum Patrem et bonorum omnium auctorem, cui est honor et gloria in saecula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui Francisci Solani a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiae suae, immittatque timorem sui super gentes, quae non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

§. 9. Caeterum quia difficile foret praesentes nostras literas ad singula loca ad quae opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu publici notarii subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

§. 10. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo vigesimo sexto vi. calendas Ianuarii pontificatus nostri anno iii.

✠ Ego Benedictus catholicae ecclesiae episcopus.

†
† Ego Franciscus episcopus Ostiensis cardinalis Barberinus.
†
† Ego Petrus episcopus Sabinensis cardinalis Otthobonus s. r. e. vice cancellarius.
† Ego Laurentius episcopus Tusculanus cardinalis Corsinus.
† Ego Ioseph Renatus tituli s. Georgii in Velabro presbyter cardinalis imperialis.
†
† Ego Philippus Antonius tituli s. Praxedis presbyter card. Gualterius.
†
†
†
†
†
†
† Ego Annibal tituli s. Clementis presbyter card. s. Clementis Albanus s. r. e. camerarius.
† Ego Ludovicus tituli s. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Ioannes Antonius tituli s. Callixti presbyter card. de Via.
†
† Ego Antonius Felix tituli s. Balbinae presbyter card. Zondadarius.
†
† Ego Petrus Marcellinus tituli s. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Corradinus.
†
†
† Ego Curtius tituli s. Eustachii presbyter card. Origus.
† Ego Melchior tituli s. Mariae Angelorum presbyter card. de Polignac.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Nicolaus tituli ss. Nerei et Achillei presbyter card. Spinola.
† Ego Cornelius tituli s. Hieronymi Illyricorum presbyter cardinalis Bentivolus de Aragonia.
†
†
† Ego Ludovicus tituli s. Priscae presbyter card. Belluga et Moncada.
† Ego Ioseph tituli s. Susannae presbyter card. Pereira de la Cerda.
†
† Ego Alvarus tituli s. Bartholomaei in Insula presbyter card. Cienfuegos.

† Ego Bernardus Maria tituli s. Bernardi ad Thermas presbyter cardinalis de Comitibus maior poenitentiarius.
† Ego Ioannes Baptista tituli s. Matthaei in Merulana presbyter cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius tituli s. Honuphrii presbyter card. Petra.
† Ego Prosper tituli s. Chrysogoni presbyter card. Marifuscus.
†
† Ego Nicolaus tituli s. Mariae in Domnica presbyter card. Coscia.
†
† Ego Nicolaus Maria s. r. e. presbyter card. Lercarius.
† Ego Frater Laurentius s. r. e. presbyter card. Cozza.
†
† Ego Benedictus s. Mariae in Via Lata diaconus card. Pamphilius.
† Ego Laurentius s. Agathae ad Montes diaconus card. de Alteriis.
† Ego Carolus s. Angeli in Foro Piscium diaconus card. Columna.
†
†
†
† Ego Iulius s. Adriani diaconus card. Alberonus.
† Ego Alexander s. Mariae in Cosmedin diaconus card. Albanus.
† Ego Alexander s. Mariae de Scala diaconus card. Falconerius.
† Ego Nicolaus s. Mariae ad Martyres Diaconus card. Iudice.
†
†
†
†

P. card. prodatarius
Pro. d. card. Oliverio
C. archiepiscopus Emissenus.
Visa
De Curia L. archiepiscopus Ancyranus
L. Martinettus.

LVII. Varia ad s. Francisci Solani honorem concessere romani pontifices. Idem pontifex Benedictus xiii. datis literis die xiv. Augusti anno mdccxxix. largitus est indulgentiam plenariam christifidelibus sacra eucharistia refectis visitantibus ecclesias ordinis die xiv. Iulii. Mandato pontificis Benedicti xiv. sacra rituum congregatio probavit die xxvi. Iulii an. mdccli. lectiones proprias ii. nocturni cum oratione tam pro die festo quam pro eius octava. Item concessit, ut in eius festo diebusque singulis per octavam tum in divino officio tum in missa legeretur evangelium *Euntes in mundum universum* etc. una cum homilia s. Gregorii papae *Potest omnis creaturae* etc. quae legitur in festivitatibus ss. Cyriaci et sociorum mm. et in die s. Francisci Xaverii. Ita ex decreto eiusdem s. c. r. die xxvi. Septembris an. mdcclvii. vulgato.

LVIII. Ab eo tempore in ecclesiis seraphici ordinis incepit decantari in laudem s. Francisci hisce verbis expressum sequens, ut aiunt

RESPONSORIUM

Si quaeris nunc prodigia,
  A lobe cor purifica;
  Votis Franciscus aderit,
  Qui terrae motum comprimet.
Pellet languores corporis.
  Corda metu nutantia
  Firmabit, et laetitia
  Perfundet ima pectoris.
Oh iam Francisce propera,
  Ne terrae moles contremat,
  Devota gens hoc postulat,
  Te colens inter sydera.
Pellet etc.
Gloria Patri et Filio
  Et Spiritui sancto.
Pellet etc.

℣. Ora pro nobis beate Francisce,
℟. Ut digni efficiamur etc.

ORATIO.

Deus, qui plurimas Americae gentes per beatum Franciscum ad sinum ecclesiae perduxisti: eius meritis et precibus indignationem tuam a peccatis nostris averte, et in gentes quae te non cognoverunt, timorem nominis tui benignus immitte. Per Dominum etc. Amen.

LIX. In laudato conventu Limano occurrit obitus Petri Salvatoris a Palo, vir in adversis miraculum patientiae, profundoe humilitatis carnisque mocerationis. Stultum pro Christo se simulabat in cunctis, saepeque ut fatuus habitus, verberibus ac maledictis afficiebatur. Nemo in iis constitutum turbatum, aut iratum vidit. Daemonum insidias ac fraudes facile eludebat. Post sui mortem corpus quod tractabile ac molle adparuit, miram suavitatem emittebat. Die xiv. Decembris eodem in coenobio occubuerunt Alphonsus de Lima et Franciscus Podgnalio et Ayora, quorum alter prae fama suae sanctitatis a confluentibus ad eius funus habitus particulae velut reliquiae capiebantur; postremus vero a Deo ecstasis dono exornatus erat. Non semel sacrum solemne die sabbati celebrans, cum postremam orotioaem decantaret, extra se factus, nonnisi aliorum ope ab altari recedebat.

Petrus Salvator a Palo. *Corduba in vita s. Francisci Solani apud Hueber ad diem 25. Novembris.*

Alphonsus a Lima et Franciscus de Podgnalio. *Idem ad diem 14. Decembris.*

LX. In conventu Emeritae in provincia de Iucatan obiit die xxiv. Mali Ioannes de Quartos, natus in oppido de Almagro, cooptatusque inter fratres observantes provinciae Castellae. Triginta et octo annos insumpsit in infidelium conversione. Praestans orat picturae, caelaturae et architectonicae artium cultura, quarum ope infideles excitabat ad Christi fidem prosequendam. Eo magistro plures ex indigenis huiusmodi artes calluere subinde. Multis interim virtutibus florebat, obedientia praesertim et paupertate. In eodem conventu

Ioannes de Quartos. *Lopez pag. 912.*

Digitized by Google

raptus est die sequenti Ferdinandus in eadem urbe natus, patre Ferdinando de Sopuerta Hispano, Lucatanicae provinciae catholici regis nomine victore. Emissis votis Mexicum advenit studiorum causa, ubi tam excultus evasit in divinis rebus ac virtutibus, ut in suam provinciam reversus, anno aetatis suae vigesimo septimo munus illius moderandae commissum fuerit. Cunctis sodalibus sese praebuit virtutis exemplar, maxime vero eximiae paupertatis; vitam enim semper duxit in summa egestate.

Ferdinandus de Sopuerta. *Idem ibidem.*

LXI. Mexici in conventu s. Francisci obiit die xxiii. Maii Didacus Sanchez laicus ea in civitate ortus. In iugi oratione exardescebat amore Dei, et non semel orationis praesidio obtinuit a Deo cibaria fratribus summa inopia laborantibus. Hoc eodem anno aetatis suae lxxx. vitam commutavit cum morte in conventu Populae de Angelis eiusdem provinciae Didacus de Guadalcanal item laicus, vitae puritate ac simplicitate decoratus. Totius ferme noctis tempore delectabatur flexis genibus in recolendo Iesu Christi amore in ss. eucharistiae sacramento. Maximo fuit adiumento apostolicis viris tum in institutione neophitorum, tum in delendis idololatriae signis tum etiam in eruendis idolis, quae sparsim occurrebant per loca. Ulcera diu sustinuit foeda in manibus summa patientia, saepe interim ingeminans Iesu et Mariae nomina.

Didacus Sanchez. *Torquemada tom. 3. pag. 595.*

Didacus de Guadalcanal. *Idem ibid. pag. 596.*

LXII. Die xxix. Ianuarii in conventu s. Francisci Eborae in provincia Portugalliae dormitionis requiem accepit Christophorus Guardilha illius coenobii praeses. Commendatur prae sui comitate, modestia, ac eximia animarum salute in disseminando Dei verbo. Eius funus honestarunt cives utriusque sexus. In coenobio s. Francisci de Scalbais eiusdem provinciae obiit die xvi. Februarii Romanus ea in urbe ortus, qui, defuncta uxore, inter laicos connumeratus, per humilitatis, austeritatis et obedientiae vias impigre incessit. Pisces ac carnes nunquam comedit. Gestabat asperrimum cilicium, et flagellis ita se caedebat, ut membra licet tabe affecta, ullo remedio uti possus sit. Ulysipone et die vi. Maii occubuit Stephanus a Spiritu sancto item laicus. Tanta erat humilitate, ut et se mancipium in instituto et indignum se reputaret gestandi franciscalium tunicam. Saepe gravi lignea cruce onustus per interiora coenobii et hortorum incedebat, ut aliquo modo experiretur in suo corpore dolores quos Christus tulit crucem baiulans per calvarii viam.

Christophorus Guardilha. *Agiologium Lusit. ad diem 29. Ianuarii.*

Romanus de Scalbais. *Idem ad diem 16. Februarii.*

Stephanus a Spiritu sancto. *Idem ad diem 6. Maii.*

LXIII. Raptus est in conventu s. Francisci Villaenovae de la Zara in provincia Carthaginensi Franciscus de Ziezar et Altamirano, concionator apostolicus, theologus praeclarus, egregiisque virtutibus excultus. Sacrum peragens, visus fuit aliquando vivida luce perfusus. Decessit in conventu Cordubae in provincia Granatensi Franciscus a Cruce, angelica puritate exornatus. Diu munus exegit confessarii ac ferventissimi concionatoris, et eo charitatis ardore, ut multos devios ad poenitentiam revocaverit. Varia tulit a daemone, cum preces devote funderet. Psalmos et hymnos decantans spiritum Deo reddidit maxima in senectute. In conventu Conceptionis Segoviae obiit die vi. Iunii Ioannes a Soto laicus, miro populi cultu pro sancto habitus. Verum ipse ita humilitati et simplicitati studebat, ut coelestia dona mira industria occultarit. Dies suos complevit et hoc anno Michael Gonzalez laicus ex provincia Burgensi, sepultus in ecclesia parochiali oppidi de Mondabia ubi ad petendas eleemosynas accesserat. Vir fuit mirae austeritatis; raro lecto usus est; quiescebat enim super nudam terram quacumque anni tempestate. Lapidibus onustus in mantica hac illac discurrebat, eleemosynam petens, et licet urente sole, pluviis nivibusque decedentibus, detecto tamen semper capite incedebat. Aestivo inte-

Franciscus de Ziezar. *Monum. prov.*

Franciscus a Cruce. *De Torres pag. 313.*

Ioannes a Soto. *Wadd. ad an. 1252. num. 29.*

Michael Gonzalez. *Monum. prov.*

Digitized by Google

rim tempore pallium nnnquam dimittebat licet per montana se conferret. In conventu Avesnensi provinciae Flandriae defunctus est hoc tempore Ioannes de Prye item laicus, simplicitate, modestia ac vitae innocentia spectahilis, qui per sanos quadraginta in humili et devoto coenobii obsequio fuit cunctorum exemplar.

Ioannes de Prye. *Monum. prov.*

LXIV. Fulginei in conventu s. Bartholomaei provinciae Umbriae die xx. Ianuarii occubnit Laurentius ibidem natus, semel et iterum suae provinciae minister renuntiatus. De nocte corpus caedebat diris flagellis ad sanguinis usque effusionem. Ut Iesu Christi agones alta mente recoleret, quotidie lectioni se dabat quatuor sacris evangeliis in quibus eius acta enarrantur. In eadem provincia obiit Hieronymus a Montefranco, item vir valde pius ac devotus in meditanda Iesu Christi passione. Annis quatuor incolatum tennit in sacris Palestinae locis. Provinciam snam repetens, eum aliquando per viam pane vacuus viribus ferme deficeret, indicio canis extemplo stantis, domum pii viri se conferens, una cum socio abunde reficitur. Canis autem illico evanuit.

Laurentius a Fulgineo. *Monum. prov.*

Hieronymus a Montefranco. *Monum. prov.*

LXV. Maniliae in Insulis Philippinis quievit Paulus a Iesu, parentibus nobilibus ortus in Hispania, literisque instructus in universitate Complutensi. Discalceatorum habitum sumpsit Matriti apud eosdem fratres in provincia s. Iosephi. Sacerdotali dignitate iam initiatus, unus fuit ex illis apostolicis viris, qui zelo propagandae fidei accensus ad eas insulas advenit. Ad provinciam de Camarines destinatus, brevi post tempore incolas multos ad Christi fidem adduxit, domusque pro suis et ecclesias erexit. Maniliam inde adveniens, multos tulit labores pro conversione gentilium in locis de Bataan, Tsytay, Antipolo et s. Annae. Primus omnium provinciam s. Gregorii earumdem insularum sancte administravit, quam perlustravit nudis semper pedibus, interim de nocte sopori se donans sub dio ac super nudam terram. Laboribus, aetate ac adversa valetudine gravatus, mandato Didaci Bormeo provinciae praesidis iterum singula coenobia petit, confessariorum fratrum doctrinam expensurus. Annos quatuor molestam apoplexiam patientia summa sustinuit.

Paulus a Iesu. *Martinez lib. 1. pag. 130.*

LXVI. Inter reformatos fratres provinciae Siciliae occubuit in conventu s. Mariae de Iesu Panormi Antonius a Caltanisetta sacerdos, vir assiduae orationis et corporis macerationis. Lacrymarum dono enituit in recolendo Iesu Cristi passione.

Antonius a Caltanisetta. *Tognoletto pag. 307.*

LXVII. In coenobio urbis Castri Ioannis eiusdem provinciae die ix. Ianuarii sancte decessit Angelus a Calatabierone sacerdos, dictus Musicus ob parentis sui Gasparis cognomen. A patruo suo Nicolao minorita de observantia bonis moribus imbutus, et in suum ordinem cooptatus, miris illuxit virtutibus per annos viginti, quibus inter eos vixit. Nuperam institutam reformationem amplexatus, magis magisque virtutibus profecit. Humiliora semper coenobii munia obivit; corpus continuo ciborum parsimonia domavit, et in perpetuis ferme ieiuniis semel in die vires reficiebat modico obsonio. Charitate Dei vulneratus, cum ab improbis Deum offendi sciret, prae nimio cordis sui dolore lacrymas haud continere poterat tum inter suos degens tum inter saeculares. Singulos quos obvinbat ad Dei amorem alliciebat et ad cavenda peccata miris modis hortabatur. Multa prophetico spiritu enunciavit, et miranda patravit quibus Deus servi sui sanctitatem ostendit in vita et post eius mortem. Vulgata post sui obitum virtutis et prodigiorum fama, Bonaventura Secusius episcopus Catanensis et patriarcha Constantinopolitanus, ope d. Mariani Petroso protonotarii apostolici et vicarii Castri Ioannis, acta eiusdem viri Dei confecit

Angelus a Calatabierone. *Mazara tom. 1. p. 155.*

et prodigia eius notavit, iubens ut eius corpus e communi fratrum tumulo eductum, in sacrario ecclesiae capsulae occlusum seponeretur. Facti memoriam exhibemus: *In civitate nostra Castri Ioannis in discursu visitae die* III. *Septembris* IX. *indictionis* MDCX. *visis et bene consideratis gratiis, quas fideles orationibus praedicti semper venerabilis patris fratris Angeli a Calatahierane se recepisse confidunt, hoc ita statuendum decrevimus, quod eius corpus e communi sarcophago extrahatur et honesto loco in sacristia reponatur, quousque Domino adiuvante aliud a sede apostolica fuerit determinatum.*

Tognoletto pag. 326.

Fr. Bonaventura patriarcha Constantinopolitanus et episcopus Catanensis.

Loco ✠ Sigilli

Laurentius de Sciacca magister notarius.

Ioannes Baptista a s. Angelo Lombardorum. Monum. prov.

LXVIII. In provincia Principatus desiit esse Ioannes Baptista a s. Angelo Lombardorum, reformatorum custos, sacerdos magnae obedientiae, paupertatis ac castimoniae. In oratione saepe elevabatur, et sola conversatione ac sermone cunctos ad pietatem excitabat. In conventu Gratianopolitano die x. Septembris obdormivit in Domino Michael Danielis, primus praeses custodiae s. Antonii recollectorum fratrum in Delphinatu, quam verbo et extemplo sancte administravit. Vita spirituali valde excultus, multos ad pietatem erudiebat.

Michael Danielis. Hilarion a Costa lib. 3. hist. pag. 690.

Quintinus Tertiarius. Hueber ad diem 13. Septembris. De Gubernatis tom. 2. pag. 859.

LXIX. Obiisse circa hoc tempus Quintinum, unum ex fundatoribus tertii ordinis claustralium in regno Galliarum scribit Fortunatus Hueber. Magna virtutum fama inter eos vixit; qui cum eius institutum aspexisset in Normandiam et Picardiam feliciter propagatum, velut alter Simeon ex intima cordis consolatione exclamavit: *Nunc dimitte servum tuum, Domine.* Non multo post hilari animo dilecto suo animam reddidit.

Ioannes de Burgo m.

LXX. Martyrium pro fide catholica iussu Iacobi regie consummavit in urbe Limirichi provinciae Momoniae Ioannes de Burgo Castri Conelli in Hibernia dominus, tertio ordini s. Francisci adscriptus. Eius martyrii acta scripsit *in propugnacula catholicae veritatis* pag. 473. Antonius Bruodinus franciscanus Hibernus.

LXXI. Hoc anno duce Christophoro de Azquota Menchaca, Philippi III. Hispaniarum regie nomine, advenerunt in insulam de Tornate, una ex Moluchanis insulis, aliqui franciscani fratres discalceati, ut auxilio essent illis eo accitis disseminandae fidei gratia ab anno MDCVII. Eorum nomina sunt Sebastianus a s. Ioseph in oppido Medinae del Campo in Castella nobili genere natus, Ioannes del Cano sacerdotes, Antonius a s. Anna et Christophorus Gomez laici. Brevi post tempore idem Sebastianus ecclesiae Christi adiunxit quinque illius regionis regulos, quibus in baptimatis lavacro Sebastiani nimirum, Petri, Didaci, Antonii et Ioannis nomina imposuit.

Sebastianus a s. Ioseph m. Martinez lib. 1. pag. 114. Ann. min. ad ann. 1607. n. 8.

LXXII. Velo subinde pandens Sebastianus cum Antonio a s. Anna, ambo ex provincia s. Pauli, in insulam de Macassar sub zona torrida positam, ac LXX. leucis ab aquilone insulae de Tornate seiunctam, ad fenum regni de Cauripa pervenit. Monitus quod illius insulae regina aliquibus ab hinc annis in fidei mysteriis edocta, ad suscipiendum baptisma prona esset, aulam suam ingressus benevoleque exceptus, de religionis catholicae praestantia, deque mahometanorum superstitione cum ea egit quinque dierum apatio. At cum omnia

Digitized by Google

parata essent ad iter prosequendum in regionem de Macassar, eidem reginae de suo discessu moerenti, quibusdam sacris largitis, spopondit se cito rediturum, eidemque collaturum sacrum Christi baptisma.

LXXIII. Triduo post ad principem regni de Bohol advenit, a quo et comiter exceptus, de religione christiana suscipienda animum illi aperuit. Cuncta Sebastiano prospera et iocunda. At mahometis sacerdotes insulae de Tagolanda fructum laborum viri Dei invidentes, ad fanum regni de Bohol se contulerunt, ubi eum Sebastianum per alveum abeuntem vidissent, dolo simulatisque amicitiae signis ut ad eos adveniret, hortati sunt. Paruit vir Dei; at vix navim ingressus, velut signum ad sagittas expositus, navali populorum ludo telis toto corpore conficitur die xviii. Iunii anno aetatis xlii. cum invocare pene voluisset Iesu Christi nomen. Quo peracto exanime corpus in aquas demergunt, ac inde inter aquam inventum, denuo lanceis crudeliter feriant caputque detruncant. Postremo eum eius corpus denudassent, cilicium lumbis affixum, rigideque acuminatum invenerunt. Non multo post Ioannes de Mora Lusitanus in locum martyrii accedens, in alvei fundo reperit disciplinae flagellum Beati, rubenti adhuc sanguine conspersum. Eius sunt *plures literae* ignito plane eloquio plenae, editae a Ioanne a s. Antonio in chronicis provinciae s. Pauli. *Sbaralea lit. S.*

LXXIV. Iidem mahometani Antonium a s. Anna, in oppido Garobilii sive Passeronis Cauriensis dioecesis in Extremadura natum, socium landati Sebastiani captivum duxerunt in insulam de Tagolanda. In eum tamen non tam cito mortis sententiam tulerunt, sed primo vinculis mancipatus, aliquot dies sine victu et potu transegit. Cum autem iuvenili floreret venustate, a vinculis solutus, iuvenculae filiae principis obtulerunt. Mox illa impuro amore in eum ducta, Christi militem ad ineundas cum ea nuptias ac ad Christi fidem abnegandam blanditiis multis solicitat. Restitit in eius faciem eximiae castitatis cultor; et eum ab eo se contemni agnosceret, furore accensa crudele lethum machinatur. Ex tunc adornat illa mulierculaurum aulam, a quibus religiosis vestibus denudatus manibusque constrictis, ad earum tripudium in gynecaeum, impudicis saltibus et choreis maculatum adducunt. Inde machaeris, sagis pugionibusque in eum irruentes, corpus membratim, ac lentis ictibus inciderunt. Cuncta haec hilari vultu et divinas laudes decantans sustinuit vir sanctus. Postremo truncato capite, gloriosum agonem consummavit die xxiv. Iunii. Eius corpus in mare proiectum et ad litus inventum, debito honore tumulatum fuit. Ioannes a s. Antonio eidem attribuit *literam* Manilium missam ad patrem Gregorium a s. Stephano discalceatum, qua describit quae laetus passus est a pyratica Batavorum cohorte. Eius martyrii acta notarunt Paschalis de Torrillas provinciae administer et episcopus Moluchanus. *Antonius a s. Anna m. Martinez ibid. pag. 417.*

LXXV. Plures viri Dei hoc anno et pie quieverunt inter fratres capucinos: Blandae in provincia Catalauniae obiit Theodorus Panormitanus laicus, obedientia, humilitate, paupertate ac charitate dives. Divina contemplatione suaviter fruebatur ita, ut saepe a sensibus alienus videretur. Prophetia ac miraculis inclaruisse tradunt. Pistorii raptus est Marcellus Pistoriensis sacerdos, antea adscriptus congregationi s. Gregorii. Quotidie plures horas in coelestibus meditandis immotus insumebat, saepe divina luce perfusus. Plurima eum pietate dormitionem accepit in conventu Florentiae Paulus a Verula item sacerdos, vir multarum virtutum genere clarus. Sacrum faciebat summa animi sui pietate. Cremae ad Deum abiit Remigius Bergomas, diu occupatus in no- *Theodorus Panormitanus. De Aremberg tom. 2. pag. 796. Marcellus Pistoriensis. Idem ibid. pag. 502. Paulus a Verula. Idem ibid. pag. 505. Remigius Bergomas. Idem ibid. pag. 372.*

vitiorum regimine. Eximia animi mansuetudine exornabatur; nemo enim illum iratum aut turbatum unquam vidit. In Christi Domini passione recolenda assiduus erat. Scripsit doctam *expositionem super psalmum CXVIII.* quem admirabili pietate ad Domini nostri Iesu Christi vulnerum sensum transtulit.

Sbaralea lit. R.

LXXVI. Feria v. maioris hebdomadae Piperni in provincia Romana obiit Marcellus Curiensis, eximius verbi Dei praeco. Duodeviginti annos solo pane et aqua contentus victitavit; bidno ac triduo a cibo abstinebat. Quoad vixit, somnum super nudam tabulam haud ultra tres horas produxit. Corpus denique tam diris flagellis caedebat, ut vicies psalmum *Miserere*, illud caedendo repeteret. Romae anno aetatis suae LXXXV. pie occubuit Rogerius Tifernas ex antiqua Manasseorum familia ortus, mentis ac corporis pudicitia ab adolescentia eximius. Factus capucinus, brevi tempore perfectionis culmen attigit. Corporis macerationi, linguae custodiae ac solitudini assidue studuit. Orabat erecta facie, genibus flexis ac ita immobilis, ut velut marmorea statua videretur. Mira suavitate de Deo eructabat, colloquia habens vel eum suis vel cum saecularibus. Provincias Umbriae et Romanae praeclaris virtutum exemplis illustravit, maxime guardiani et Romanae provinciae vicarii munus obiens. Scripsit *tractatum de doloribus Iesu Christi et beatae virginis Mariae ad modum coronae et meditationum.*

Marcellus Curiensis. *Idem ibid. pag. 431.*

Rogerius Tifernas. *Idem ibid. pag. 291.*

Sbaralea lit. R.

LXXVII. Ecclesia monasterii s. Clarae de Alanis in provincia Angelorum corpus excepit Catharinae a s. Francisco, die XXIII. Iunii defunctae. Extitit prima loci abbatissa, cunctis sororibus se praebens virtutis exemplar. Post matutinas preces diris se caedebat flagellis. Ieiuniis etiam carnem domabat. Morti proxima sorores adhortata est ad fovendam pacem, ad diligendum Deum, ac ad observantiam regularem. In monasterio s. Ioannis de' Poenitentia eiusdem provinciae erepta est die IX. Novembris Maria a s. Anna, coelestibus donis prae sui humilitate, et in adversis patientia locupletata, praesertim spiritu consilii et prophetiae. Impense colebat s. Stephanum protomartyrem, cuius visione recreata in suo diuturna infirmitate, mortis suae tempus praedixit.

Catharina a s. Francisco. *De Guadalupe pag. 576.*

Maria a s. Anna. *Idem pag. 600.*

LXXVIII. In monasterio s. Elisabeth Cordubae in provincia Granatensi pie occubuit Maria a s. Francisco, in divinis meditandis ita de nocte assidua, ut binas dumtaxat horas quiesceret. Ibidem et decessit hoc anno Francisca a s. Gregorio, ieiuniis et vilioribus monasterii muniis semper occupata. In monasterio s. Antonii Baetiae eiusdem provinciae quievit Maria a s. Hieronymo, quae defuncto viro et filiis, aetatis suae anno XL. in monasterium ingressa, conversarum habitum sumpsit. Cilicium asperrimum ad nudam carnem gestabat. Tam impense recolebat Iesu Christi passionem, ut in ea meditanda lacrymarum dono enituerit. Ibidem et vitae cursum complevit Ioanna Maria Baetiae nobilibus parentibus nata. Ante aram beatae Virginis votum perpetuae castitatis emisit, ne voluntati parentum obsecundaret ad incundas nuptias cum viro aeque nobili ac diviti. Vitam arripuit in monasterio asperitatibus plenam. Viginti annorum spatio varias gravesque infirmitates sustinuit eximia patientia. Postremo ibidem occubuit die II. Aprilis Maria a s. Gabriele. Ab hora noctis usque mane deliciabatur in choro ferventibus precibus, praecipue vero obsequiis in Deiparam virginem.

Maria a s. Francisco. *De Torres pag. 567.*

Francisca a s. Gregorio. *Idem ibid.*

Maria a s. Hieronymo. *Idem pag. 585.*

Ioanna Maria. *Idem pag. 754.*

Maria a s. Gabriele. *Idem pag. 755.*

LXXIX. In monasterio clarissarum Graecense provinciae Austriae obiit die XXII. Aprilis Ursula Starchin nobilibus orta natalibus. Relictis aulae Graecensis honoribus, in monasterio orationum assiduitate, voluntaria corporis maceratione ac piorum librorum lectione excelluit.

Ursula Starchin. *Greiderer tom 1. p. 468. n. 344.*

Digitized by Google

LXXX. Coloniae in monasterio titulo Pracsentationis Deiparae sub die xxix. Ianuarii habetur memoria quarumdam sacrarum virginum, ubi pie decesserunt. Commendatur in primis Maria Conradi, speculum effecta omnimodae obedientiae; Margarita Westhoven prae eximia animi sui innocentia; Christina Millers, virgo mansueta in conversatione et mirae patientiae in adversis sustinendis; et postremo Gertrudis Gisberti, pietate praestans et obedientia; quadraginta interim annorum spatio mortificationem Iesu Christi tulit in corpore suo.

Huber ad diem 29. Ianuarii.

LXXXI. Communi sanctitatis opinione insignis obiit Tervilii in territorio Mediolanensi die xxiv. Iunii Martha de Lecco tertii ordinis soror. Praedixit Iacobo de Gandino visitatori apostolico reformatorum illius provinciae sibi horrificam imminere necem, si Brixia Bergomum reverteretur, ad dimittendum ab ordine sanctimonialium clarissarum regimen. Praesagium probavit eventus.

Martha de Lecco. *De Gubernatis tom. 2. pag. 366*

LXXXII. Inter minoritas conventuales decedunt viri docti. Dum esset inquisitor generalis contra haereticam pravitatem Adriae desiit esse Guido Bartolucci Assisias, variorum operum auctor. Marcus Carella in sua *casuum moralium summa* saepe eum laudat praesertim v. *assicurazione*, *assoluzione*, *carcere*, *comprare*, *conserrazione*, *giuramento* etc. Sublatus est etiam Hieronymus Rocca Genuensis praestans verbi Dei praeco. Posteris reliquit *opuscula multa*, inter quae *commentaria in Iob*, *conciones quadragesimales et per annum reliquum*, necnon *sermones et orationes varias* quas habuit. Haec tamen omnia perierunt.

Sbaralea lit. G. — *Idem lit. H.*

LXXXIII. Vivebat hoc tempore inter eos Alexander Teatinus, bonarum literarum cultor gravioribusque studiis deditus. Licet immatura morte sublatus, reliquit tamen *opus panegyricum franciscanae religionis*. Typis Francisci Rampazoli vulgavit Venetiis Ioannes Baptista Berardi Lemniacensis *orationes de temperantia, iustitia et fortitudine super vitam d. Nicolai episcopi*. Marcus Antonius Capellus Atestinus ex Veneta provincia edidit Bononiae praelo Bartholomaei Cocchi librum *adversus praetensum primatum ecclesiasticum regis Angliae, in quo Iacobi regis et eius eleemosynarii confutantur scripta de captioso iuramento proposito Anglis catholicis; de usurpata potestate spirituali eiusdem regis; et de exagerata et incompossibili hominum et redituum sacrorum copia in universa republica christiana*. Opus nuncupavit Benedicto Iustiniano cardinali Bononiae legato. Laudae apud Antonium Seghinum Theodorus Pellonus Picenus typis commisit *orationes duas de s. Sindone Taurini recitatas*. Petrus Antonius Rosinus per Victorem Baldinum Ferrarino vulgavit *orationem nativitatis salvatoris nostri Iesu Christi super initium evangelii s. Ioannis, a Guilielmo eius nepote eiusdemque instituti novitio recitatam*. Gabriel Fabri Avenionensis, qui etiam se dicit Parisiensem, concionator regius *orationem* hoc anno in ea urbe habuit *in obitu Henrici IV. regis Galliarum*, sicarii manu die xiv. Maii e vivis erepti, aetatis suae quinquagesimo sexto, regni vero xxi. annos numerans. Magni nomen ob animi constantiam, fortitudinem ac vigilantiam obtinuerat, et quod mirum est in principe, quia per se ipsum regni negotia explebat. Filius eius annorum novem ei successit, Ludovici XIII. nomen sortitus, qui tamen nonnisi aetatis suae anno xiv. regnum administravit, Maria eius matre interim habenas regiminis moderante.

Sbaralea lit. A. — *Idem lit. I.* — *Idem lit. M.* — *Idem lit. T.* — *Idem lit. P.* — *Idem lit. P.* — *Spondanus ad hunc annum.*

LXXXIV. Ex capucinorum familia numerantur viri docti. Cura Caesaris Ranucci italico sermone, Arimini edidit Christophorus a Veruchio, oppido dioecesis Ariminensis, librum cui titulus *vita b. Ioannis canonici Ariminen-*

Idem lit. C.

sis, et b. Roberti Malatestae cum nonnullis Veruchii memoriis atque domus Molatestae origine. Corrigendos est Ioaoues a s. Antonio, qui v. *Christophorus* cum errore dicit scripsisse *vitas b. Ioannis canonici Rhe-*
Idem lit. F. *mensis* ecclesiae etc. Fidelis a s. Germano Subalpinas concionator apostolicus Mediolani hoc anno edidit a se habitam die VII. Novembris *orationem de*
Idem lit. F. *laudibus b. Caroli Borromoei.* Valentiae vulgavit Fraociscus de Velasco Hispaleosis *regulas et constitutiones pro congregatione Pietatis ab eo*
Idem lit. M. *instituta.* Item Valentiae Melchior ab Ariolaoo Hispanus, concionator apostolicos ac pius vir, praelo commisit *sermones aliquos de passione Domini et de b. Virgine.* Apud Floravantum Pratum vulgavit Venetiis Va-
Idem lit. V. lerios Venetus *vitam s. Clarae ex s. Bonaventura aliisque auctoribus excerptam, una cum vitis aliorum ss. et bb. ordinis s. Clarae, ac tertii ordinis s. Francisci Agnetis, Colettae, Elisabeth Hungariae* etc. libris VI. comprehensis tom. I. Ibidem edidit *eremitorium sacrum exercitiorum spiritualium cum praxi orationis mentalis.* Publici iuris fecit eadem in urbe
Wadd. lit. ead. praelo Ioaonis Baptistae Colignani *breves piasque meditationes circa praecipua mysteria vitae Iesu Christi.* Prodiit et hoc anoo Venetiis italico sermone duobus tomis *compendium manualis* Martini Azpilcuetae doctoris Na-
Sbaral. lit. P. varri, compositum a Paulo Calanna ex provincia Romana, vel ex provincia s. Francisci. Idem opus in eadem civitate typis Mathiae Quarti aono MDCVI.
Idem et Wadd. lit. P. prodierat, at haec editio prima non fuit. Paulus Manassei Interamnensis Umber Brixiae hoc anno edidit librum, cui titulus *parodisus interior sive corona spiritualis, in quo per triginta tria exercitia quis assequitur praxim omnium virtutum pro cousequenda perfectione christiana.*

Idem lit. I. LXXXV. Ioaones Baptista Moles Hispanus ex provincia fratrum discalceatorum s. Gabrielis, et curiae romanae commissarius generalis ultramontanae familiae, Matriti typis Petri Madrigal vulgavit *tractatum de spiritu prophetico s. Francisci.* Carmine Castellano Matriti praelo Ioannis de la Cuesta edidit
Sbaralea lit. M. Matthaeus de Salzedo Hispaous presbyter tertii ordinis *postrimerias del hombre enemigos de la alma, y alabanza del santissimo sacramento,* quod latine
Idem lit. S. sonat *novissima hominis animae inimica et laudes ss. sacramenti.* Salvus Panormitaous reformatus provinciae Siciliae in lucem edidit italice Neapoli apud Constaotinum Vitalem *thesaurum animae desiderantis servare paupertatem et obedientiam.*

LXXXVI. Qui sequuntur in instituto minorum de observantia literis flo-
Sbaralea lit. A. rebant hoc tempore. Adservatur in conventos bibliotheca s. Francisci Compostellae mss. *volumen LXXXIX. quaestiones canonico-regulares et morales* complectens, scriptum ab anno MDXCIX. usque ad anoum MDCX. ab Andrea Da-
Idem lit. A. vila Compostellaoo. Qoidam Aoooymus Polonus coeoobii s. Bernardini Craconviensis incola ex italico in polonicum idioma transtulit *chronicam s. Francisci a Morco Ulyssipouensi compositom.* Iulius Caesar Valentinus italice
Wadd. et Sbar. lit. E. fecit vulgavitque Venetiis typis Baretii opus Emmanuelis Roderici hoc titulo: *comuni opinioni e decisioni de' casi di coscienza sopra l'esplicazione della s. bolla della Crociata ec. dove si risolvono mille e più dubbi di casi di coscienza.* Opus idem est ac *explicatio bullae Cruciatae,* licet Wad-
Sbaralea lit. I. diogus potet diversum. Venetiis praelo mandavit Ioannes Brunus Scotus egregium opus *in benedictiones patriarcharum commentaria et quaestiones ana-*
Idem ead. lit. *lyticas.* Hispaoicis versibus Caesaraugostae edidit Ioanoes Martinez in provincia Aragoniae *historiam Dominae nostrae de Magalon Lecinenae Caesaraugu-*

stanae dioecesis. Ioannis Dominici Roncaglioni praelo Neapoli vulgavit Maurus *Idem lit. M.*
Nolanus provinciae Neapolitanae *expositionem orationis dominicae.* Thomas *Idem lit. T.*
Vasquez Aragonensis, sacrae inquisitionis censor edidit Caesaraugustae vernacule libellum, titulo *catechismus pro instructione Maurorum neophitorum.*
Eadem in civitate Didacus Cabrera eiusdem provinciae publici iuris fecit ser- *Idem et Wadd. lit. D.*
mones *pro adventu et sermones pro quadragesima.*

LXXXVII. Ex eodem instituto Franciscus Lugnanus ex provincia s. Fran- *Idem lit. F.*
cisci italice scripsit, et nitidis typis evulgari curavit Lugduni apud Horatium Cardonem *vitam et acta b. Ioannis Buonvisii Lucensis.* Eam ferme in latinum dederunt Bollandii collectores ad diem XXI. Maii. Non recte scribit Waddin-
gus Franciscum Tamoyum auctorem operis cui titulus *maiestas et dignitas* *Wadd. et Sbar. lit. eadem.*
Christi fuisse franciscanom de observantia; nam pertinet ad institutum fratrum
minimorum s. Francisci de Paula. Limae in regno Peruviano edidit Hierony- *Wadd. lit. H.*
mus de Valara commentaria *in logicam* iuxta Scoti doctrinam. Is lucem aspexit in regione Chachapoyarum in regno Peruviano, minister provinciae ss.
XII. Apostolorum in Indiis occidentalibus renunciatus. Iacobus Suarez a s. *Idem lit. I.*
Maria Lusitanus, vehemens apud Gallos haereticorum flagellum Lugduni apud Horatium Cardonem praelo commisit *thesaurum quadragesimale,* plurium divinorum eloquiorum ac ss. pp. sententiis refertum, primo gallice, deinde ab ipso auctore latine vulgatum. Hoc opus anno MDCVII. Parisiis ab universitate notatus est censura propter *missam parochialem.* Venetiis edidit hoc
anno Ioannes Baptista Florentinus *privilegia mendicantium* ab eodemet collecta. *Idem ead. lit.*
Ioannes Gazo Caesaraugustanus et Cataluniae provinciae administer egregiusque verbi Dei concionator, Barcinone typis commisit tomum primum *institutionum sacrarum evangelicarum et moralium pro praecipuis festivitatibus et diebus totius anni.* Duplicatae in eo continentur institutiones pro omnibus diebus quadragesimae usque ad feriam IV. post dominicam IV. Tomus II. editus fuit
anno MDCXIV. Parisiis apud Petrum Crocque Ioannes Roussorius Gallus, An- *Idem ead. lit.*
degavensis, provinciae Turoniae Pictaviensis definitor vulgavit opus titulo *de statu et origine ordinis minorum, necnon omnium ordinum tam mendi-*
cantium quam non mendicantium. Hispali edidit Ludovicus de Robelledo *Idem lit. L.*
minister provinciae Baeticae *constitutiones multarum capitulorum generalium*
in unum corpus redactas. Sigismundus Marissius Mantuanus italice scripsit *Idem lit. S.*
et vulgavit Mantuae librum *de iniquitatibus et malitia hebraeorum.*

LXXXVIII. Ab anno MDXCVI. insudarunt fratres de observantia in disse-
minando Dei verbo in regiones del Dorado. Licet autem prioribus annis *Ioseph Torrubia pag. 172.*
paucam infidelium messem retulissent, attamen temporis decursu inter ingentia vitae pericula multos ex illis ecclesiae Christi adunarunt. Hinc Gabriel Ramirez commissarius generalis provinciarum s. Fidei de Bogotà, s. Francisci
de Quito, et s. Crucis de Caracas, annuente Archangelo a Messana ordinis *Annal. min. ad ann. 1596. n. 14.*
supremo praeside, ibidem erexit custodiam quam nuncupari voluit s. Antonii del Dorado, literis datis die I. Novembris e vicario Ussaquen conventus s. Fidei de Bogotà. Bina coenobia provinciae s. Crucis de Caracas eidem custodiae fuerunt adsignata, nimirum coenobium s. Antonii Patavini Insulae Trinitatis, et coenobium s. Francisci civitatis s. Thomae de Guayana, ut facilius propagari catholica fides potuisset in illa regione. Non statim sed anno MDCXX. primus illius custodiae praeses delectus fuit Ioannes de Aquila, incola conventus de Zubia de Granata.

LXXXIX. Exorso bello inter Pbilippum III. catholicum et Barbariae sive Africae reges, eisque hoc anno devietis ab eodem Pbilippo, idem pientissimus princeps mandavit, ut eorum impensis pro franciscanis fratribus de observautia excitaretur coenobium in arce de Alaracbe, qui opem conferrent spiritualem christifidelibus ibidem degentibus, sedulamqne operam navarent infidelium conversioni.

Conv. de Alarache. *De Gubernatis de missionibus antiquis pag.* 554.

XC. Oppidanorum sumptibus extitit boc anno conventus s. Antonii Patavini in villa de Lora provineiae Angelorum, loco amoeno positus super alveum Guadalvirum. Primus coenobii moderator institntus fnit Gabriel de Perea. In provincia Cantabriae iidem fratres incoluerunt coenobinm s. Ioannis Baptistae in villa de Zaranz, eis paratum ab illustri et praediviti viro Ioanne de Manzieidos loci incola. In ecclesia venerantur plurium ss. reliquiae ab eomet pientissimo viro fratribus elargitae.

Conv. de Lora. *De Guadalupe pag* 179.

Conv. de Zaranz. *Monum. prov.*

XCI. Iu provincia ss. Salvatoris Hungariae, enro et opibus d. comitis Sigismundi Forgach illius regni Palatini, instauratus fuit conventus observantium s. Jacobi Maioris Szecheniensis Strigoniensis dioecesis, ante a turcis vastatus.

Conv. Szecheniensis. *Monum. prov.*

XCII. Gregoriua de Turri dominus oppidi Samaboriensis dioecesis Zagrabiensis iu provincia Bosniae Croatiae cupiebat concedere fratribus de observautia ecclesiam s. Mariae de Campo extra illius oppidi moenia positam. At morte praeventus, Helena de Frangipanibua, Ioannes Ungnad et Anna de Turri baeredes, pro eisdem fratribus intra muros oppidi excitare illud decreverant, nt tuti essent ab incursioue turcarnm. Haec novimus ex literis Clementis VII, quas ad annalium nostrorum integritatem subiicimus.

Conv. Samaboriensis. *Greiderer tom. 1. p. 124. n. 133.*

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis filiis ministro provinciali et fratribus provinciae Bosniae ordinis minorum regularis observantiae salutem et apost. benedictionem.

Cum sicut nobis exponi fecistis quondam Gregorius de Turri Zagrabiensis dioecesis, ob singularem quem ad ordinem fratrum minorum regularis observantiae devotionis gerebat offectum, et pro onimarnm salute religionisque propagine ac divini cultus augmento, terrena iu coelestia commutare satagens felici commercio, quondam suam inre patronatus ecclesiam sine cura, quae s. Maria de Campo nuncupatur, extra et prope muros sni oppidi de Zamobor Zagrabiensis dioecesis, cnius ipse in temporalibus erat dominus, dictis fratribus pro perpetuis usu et babitatione eorum concedere summopere cnpiebat, sed quia ob crebras turcarum incursiones quae illis in partibus in dies fiunt, secure ibidem fratres nullatenus habitare poterant, dilecti filii in Cbristo filii Helena de Frangipanibus nxor quondam dicti Gregorii et Ioannes Ungnad et Anna de Tnrri eius haeredes unum locum intra muros dicti oppidi, ut ibidem unam domum sub invocatione s. Annae vel alterius sancti vel sanctae pro perpetuis usu et babitatione eorumdem fratrum eum ecclesia, campanili humili, campana, coemeterio, dormitorio, refectorio, claustro, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis construere et aedificare, seu construi et aedificari feceritis, libere et grotiose obtinlerunt et concessernnt et nobis humiliter supplicari fecerunt, ut vobis domum ipsam intra mnros noviter aedificandam recipiendi, et alterius praedictae ecclesiae extra mnros existentis usum ita, ut missas et alia divina celebrare possitis et eleemosynas quae ibidem a christi-

fidelibus offeruntur pro vestra sustentatione, considerando vos intra turcas habitare, recipiendi licentiam, alias opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui divini cultus augmentum ubique, praesertim inter fidei oppugnatores, et nostris temporibus intensis desideriis peroptamus huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi et fratribus tuis in loco intra muros per dictos dominos vel incolas assignando, unam domum sub invocatione cum ecclesia, campanili humili, campana, coemeterio, dormitorio, refectorio, claustro, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro perpetuis usu et habitatione fratrum minorum regularis observantiae provinciae Bosniae sine alicuius praeiudicio construendi, erigendi et aedificandi, seu constrni, erigi et aedificari faciendi, et alteri ecclesiae extra muros existenti, serviendi et ibidem missas et alia divina celebrandi, toties quoties vobis visum fuerit opportune, et eleemosynas quas ibidem a christifidelibus offeruntur, pro vestra sustentatione recipiendi, et omnia et singula quae in alia domo quae est intro muros facere possetis, faciendi, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vi. Iulii mdcxv. pontificatus nostri anno ii.

XCIII. Pia fundatorum intentio eo tempore suo caruit effectu. Verum hoc anno d. Anna Maria filia d. Christophori Ungnad, uxor d. comitis Thomae Erdeodi praedictam ecclesiam fratribus concessit, ac iuxta eam coenobium excitare decrevit. Antonius Vitellius insignis concionator Samaborinm missus anno mdcxvii. ut coenobii praeses primum ibidem lapidem posuit, ac sensim ad perfectionis apicem adduxit. Haec et alia manifesta sunt ex sequenti instrumento vulgato. « Nos communitas civium oppidi Samabor caeterique iurati fidem facientes testamur et memoriae commendamus universis et singulis christifidelibus cuiusvis status, honoris ac dignitatis ubivis locorum in regionibus christianis existentibus et constitutis praesentes literas nostras visuris, lecturis aut legi audituris, qualiter templum sacratissimae virginis Mariae Gratiarum hoc in oppido nostro Samaboriensi multorum a sacra caesareo-regia maiestate privilegiorum arbitrio licentiato et egregio nobilitatis stemmate condonato, sub dioecesi Zagrabiensi in centro plane inclyti regni Croatiae sito, bina inter praestantissima et maxima flumina Savum videlicet et Collapim, in loco sane celeberrimo eoque saluberrimo instituto: cuius inquam ecclesiae, tempore propugnationis disturbationisve Attilae qui ferebatur flagellum summi architectoris et molitoris Dei, honorifice aedificatae, vix iam vetustissima hominum memoria recordatur. Quaeque etiam a manibus et potestate parochiali ante plurimorum annorum spatia tenebatur dominante maxime in arce, iuxta oppidum in validissimo colle sita, spectabili ac magnifico Christophoro Ungnad, sectae Martini Lutheri summo imitatore, a quo non solum eodem sed etiam a suis, ut vocat, praedicantibus, hicce locus universus multis obscuratus fuit commentis et errorum fluctibus, certissime humani generis pestis pernicie. Verum is, cum ex hac terrarum colluvie obiisset, in illa ipsissima perfida et nefaria ab animarum interfectoribus novae legis instituta fide, quae christicolas universos ab itinere coelesti in viam perditionis deducit: postmodum haeres dicti castri successit fel. mem. d. Anna Maria Ungnad quam sibi matrimonio iunxerat illustris. d. comes Thomas Erdeodi, quique modicum post tempus Banitali, ac vice-regia dignitate ac praecipuorum patriae procerum votis et suffragiis adhibitis, ab augustissima vero maiestate convenienter erat muneratus,

vir profecto insigni virtute, auctoritate et sapientia praeditus, miles quoque generosa virium fortitudine excellens et in quopiam bellorum exercitu atque tumultu victor fortunatus, vitae religiosae et fidei orthodoxae usque ad extremum vitae suae terminum cultor insignis. At huius praefata concors d. Anna Maria Ungnad, post obitum sui genitoris in ea fidei suae caligine in qua parta etiam educata et ad summum aetatis gradum fuit provecta, perseveravit. Sed postquam ritum et consuetudinem s. ecclesiae romanae, adoptata in coniugem a praenominato domino, absolutis aliquot annorum intervallis, subveniente Spiritu Paracleto, ope et auxilio fratrum divi Francisci seraphici minorum observantium, provinciae vero Bosnae, Croatiae et Carnioliae, est tandem conversa: postquam quidem nempe veram apostolicae romanae fidei, sine qua nemo mortalium ad perpetuum salutis vitae consortium pervenire valet, notitiam intellectam, praescriptum templum dedicare et offerre religioni ac provinciae voluit patrum praedictorum. Quod itaque pro zelo suae sanctissimae devotionis et religionis eius offectu, deliberata ac determinata sua voluntate sponte et industria eum primis multum venerando patri Francisco Glavenich theologo generali, et iam praedicatori apostolico, tum praefati ordinis et provinciae tempore illo ministro provinciali, in anno potissimum reparatae salutis MDCX. obtulit: considerans insuper ibidem pulcherrimum unum illudque amplum fabricare monasterium, nisi desiderio mors matura praevenisset, qua etiam de causa tutelae et manibus anumeratorum patrum mansit imperfectum. Quare rursus anno MDCXVII. in capitulo dictae provinciae Labaci celebrato, creatus in eodem loco guardianus reverendus pater fr. Antonius Vitellius, homo pro certo mire sapiens, vitae probitate et religione dignissimus, concionator vero huius illyricae linguae praeoptimus, qui pro pia animi contentione et sedulitate, Deo propitio, anno secundo, recte in solemni d. Bonaventurae festo, ad fundamentum quod faustum sit, primum iecit lapidem, auxilio tamen optimorum patronorum, benefactorum et nonnullorum etiam christianorum mortalium sua prudentia et recto intellectus tramite, hoc monasterii aedificavit domicilium. Quo facto sedulo et instanter non desiit verba salutis Redemptoris nostri praedicare, vitia haereseum extirpare, eradicare, eliminare atque prorsus funditus evellere, plantando nimirum praeclara virtutum documenta et certam catholicae fidei semitam, quippe in tantum laboravit dictus pater spiritualis, ut nec unicus, sit laus, honor et gratia, sanctae ac singularis eius Triadi maiestati, ab aliquot annorum cursibus, reperiatur inibi obstrepens, oblatrator veritati, sed cuncti unicus recte et verae catholicae atque apostolicae romanae fidei cultores. Demum ne numerum etiam enarratorum patrum in eo diversorio monasterii commorantium omittamus, quorum duo et unus prae caeteris sunt praedicatores excellentissimi, omni tempore summa cum diligentia studioque laborum et vita religiosa, in hac fragili et mortali carne in aede sacra, puritati et integritati vitae invigilantes, supremo coeli terraeque monarchae infamulantur. Utpote angeli in felici beatorum incolarum curia, tam sava diurno quam nocturno suorum officiorum orationumque recitatione sacrosancti missae sacrificii oblationis immolatione, stabili ac fructifera christianae genti praedicatione, condigna omnimodae confessionis attentione, per quam quidem os inferi obstruitur et ostium paradisi aperitur: denique et reliquorum multorum exercitiorum piorum ad salutem animarum Christi consequendarum examine necessario atque opportuno, non solum eiusdem loci populo, verum etiam ex remota orbis plaga praeveniente gratia cum votorum suorum tum solemni

caeremoniarum festivitate ad recensitum templum gloriosae et immaculatae genitricis virginis Mariae in oppido Zamobor, quorum adeo subsidio unanimiter egemus, uti gravi morbo oppressi medicamento. In quorum fidem has praesentes literas patentes nostras ex parte omnium civium iuratorumque nostrorum. Ego Mathias Czumovich iudex huius anni ea subscripsi et proprio sigillo munivi.

Datum in oppido nostro Zamobor MDCXXVIII. die I. Maii.

Loco ✠ Sigilli

Ego Mathias Czumovich iudex oppidi Zamobor.

XCIV. Eisdem fratribus laudatae provinciae concessum fuit, annuente Ferdinando II. duce Carniolae, hospitium Lauranense, s. Antonii abbatis titulo. Haec est exigua civitas Istriae Austriacae, sinui Flanatico vicina et binis millioribus austriacis circiter ab urbe Tersacti. Hospitium Lauranense. *Idem ibid. pag.* 140. n. 185.

XCV. Serenissimus Ernestus, Alberti V. Bavariae ducis filius, elector Coloniensis et episcopus Monasteriensis ac Frisingensis, hac anno domum, *Thaber* dictam, in sua civitate Frisingensi fratribus de observantia pro coenobii fundo tradidit. Causa huius coenobii erectionis fuit Franciscus Ampherl franciscanus de observantia incola conventus Monacensis, iuvenis annorum XXVI., qui ob eodem Ernesto vocatus ad explendum munus concionatoris in sua cathedrali ita doctrina, virtute ac zelo refulsit, ut maximum animarum fructum per annos quadraginta quinque retulerit. Is ille fuit qui anno MDCIX. sodalitatem s. Francisci ad aram praesentationis b. Mariae virginis in cathedrali ecclesia erexit, eumque supremum poenitentiarium totius suae dioecesis renuntiavit. Monasteriolum sub invocatione ss. Stigmatum s. Francisci una cum sacello, expensis dicti serenissimi principis erectum, provinciae Argentinensi adiudicatum fuit, primo praeside delecto eodem Francisco Ampherl. Ernesti diploma vulgamus quo fratres exemit a solvendo perpetuo canone ecclesiae collegiatae s. Andreae dictae domui adnexo. Conv. Frisingensis. *Idem tom.* 2. *pag.* 281. n. 50.

Nos Dei gratia Ernestus archiep. Coloniensis etc. notum facimus et testamur pro nobis et successoribus nostris in episcopatu Frisingensi etc.

Postquam nuper domum et hortum, vulgo Thaber dictum, a Ioanne Mayr, pharmacopola Eystadiensi nunc in nostra civitate Frisingensi habitante, cum omnibus pertinentiis, fundis et areis sine exceptione, per contractum emptionis ad nos transtulimus; prout documenta literaria nobis desuper exhibita, continent et probant; quae domus sita est in hac civitate sub parochia s. Georgii, secus Danielis Rodulphi syndici nostri capituli cathedralis, et Simeonis, nunc Ioannis Kaiter Praxatoris domos et hortos etc. et collegiatae s. Andreae annuo canone quinque schilingorum et duorum nummorum est obligato etc. Hinc est quod nos ex speciali affectione et clementissima propensione quam erga ordinem s. Francisci gerimus, dictam domum cum horto et omnibus pertinentiis pro habitatione tam praesentium quam futurorum fratrum huius s. ordinis, qui quavis vice a suis legitimis superioribus hic collocabuntur, una cum literis antiquis seu documentis absque reservatione iuris reluitionis nostris successoribus alias competentis, libere et integre tradidimus et donavimus, prout virtute huius instrumenti eam tradimus et donamus praefato ordini s. Francisci: ita ut pro sua commoditate hanc domum et hortum cum pertinentiis recipere,

eam iuxta sui ordinis exigentiam et beneplacitum elevare, aedificare et perpetuis futuris temporibus possidere, ac quidquid circa eamdem ordini libuerit, agere et tractare possint et valeant absque impedimento aut contradictione cuiuscumque. Insuper clementissime permittimus quod illum perpetuum canonem collegiatae s. Andreae ex hac domo competentem, absque fratrum incommodo velimus abolere et eos ab hoc onere liberare. Similiter domus ista ab omnibus steuris, contributionibus, exactionibus aliisque quibuscumque nomine venientibus praestandis, quibus hucusque ut domus civica subiecta erat, etiam steuris ac praestandis civitatis debitis, imposterum penitus libera sit et exempta, prout praefatum ordinem circa hoc contra quoscumque defendemus et protegemus etc. absque dolo. In cuius rei fidem praesentes propria manu subscripsimus et appenso nostro sigillo curavimus muniri.

Datum in nostra civitate Frisingensi die v. Aprilis MDCX.

Loco ✠ Sigilli

Ernestus elector.

Conv. de Carenis. *Pirrus tom. 2. de eccles. Mazar. pag. 894.* XCVI. In provincia Siciliae dimiserunt hoc anno minoritae de observantia conventum s. Mariae Magdalenae in oppido de Careuis dioecesis Mazariensis, et commigrarunt in aedem s. Laurentii eiusdem oppidi, quam antea incolebant fratres redemptionis captivorum. *Id templum est*, inquit Pirrus, *quod Rodulphus Boncellus anno MXCIV. hisce verbis: in Carenis ad ecclesiam s. Laurentii cum terris et vineis et centum villanis concessit Paetensi episcopo, cui annua solvuntur adhuc iura.*

Conv. Pilleris. *Monum. prov.* XCVII. Obtinuerunt iidem fratres in provincia Principatus coenobium s. Francisci Casalis intra oppidum Pilleris dioecesis Caputaquensis, erectum in parvula ecclesia sub invocatione s. Sophiae, eisdem oblata a Iulio Caesare sacerdote aedis patrono. Aliquo tempore ecclesia titulum obtinuit Immaculatae Conceptionis. Incolarum eleemosynis auctum fuit aedificiis pro VIII. fratribus.

Conv. s. Anatoliae. *Monum. prov.* XCVIII. In provincia Umbriae eis etiam obvenit conventus s. Crucis prope oppidum s. Anatoliae Spoletanae dioecesis, antea inhabitatus a monialibus. Locus spectabat ad capitulum Lateranense de Urbe.

Conv. Carpineti. *Monum. prov.* XCIX. Fratres reformati incoluerunt in provincia Romana conventum s. Petri prope oppidum Carpineti Anagninae dioecesis, proprio aere fundatum a Petro cardinali Aldobrandino. Eis concessum fuit consilio Iacobi a Carpineto sacerdotis fratrum capucinorum. Pro eisdem etiam inchoatum fuit coenobium

Conv. Tusculi. *Monum. prov.* s. Bonaventurae prope Tusculum. Sequens de eo extat memoria: *primum hunc lapidem a ss. domino nostro papa Paulo V. benedictum, eminentissimus et reverendissimus d. d. Marianus Perbenedictus s. r. e. cardinalis episcopus Tusculanus propriis manibus ad honorem Dei, beatissimae virginis Mariae et ss. Francisci et Bonaventurae in fundamenta iecit anno eiusdem ss. VI. die vero XXVIII. Octobris MDCX.* De ecclesiae vero structura hoc et alterum prostrat monumentum: *Alexander cardinalis s. r. e. vice cancellarius a fundamentis extruxit anno MDCXIII.* Coenobium perfectionem accepit opibus piorum, potissime vero Pompeii cardinalis Arigonii totius ordinis protectoris.

Conv. s. Peregrini. *Monum. prov.* C. In provincia Umbriae eis obvenit conventus s. Mariae Montis Sancti prope villam s. Peregrini civitatis Nursiae, tunc Spoletanae, nunc vero Nur-

sinae dioecesis. Eum primo incoluere clareni ac inde fratres de observantia. In provincia Tusciae iidem fratres receperunt conventum Conceptionis b. Mariae prope oppidum Camaioris Lucensis dioecesis.

Conv. Camaioris. *Monum. prov.*

CI. Insumptis xl. mille ducatis, Antonius de Sanctis baro oppidi Radisni post sex annos ad perfectionis apicem adduxit conventum s. Honuphrii prope idem oppidum Sulmonensis dioecesis, quem esse voluit pro fratribus reformatis provinciae s. Bernardini. Coenobii structura aliis magnitudine praestans est.

Conv. Radisni. *Monum. prov.*

CII. Bartholomaeus Cesi archiepiscopus et s. r. e. cardinalis pontificalibus indutus posuit primum lapidem ad ecclesiam s. Mariae ad Nives prope oppidum s. Andreae dioecesis Compsanensis pro inchoando coenobio fratrum reformatorum provinciae Principatus. Sacra ibidem peragebat quidam sacerdos saecularis, ecclesiasticum beneficium assequutus. Relicta priori invocatione, locus nunc titulum praesefert s. Mariae de Consolatione. Oppidanorum impensis pro xv. fratribus continendis coenobii structura satis accommoda evasit. Iidem fratres obtinuerunt in eadem provincia conventum s. Mariae Gratiarum prope oppidum Pullici Capntaquensis dioecesis, opibus universitatis, praecipue tamen d. Ioannis Vincentii Copani et eius uxoris loci incolarum qui tertio ordini adscripti, dormitionis requiem ibidem acceperunt sarcophago in lapideo sepositi.

Conv. s. Andreae. *Monum. prov.*
Conv. Pullici. *Monum. prov.*

CIII. In provincia Siciliae pro eis erectum fuit coenobium sub invocatione s. Mariae de Iesu prope civitatem Mistrettae Caephaledensis dioecesis. De eo sic scribit Benedictus Passafiume minorita de observantia. *Constructus est conventus cum ecclesia divae Mariae de Iesu dicata, ubi convenere fratres minores observantes reformati, atque in ecclesia colitur devota imago Christi Domini crucifixi depicta* (idest sculpta) *a devoto fratre Humili de Petralia laico, passionis dominicae ardentissimo, qui pane tantum et aqua vesci solebat tempore quo Christi imagines delineabat non sine lacrymis et compunctione. Obiit dictus frater Humilis Panormi in conventu s. Antonii de Padua.* In eadem provincia extitit et pro eis conventus s. Mariae de Iesu prope oppidum Clarimontis Syracusanae dioecesis. Eum fuisse excitatum anno mdcxx. scribit Tognoletto.

Conv. Mistrettae. *Benedictus Passafiume de origine eccl. Caephaledien. pag.* 51.
Humilis de Petralia.
Conv. Clarimontis. *Pirrus tom.* 2. *pag.* 218.

CIV. Unicum quod sciam, aedificatum fuit hoc anno pro fratribus discalceatis provinciae s. Ioannis Baptistae coenobium in eremitorio Dominae nostrae de Solitudine dioecesis Tortosanae, eis oblatum a Bartholomaeo Prades loci domino ac opulento mercatore.

Conv. de Solitudine. *Panes pag.* 449.

CV. Recipiunt fratres recollecti in Galliarum regno coenobium fratrum conventualium, positum in oppido s. Andreae dioecesis Viennensis, facultate data a summo pontifice illius urbis episcopo: *Exponi nobis* die xxii. Septembris. Sequentia etiam coenobia iidem recipiunt hoc anno, nimirum coenobium Moissiaci dioecesis Carducensis, et coenobium s. Ioseph apud Gisortium dioecesis Rothomagensis, hoc anno pro eis inchoatum.

Conv. oppidi s. Andreae.
Conv. Moissiaci. *Gallia christiana t.* 1. *pag.* 147.
Conv. Gisortii. *Ibidem tom.* 2. *pag.* 106.

CVI. Concedit summus pontifex: *Alias* die xv. Decembris fratribus tertii ordinis regni Franciae coenobium Sarlatense minorum de observantia provinciae Aquitaniae Recentioris, bellorum iniuriis fere dirutum, et in quo tres vel quatuor eiusdem ordinis fratres degebant. Idem pontifex indulget: *Ad sacram* iv. calendas Decembris, ut iidem fratres relicto coenobio de Bressiaco Ambianensis dioecesis penitus everso, domum et ecclesiam recipiant sub invocatione b. Mariae et s. Lamberti in eodem territorio positam.

Conv. Sarlatensis.
Conv. de Bressiaco.

Digitized by Google

CVII. Plura hoc anno lata sunt pro eisdem fratribus de tertio ordine in Galliarum regno. Archangelus a Messana totius ordinis supremus administer eis concedit incolatum in conventu Aracoelitano quoties in Urbem accedant pro explendis eorumdem fratrum negotiis.

Nos fr. Archangelus a Messana totius ordinis fratrum minorum de observantia, necnon fratrum poenitentium tertii ordinis s. Francisci minister generalis et servus omnibus praesentes inspecturis salutem.

De Gubernatis tom. 2. pag. 868. Cum fratribus nostris tertii ordinis s. Francisci reformatis de Francia Romam venientibus nullus adhuc locus, in quem se recipere vel recipi possint, a praedecessoribus nostris assignatus fuerit, volentes dictorum fratrum tam animi quam corporis tranquillitate, cum sint filii nostri et sub obedientia nostra constituti, pro dignitatis nostrae officio prospicere, volumus iniongimusque nostro commissario sive procuratori pro tempore existenti pro ultramontana familia, ut posthac, quoties aliqui illorum ex dicta Franciae provincia Romam legitime a superiori suo missi fuerint, ostensa dicto commissario sive procuratori nostro provincialis sui obedientia, in conventu nostro Aracoeli ab iisdem retineantur, ubi cum fratribus nostris primi ordinis habitare, degere convictitareque possint tandiu, quandiu praedicti commissarius et procurator iudicabunt; quibus omnibus dicti conventus superioribus dictos fratres commendamus, et eos pro posse tamquam proprios fratres nostros cum omni charitate, amore et benevolentia excipiant, tractent amplectanturque. Quoties autem opus fuerit, iisdem fratribus ut sua negotia in Urbe tractare valeant, licentiam egrediendi e conventu benigniter impendant: quod cum fraterno amore praestiterint, certo sciant se a Deo opt. max. qui est fons et auctor omnium bonorum, centuplum accepturos nobisque rem gratissimam paracturos.

Datum Romae in praedicto Aracoeli conventu die xv. Aprilis MDCX.

Loco ✠ Sigilli

Fr. Archangelus a Messana
minister generalis.

CVIII. Ludovicus a s. Ioanne Evangelista in Romana curia commissarius generalis eisdem iubet, ut, deposita corrigia, cingulum crineum assumant.

Idem ibidem. *Fr. Ludovicus a s. Ioanne Evangelista ordinis s. Francisci regularis observantiae, necnon fratrum poenitentium tertii ordinis eiusdem s. Francisci ultramontanae familiae cum plenitudine potestatis in Romana curia commissarius generalis et servus, omnibus praesentes inspecturis lecturis vel audituris salutem et pacem in Filio pacis.*

Cum ex parte fratrum poenitentium tertii ordinis regni Galliae multoties apud illustriss. et reverendiss. d. s. r. e. cardinalem Pamphilium s. d. n. Pauli divina providentia papae v. vicarium generalem, necnon totius ordinis fratrum minorum de observantia et poenitentium tertii ordinis viceprotectorem instantia fuerit facta et humilis supplicatio, ut deposita corrigia quam hucusque dicti fratres de poenitentia portare consuevere, chorda crinea sive canapea uti possint. Sua tandem illustrissima d. huiusmodi supplicationi annuit; quapropter de ordine et speciali mandato eiusdem illustrissimi d. auctoritate prae-

sentium, omnibus et singulis fratribus tertii ordinis s. Francisci in regno Galliae existentibus liberam concedimus licentiam et facultatem, ut reiecta sive deposita corrigia praedicta, chordam criaeam vel canapeam imposterum quoant assumere ac deferre. Item idem illustrissimus d. dictorum fratrum votis ac devotioni consulens licentiam eisdem impartivit, ut sicuti ab initio ipsorum reformationis viginti ab hinc duobus circiter annis continuo sandalia zocolosve pro ipsorum velle, gestavere ad praesensque gerunt, sic et doinceps gestare ac ferre libere valeant. Non obstantibus etc.

Datum Romae in conventu s. Mariae de Aracoeli die xvii. Maii mdcx.

Loco ✠ sigilli

Fr. Ludovicus a s. Ioanne Evangelista
commissarius generalis.

CIX. Marianus Porbenedictus protector fratrum minimorum, et Hieronymus Pamphilius protector fratrum minorum de observantia s. r. e. cardinales decretum tulerunt circa habitum deferendum tum a fratrum minimorum tum a fratrum de tertio ordino familia.

Nos Marianus Perbenedictus episcopus Tusculanus card. de Camerino ordinis minimorum s. Francisci de Paula protector, et Hieronymus tituli s. Blasii de Annulo presbyter card. Pamphilius ordinis fratrum minorum de observantia viceprotector.

Cum ss. d. n. Paulus divina providentia papa v. saeraque illustriss. cardinalium congregatio negotiis regularium praeposita nobis expresse commiserint causam vertentam inter fratres tertii ordinis s. Francisci do poenitentia nuncupatos ultramontanae familiae, praesertim Hispanorum et Gallorum ex una, et fratres s. Francisci de Paula partibus ex altera, super colore habitus gestandi a dictis fratribus tertii ordinis, ut a fratribus s. Francisci de Paula aperte distingui possint; nos saepe saepius praedictis partibus in voce et scriptis auditis pro maiori dictorum fratrum interesse, quiete et tranquillitate multoties et mature a nobis considerato huiusmodi negotio, volentes iis, quantum in Domino possumus, consulere, cupientesque, sublatis controversiis omnibus quae hactenus inter illos intervenerunt quietius et securius in humilitatis spiritu Altissimo famulari valeant, iudicavimus, decernimus et statuimus, ac per praesentes mandamus et ordinamus, ut iuxta ipsorum regulam indultaque summorum pontificum, praesertim fel. mem. Clementis viii. habitus praedictorum fratrum tertii ordinis de poenitentia nuncupatorum sit ex humili et vili panno confecto hoc modo, videlicet ex quatuor partibus lanae naturaliter nigrae et sine aliqua tinctura contextae, et una parte lanae etiam naturaliter candidae, ita quod singulis quatuor libris lanae naturaliter nigrae addatur una libra lanae albae, prout in brevi Clementis viii. latius continetur; quamobrem denuo ordinamus necnon statuimus, ut postbac elapsis sex mensibus dicti fratres omnes tertii ordinis ultramontanae familiae praesertim Hispanorum et Gallorum, habitu ille praedicto modo contexto induantur et in futurum utantur. Quae omnia et singula ita fieri et observari ab omnibus dictis fratribus in virtute s. obedientiae, et sub poena privationis officiorum et inhabili- *Idem ibid. pag. 885.*

tatis ad similia officia in posterum obtinenda, necnon excommunicationis latae sententiae et aliis gravioribus poenis arbitrio nostro imponendis, mandamus atque praecipimus. In quorum fidem etc.

Datum Romae in palatiis nostris die xxx. Aprilis mdcx.

Loco ✠ sigilli.

Marianus Perbenedictus card. de Camerino
protector minimorum de s. Francisco de Paula.
Hieronymus card. Pamphilius
ordinis fratrum minorum de observantia vice-protector.

CX. Latum decretum confirmavit pontifex sequenti diplomate.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Idem ibid. pag. 684. Inter graves pastoralis officii nostri curas quibus assidue premimur, haec potissimum nos urget, ut christifideles praesertim regularem vitam profitentes, semotis litium anfractibus, unanimi voce sub concordiae legibus Altissimo vota exsolvant et si quae inter eos exortae sint lites et discordiae, illae, prout ius et aequitas postularet, eliminentur, et ne in futurum resurgant, opportunis remediis provideatur.

§. 1. Alias siquidem per nos accepto, quod lis et causa inter dilectos filios tertii ordinis s. Francisci de poenitentia nuncupatos ultramontanae familiae ex una, et fratres ordinis s. Francisci de Paula partibus ex altera, super colore habitus gestandi a dictis fratribus tertii ordinis, ut a praefatis fratribus s. Francisci de Paula aperte distingui posset, pendebat.

§. 2. Nos litem et causam huiusmodi fratri nostro Mariano episcopo Tusculano de Camerino et dilecto filio nostro Hieronymo Pamphilio tituli s. Blasii de Annulo s. r. e. presbyteris cardinalibus nuncupatis minimorum s. Francisci de Paula, et fratrum minorum de observantia ordinum huiusmodi apud nos et apostolicam sedem respective protectori et vice-protectori audiendas, cognoscendas, decidendas fineque debito terminandas, omni et quacumque appellatione remota commisimus.

§. 3. Qui quidem Marianus et Hieronymus cardinales in executionem commissionis huiusmodi saepe saepius praefatis partibus in voce et in scriptis auditis, multotiesque et mature ab eis considerato huiusmodi negotio, pro maiori dictorum fratrum interesse, quiete et tranquillitate iudicarunt, decreverunt et statuerunt, ut iuxta ipsorum regulam indultaque summorum pontificum, praesertim fel. rec. Clementis viii. praedecessoris nostri, habitum praefatorum fratrum tertii ordinis de poenitentia nuncupatorum sit ex humili panno confectus hoc modo, ut ex quatuor partibus lanae naturaliter nigrae et sine aliqua tinctura contextae, et una parte lanae etiam naturaliter candidae; ita quod singulis quatuor libris naturaliter nigrae addatur una libra lanae albae. Et alias prout in eorumdem Mariani et Hieronymi cardinalium decreto desuper facto plenius dicitur contineri.

§. 4. Cum autem utriusque ordinis praedicti fratres nobis nuper exponi fecerint, quod ipsi plurimum cupiant, decretum huiusmodi pro illius firmiori subsistentia et inviolabili observatione a nobis confirmari et approbari, ideo

nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur illorum votis, quo quietius et securius in humilitatis spiritu Altissimo famulari valeant, annuere eosque specialibus favoribus etc. huiusmodi supplicationibus inclinati,

§. 6. Decretum praefatum et omnia et singula in eo contenta apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint vel intervenisse dici vel censeri possint, supplemus, eaque omnia et singula valida et efficacia fore et esse perpetuamque roboris firmitatem obtinere, et ob omnibus et singulis utrinsque ordinis praefati fratribus nunc et pro tempore existentibus inviolabiliter observari debere, decernimus.

§. 7. Mandantes nihilominus omnibus et singulis ipsius ordinis de poenitentia fratribus, ministris et praelatis ultramontanae familiae, praesertim Gallorum et Hispanorum tam praesentibus quam futuris in virtute s. obedientiae ac sub privationis officiorum inhabilitatisque ad illa et alia in posterum obtinenda, necnon excommunicationis latae sententiae incurrendis poenis, ut posthac elapsis sex mensibus, dicti fratres omnes tertii ordinis habitu illo praefato modo contexto induantur et in futurum utantur.

§. 8. Quocirca venerab. fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis nostris et apostolicae sedis nuntiis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi per se vel per alium seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte utrinsque seu alterius ordinis fratrum huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicari, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari.

§. 9. Contradictores quoscumque per censuras et ecclesiasticas poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. 10. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die XIV. Augusti MDCX. pontificatus nostri anno VI.

S. Cobellutius.

CXI. Idem pontifex datis literis plura eisdem concedit, eosque regimini generalis ministri subiicit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel. rec. Clemens papa VIII. praedecessor noster volens prospero statui et felici regimini fratrum tertii ordinis s. Francisci in regno Franciae existentium opportune prospicere, motu proprio et ex certa sua scientia ac matura deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine universos fratres dicti tertii *Idem ibid. pag. 857.*

Digitized by Google

ordinis s. Francisci Franciae regni, eorumque conventus seu domos quascumque dilecto filio ministro generali ordinis s. Francisci de observantia ac commissario generali ultramontanae familiae praedicti ordinis necnon commissario generali nationali Franciae, quem praedictus minister generalis vel commissarius generalis pro tempore deputasset, qui ut dictus Clemens praedecessor noster acceperat, in ipsorum ministri et commissarii generalis absentia septem provincias dicti ordinis minorum de observantia regni Franciae gubernare solebat, auctoritate apostolica perpetuo subiecit, ipsisque ministro et commissario generalibus ultramontanae familiae necnon commissario generali nationali Franciae respective, ut eorum singuli per se vel alios sui ordinis fratres ad hoc idoneos respective deputandos, domos et conventus ac fratres tertii ordinis s. Francisci supradictos, tam in capite quam in membris visitare, corrigere, reformare et castigare, necnon electionem ministri provincialis, ut infra faciendam, servata forma decretorum conc. Trid. facere et confirmare possent, facultatem concessit et impartitus fuit. Praeterea cum tunc praedicti tertii ordinis fratres ministrum provincialem non haberent, voluit et eadem auctoritate statuit et ordinavit, quod fratres praedicti tertii ordinis seu eorum conventuum superiores et alii vocales in unum congregarentur iussu dicti ministri generalis ordinis s. Francisci de observantia seu commissarii nationalis Franciae, et ex seipsis unum ministrum provincialem per vota secreta eligerent, qui sic electus ab eodem ministro generali vel commissario generali Franciae, aut alio qui eorum nomine huiusmodi electioni praefuisset, confirmari deberet, ac omnibus privilegiis, facultatibus et auctoritate super omnes dicti tertii ordinis conventus et fratres regni Franciae, quibus alii ministri provinciales aliarum provinciarum tertii ordinis s. Francisci huiusmodi ubivis existentium frui et gaudere poterant et possent quomodolibet in futurum, sine aliqua differentia frui et gaudere posset, et deberet, prout ei ad hoc nominatim facultatem concessit et indulsit. Voluit etiam quod singulis bienniis seu trienniis iidem fratres vocales tertii ordinis praedicti capitulum provinciale celebrarent, ante cuius celebrationem tunc existens minister eorum provincialis teneretur a dicto generali ministro fratrum de observantia, vel a commissario generali ultramontanae familiae seu a commissario generali Franciae nationali, eiusdem ordinis de observantia visitatorem petere, qui eorum provinciam visitaret et electionem novi ministri provincialis, ut supra, faceret et confirmaret; verum si huiusmodi visitator intra duos aut tres menses ad summum non accessisset, supradicti fratres tertii ordinis ad celebrationem capituli et electionem novi ministri provincialis absque interventu dicti visitatoris procedere valerent, de qua electione visitatorem postea accedentem, qui eum confirmare teneretur, certiorem facere deberent; sed si post factam huiusmodi electionem et dictis superioribus notificatam electio praedicta intra sex menses ab eis confirmata vel confirmata non foret, ipsa electio apostolica auctoritate censeretur confirmata eo ipso, et alias prout in dicti Clementis praedecessoris desuper in simili forma brevis expeditis literis plenius continetur. Cum autem sicut iidem fratres tertii ordinis huiusmodi reformati regni Franciae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi plurimum cupiant, literas Clementis praedecessoris praedictas, quo firmius subsistant et ab omnibus inviolabiliter observentur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri: ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excom-

municationis etc. necnon dictarum literarum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, literas Clementis praedecessoris praedictas ac omnia et singula in eis contenta, quatenus sint in usu, ac minime revocata aut ab aliquibus revocationibus non comprehensa, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Decernentes illa omnia et singula sic et non aliter perpetuo observari debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerab. fratribus Lugdunen. et Tolosan. archiepiscopis ac dilecto filio nostro et apostolicae sedis in regno Franciae nuntio per praesentes committimus et mandamus, et quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum reformatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere: non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari: Contradictores quoscumque etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xxvii. Octobris mdcx. pontificatus nostri anno vi.

S. Cobellutius.

CXII. Aliis datis ab eodem pontifice literis confirmat decretum ministri generalis circa cingulum canapeum ac calcpodia ab eisdem fratribus gestanda.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ut ea quae pro religionum bono et personarum in ipsis degentium quiete per ipsarum religionum superiores statuta et concessa ordinatâque sunt, firmie et illibata perpetuo subsistant, apostolicae confirmationis robur libenter adiicimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum fratrum tertii ordinis s. Francisci reformatorum regni Franciae nobis nuper expositum fuit, quod dilectus pariter filius Archangelus a Messana ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia minister generalis iniunxit dictis fratribus, ut deposita corrigia, cingulum canapeum seu crineum, ut vocant, assumerent et in posterum deferrent, et insuper eisdem, ut zocolis si et prout hactenus usi fuerint, uti, et sicut ab initio reformationis magno cum pietatis exemplo gestarunt et gerunt, prout in ipso Archangeli ministri generalis decreto desuper facto dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, dicti fratres plurimum cupiant, decretum huiusmodi pro firmiori illius subsistentia et validitate apostolicae nostrae confirmationis robore communiri: ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos fratres reformatos spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc. eorum hac in parte supplicationibus inclinati, decretum praefatum apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo *Idem ibid. pag. 885.*

confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die I. Decembris MDCX. pontificatus nostri anno VI.

S. Cobellutius.

CXIII. Ut autem fratres laudatae congregationis Gallicanae cum fratribus minimis s. Francisci de Paula controversias in posterum caverent, summum pontificem deprecaruut super formam eorumdem habitus quem sibi sumere liceret. Hinc pontifex audito super id negotium Archangelo a Messana ordinis supremo praeside, ad concordiae firmitatem sequens edidit diploma.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam

Ex reg. secr. brev. in mense Decembri pag. 178.

Postulat ratio pastoralis officii nobis, licet imparibus meritis, divina providentis commissi, ut religionum quarumlibet ad divini cultus augmentum et fidei catholicae propagationem institutarum et personarum in illis degentium quieti et tranquillitati intendentes illa statuamus et decernamus, per quae remotis sublatisque discordiarum et controversiarum occasionibus, vota sua Altissimo exsolvere valeant, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres reformati tertii ordinis s. Francisci de poenitentia nuncupati regni Franciae, quod alias postquam per venerabilem fratrem nostrum Marianum episcopum Tusculan. de Camerino, et bon. mem. Hieronymum dum viveret tituli s. Blasii de Annulo presbyterum s. r. e. cardinalem Pamphilium nuncupatos fratrum minimorum s. Francisci de Paula et fratrum minorum de observantia nuncupatorum ordinum, apud nos et apostolicam sedem respective protectorem et vice protectorem pro omnium fratrum praedictorum maiori quiete ac tranquillitate decreverant et statuerant, ut habitus tertii ordinis, iuxta indulta fel. rec. Clementis papae VIII. et aliorum romanorum pontificum praedecessorum nostrorum esset ex humili panno confectus, ex quatuor videlicet partibus lanae naturaliter nigrae et sine aliqua tinctura consertae, et una parte lanae naturaliter candidae, ita quod singulis quatuor libris lanae naturaliter nigrae adderetur una libra lanae albae, nosque decretum et statutum huiusmodi ac omnia et singula in eis contenta perpetuo approbaveramus et confirmaveramus, prout in praedictis literis in simili forma brevis expeditis plenius continetur; praedicti fratres reformati tertii ordinis volentes etiam quoad formam habitus per eosdem ferendi omnem controvertendi cum aliis religiosis praefatis occasionem tollere, huiusmodi habitus formam, prout alias per perp. mem. Iulium papam II. etiam praedecessorem nostrum designatam fuisse asserunt, de novo per nos designari instituerunt, et nos dilecto filio fr. Archangelo a Messana dicti ordinis fratrum minorum ministro generali commisimus, ut referret nobis quid desuper expediret; ipseque frater Archangelus minister generalis ad maiorem inter fratres reformatos et alios religiosos praedictos tranquillitatem et pacem servandam expedire retulit, ut habitus dictorum fratrum reformatorum tertii ordinis sit secundum formam in literis praedicti Iulii praedecessoris expressam, videlicet ut iidem fratres

reformati habeant caparonem lotum ut desuper scapulas descendat ab utraque parte per quatuor digitos, in longitudine vero tam a parte interiori quam posteriori attingat infra cingulum, ut supra, illo cingi possint, prout in dicti fratris Archangeli ministri generalis relatione in scriptis desuper facta contineri dicitur. Cum autem sicut eadem expositio subinogebat dicti fratres reformati cupiant habitum ob ipsis deferendum iuxta formam superius descriptam per nos approbari, ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis eorum votis annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos fratres reformatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod ex nunc de caetero perpetuis futuris temporibus nunc et pro tempore existentes fratres reformati tertii ordinis de poenitentia nuncupati regni Franciae habeant et deferant caparonem latum et desuper scapulas descendat ab utraque parte per quatuor digitos, in longitudine vero tam a parte anteriori quam posteriori attingat infra cingulum, ut supra, illo cingi possint, prout alias per dictum Iulium praedecessorem nostrum ordinatum et praescriptum fuit, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus. Decernentes dictos fratres reformatos super forma habitus, ut praefertur, designati ullo unquam tempore a quoquam quavis auctoritate molestari non posse. Quocirca venerabilibus fratribus Lugdunen. et Tolosan. archiepiscopis ac dilecto filio nostro et dictae sedis in dicto regno nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praedictas literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum reformatorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra dictos fratres reformatos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque etc. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die vi. Decembris pontificatus nostri anno vi.

CXIV. Fratres claustrales de tertio ordine recipiunt hoc anno conventum s. Nazarii sub invocatione s. Mariae de Fontana dioecesis Papiensis in provincia Mediolani. Provinciam tunc temporis moderabatur ab Imerio Ferrario Papiensi. Coenobium s. Mariae Quarterii Parmae in provincia Bononiensi concessum fuit die iii. Aprilis, annuente etiam canonicorum capitulo, o Papino urbis episcopo fratribus Bonaventurae Musa, et Laurentio Glorierio Placentinis, additis oneribus solvendi singulis annis episcopali mensae semilibram cerae elaboratae in pervigilio assumptionis b. Mariae virginis et celebrandi in perpetuum quotidie sacrum.

Conv. s. Nazarii. Bordonius pag. 334.
Conv. Parmae. Idem pag. 304.

CXV. Iidem fratres in provincia Siciliae incoluerunt coenobium s. Bartholomaei in urbe Termini dioecesis Panormitanae, ad oram maris Siculi positum, cuius ecclesia spectabat ad congregationem navitarum pisces capientium. Conventus eorumdem fratrum titulo s. Mariae la Nova intra moenia oppidi Ragusae dioecesis Catanensis concessus fuit hoc anno Hyacintho ibidem nato,

Conv. Termini. Idem pag. 452.
Conv. Ragusae. Idem pag. 455.

Digitized by Google

a canonicis cathedralis illius ecclesiae. Antea incolebant aedem s. Antonini, vulgo s. Antonii de Padua, fratribus aeque ac christifidelibus non satis accommodam pro peragendis audiendisque divinis officiis.

Conv. Centumcellarum. Tauli pag. 84.

CXVI. Matthaeus Frasso guardianus fratrum conventualium coenobii s. Francisci Centumcellarum, et Antonius a Vetralla hoc anno die VIII. Februarii posuerunt crucem penes moenia illius civitatis, ut novum coenobium, annuente pontifice, ibidem aedificarent sub invocatione s. Francisci. Antea enim degebant in coenobio ad IV. milliare ab urbe posito. Ecclesiae et coenobii structura perfectionem accepit anno MDCXIII. ex monumento inciso ad evangelii latus arae maioris.

D. O. M.
FRATER MATTHAEVS FRASSVS SACERDOS
DE SASSARI GVARDIANVS S. FRANCISCI
IN CIVITATE VETERI HVNC CONVENTVM
FUNDAVIT ANN. MDCXIII.
VIXIT ANN. LXXXIV. MORTVVS EST DIE XXII. APRILIS HORA XVIII.
ANNO SALVTIS MDCXXXIII.
IVLIVS BELTRAMVS AMORE POSVIT.

CXVII. Idem Matthaeus aliam commodiorem ecclesiam instruxit. Facti memoria obviat in choro ecclesiae. *Frater Matthaeus Frassus Sardus guardian. videns primam ecclesiam s. Francisci structam in agro ab ill. d. Franc. Andreotteo relicto testamento plurimam ad divina officia eundo populo incommoditatem afferre, superiorum permissu atque piorum eleemosynis adiutus, sacras has aedes secundo a fundamentis erexit, ut populus commodius divinis officiis ac sacris rebus interesse possit, anno Domini* MDCXV. *mensis Iunii die* VI. *qua fuit benedicta et celebrata prima missa vigilia pentecostes.*

Prostrat et memoria de nova ecclesiae consecratione.

D. O. M.
TIBERIO CARDINALI MVTO
ASSISTENTI PERVIGILI
FRATRIS MATTHAEI FRASSI
HVIVS CONVENTVS PRAEFECTI
PRECIBVS ANNVENTE
ALEXANDER CHARISSIMVS
EPISCOPVS CASTRENSIS
HANC ECCLESIAM
DIVO FRANCISCO DICATAM
RITE CONSECRAVIT
TERTIO NONAS MAII
ANNO SALVTIS M. DC. XXX.

Conv. Urbevetanus.

CXVIII. Iidem fratres facultatem accipiunt a pontifice: *Exponi nobis* die x. Martii vendendi quaedam bona ac extinguendi quaedam legata spectantia ad coenobium s. Francisci positum extra muros Urbisveteris provinciae Romanae pro novo excitando sub eadem invocatione intra moenia illius civitatis.

Digitized by Google

CXIX. Fratres capucini incoluere hoc anno coenobium Bellatii dioecesis Comensis provinciae Mediolani; in provincia Brixiensi coenobium Bovini; in provincia Genuae coenobium Montonii dioecesis Ventimiliensis, coenobium Portus Mauritii at Tabiae dioecesis Albinganensis; in provincia Pedemontana coenobium Secusii dioecesis Taurinensis; in provincia Corsicae coenobium Olmettae dioecesis Nebiensis et coenobium Barumini dioecesis Alborensis; in provincia Lucaniae coenobium Abriolae dioecesis Potentinae et coenobium s. Francisci in Civitata Regia; in provincia Cosentiae coenobium Castrilii dioecesis Cosentiae et coenobium Ursomartli dioecesis Cassanensis; in provincia Hydruntina coenobium Giousii dioecesis Materanensis; in provincia Messanensi coenobium in civitate s. Luciae nullius dioecesis et coenobium Radantii dioecesis Messanensis; in provincia Turritana coenobium Calaris dioecesis Bosanensis; in provincia Flandro-Belgica coenobium Cortraci dioecesis Tornacensis; in provincia Parisiensi coenobium Noviodoni, Silvanetti et Trecarum; in provincia s. Ludovici coenobium Anrasconi; in provincia Britanniae coenobium Fontiniaci dioecesis Rupellensis; in provincia Lotharingiae coenobium Romantici Montis dioecesis Tullensis; in provincia Tolosana coenobium Fontiniani dioecesis Montispessulanensis; in provincia Catalanniae coenobium Matani dioecesis Barcinonensis; in provincia Valentiae coenobium s. Matthaei in oppido Montesii; in provincia Castelloe coenobium Matriti dioecesis Toletanae; in provincia Romana coenobium s. Francisci in oppido Montisrotundi dioecesis Sabinensis, incolarum impensis aedificatum. Sunt etiam summi pontificis literae pro erigendo eorumdem coenobio in oppido Montis Ulmi dioecesis Firmanae in provincia Marchiae: *Exponi nobis* die xxi. Martii; item et pro eorumdem infirmaria in urbe Messanae in Sicilia: *Exponi nobis* die xxii. Aprilis. In provincia Croatiae iacta sunt hoc anno fundamenta coenobii sub invocatione s. Augusti in urbe Fluminensi in Dalmatia. de quo nihil Tugius. In provincia Bavarica extitit et pro eis coenobium Assumptionis b. Mariae Landishutanum, insigni pietate erectum a serenissima Anna, Ferdinandi ii. Caesaris filia.

Ex albo Michaelis a Tugio.

Sperandio Sabina Sacra pag. 186

Greiderer tom. 1. pag 235. Idem tom. 2. pag 473.

CXX. Quaedam monasteria etiam pro sanctimonialibus excitantur. In provincia s. Michaelis cessit sororibus clarissis monasterium Conceptionis de Zalamea dioecesis Curiensis. Subest ministro provinciae. Positum etiam fuit earumdem virginum collegium in oppido Moura dioecesis Eborensia in provincia Algarbiorum, piorum eleemosynis oedificatum. Ante hoc tempus incolebant monasterium s. Salvatoris, a quo migrorunt ob loci augustiam oerisque inclementiam. Monasterii praeses electa fuit Maria de Consolatione. Emmanuel Cochilla minister provincialis caeteras moniales eo adduxit e monasterio Monfortii. Incolitur a xxx. sororibus. Prope oppidum de Bilbao in provincia Cantabriae inchoatum fuit pro eisdem monialibus monasterium sub invocatione s. Clarae. Aedem aliquando inhabitarunt aliquot sorores de tertio ordine. Ulmae etiam excitatum fuit pro monialibus capucinis monasterium, de quo Tugius.

Monast. de Zalamea Monum. prov.

Monast. de Moura. Monum. prov.

Monast. de Bilbao. Monum. prov.

Monast. Ulmae. Tugius tom. 4. pag. 66.

CXXI. Die xiii. Ianuarii Laurentius Mangioius archiepiscopus Lancianensis consecravit altare s. Didaci, et die xxii. eiusdem mensis altare ss. crucifixi ecclesiae s. Mariae de Aracoeli de Urbe. Gonzalvus Duranti episcopus Montis Feltriae consecravit ecclesiam titulo s. Iosephi in coenobio s. Angeli in Vado. Die xiii. Iunii episcopus Forosempronii consecravit ecclesiam ss. annuntiationis minoritarum de observantia positam extra moenia urbis. Ecclesia capucinorum Cadncensis consecrata fuit a Simeone Stephano de Popiano illius civitatis epi-

Casimirus a Roma de eccl. Aracoel. pag 83. 87.

Monum. prov.

Monum. prov.

Gallia christiana t. 1. pag 197.

scopo. Meutanae dioecesis Praenestinae in provincia Romana obviat prae foribus ecclesiae capucinorum sequens memoria consecrationis illius ecclesiae: *Ad b. Virginis conceptionis honorem et gloriam Caesar Fidelis episcopus Sulmonensis anno salutis MDCX. die XIV. Novembris magno populi concursu templum hoc et altare maius, et s. Michaelis et s. Francisci minora consecravit imaginesque benedixit.*

CXXII. Hoc anno die XXVII. Ianuarii ad moderandam ecclesiam Funcalensem in Insula Madera assumptus est Laurentius de Tabora de la Piedad Lusitanus ex minoritis de observantia; die XIX. Iulii ad moderandam metropolitanam ecclesiam Granatensem delectus est Petrus Gonzalez de Mendoza eiusdem instituti, Roderici Gomez de Silva et Annae de Mendoza Eboleusium principum et ducum de Pastrana filius, iam commissarius generalis ultramontanae familiae. Ecclesiae Bisinianensi praefectum fuisse quemdam fratrem nomine Marcum ex eodem instituto tradit Petrus de Alva in suo indiculo bullarii. Item scribit Philippus Cagliola ab Henrico IV. Galliarum rege oblatum fuisse Paulo V. pontifici Vincentium Corrittum Panormitanum ad episcopale munus. At quo anno et cui ecclesiae praepositus fuerit, ignoratur. Inquisitoris generalis contra haereticam pravitatem officium obtinuerunt hoc anno pro urbe Senarum Laelius Marzari Faventinus et pro urbe Pisarum Angelus Gottardi Ariminensis, ambo minoritae conventuales.

Cagliola in provinc. Siciliae pag. 98.

CXXIII. In generali comitio fratrum claustralium de tertio ordine in urbe coacto die XXIX. Maii iterum confirmatus fuit generalis eiusdem instituti Antonius de Sillis, Vallis Sclavae de Terra Collerii dioecesis Bergomensis.

De Sillis pag. 38.

CXXIV. Aliqua mandat et indulget summus pontifex. Iubet ut etiam inter regulores studia linguarum hebraicae, graecae, latinae et arabicae habeantur: *Apostolicae servitutis* pridie calendas Augusti; iubet ne extrahantur libri e bibliotheca coenobii observantium s. Mariae Lucerien. *Cupientes* die XIX. Decembris; item iubet, ne aliis mutuentur vasa ac paramenta sacra spectantia ad observantes coenobii s. Francisci Gadicensis: *Cupientes* die XXII. Decembris; et ne extrahantur sacrae reliquiae e monasterio capucinarum Senis: *Cupientes* die X. Maii; committit episcopo Conimbricensi, ne ancillae recipiantur in monasterio s. Clarae eiusdem urbis: *Exponi nobis* die VI. Decembris; eidem committit, ut ad tres annos reducat munus abbatissarum laudati monasterii: *Exponi nobis* die XXII. Decembris; unit bona monasterii monialium s. Spiritus cisterciensis ordinis in suburbio oppidi Ilserv dioecesis Pataviensis, monialibus vacuum, monasterio clarissarum b. M. virginis Viennae: *Ex iniuncto* die .... Octobris; indulget ut moniales clarissae monasterii s. Ursulae Mantuae recitare valeant officium iuxta calendarium fratrum minorum de observantia: *Rationi congruit* die IV. Februarii; ut in cunctis monasteriis provinciae Belgii recitetur officium divinum b. Colettae: *Alias* die II. Septembris; ut Artemisia ab Austria ducissa Candiae et uxor pro-regis Sardiniae secum retineant confessionis emitteudae causa Ioannem Rodriquez discalceatum: *Tua* die XXI. Iulii; ut Margarita Gonzaga vidua ducissa Ferrariae tam in privato oratorio domus suae quam in aliis ecclesiis, ubi praesto est, missas celebrare faciat iuxta calendarium fratrum minorum de observantia: *Tua in Deum* die XV. Martii; precibus Henrici IV. Galliarum regis indulget, ut in eodem regno celebretur officium s. Ludovici regis et eius natalitia dies sit festiva de praecepto: *Domini nostri* die XVI. Aprilis; aliqua concedit Laurentio a Brundusio capucino in Germanium proficiscenti: *Cum tu* die XI. Octobris,

CXXV. Erigit confraternitatem chordigerorum in ecclesia, praepositura nuncupata, dioecesis Constantiensis, precibus Henrici Truchses baronis de Wolfico: *Inter alia* die xxix. Aprilis; eadem congregatio erecta fuit hoc anno Agrigenti sub invocatione s. Didaci in ecclesia s. Mariae extra eamdem urbem posita. Panormi in ecclesia s. Mariae de Misericordia extitit et hoc anno congregatio tertii ordinis, qui tunicam induunt cinericiam. Erigit confraternitatem s. Rochi in loco de Lonetta Mediolanensis dioecesis: *Cum sicut* die xxx. Augusti; confraternitatem conceptionis in ecclesia observantium s. Francisci terrae de Romanengo Cremonen. dioecesis: *Cum sicut* die viii. Aprilis. *Tognoletto pag. 307. et 308.*

CXXVII. Consilio et opera pientissimi viri Nicolai Spinelli Senensis ex minoritis de observantia sacrae theologiae lectoris in coenobio s. Bernardini Aquilae erectum fuit in ecclesia eiusdem coenobii sodalitium ss. nominis Iesu et s. Bernardini, probante Gondisalvo Rueda episcopo loci, literis ad eum datis die xv. Maii. Hoc eodem anno idem sodalitium ratum habuit Archangelus a Messana, et anno mdcxii. Franciscus de Hierro, alii de Ferro supremi ordinis moderatores. Die xiv. Ianuarii triumphus ss. Nominis Iesu sacra solemni pompa a confratribus celebratur. *Monum. prov.*

CXXVIII. Concedit altare privilegiatum s. Mariae in ecclesia s. Francisci observantium Terrae de Foiniza Bosnen. dioecesis: *Omnium saluti* die xvi. Decembris; altare nationis Genuensis in ecclesia b. Mariae Gratiarum oppidi de Alicante Orioleu. dioecesis: *Omnium saluti* die xxii. Decembris; altare ss. sepulcri in ecclesia s. Annae monialium de Villasana Burgensis dioecesis: *Omnium saluti* die xiv. Iulii; altare ss. crucifixi in ecclesia s. Marioe de Monte Sancto reformatorum extra Tridentum: *Omnium saluti* die vi. Iulii; altare ss. xii. Apostolorum in ecclesia conventualium terrae Casalis Maioris: *Alias* die xxvi. Iunii; altare ss. crucifixi concessum a Gregorio xiii. ecclesiae conventualium s. Francisci Fabriani, licet octo sint sacerdotes; decem enim desideraverat idem Gregorius: *Alias* die xxvi. Iunii; transfert altare privilegiatum s. Mariae in ecclesia observantium terrae Marani dioecesis Cassanensis ad aliud altare a guardiano loci deputandum: *Alias* die xvii. Aprilis.

CXXIX. Caetera diplomata exscribimus ex indiculo bullarii Petri de Alva. Pro archiconfraternitate chordigerorum s. Francisci Assisien. indulgentia: *Piis christifidelium* die xv. Iunii; beneficium conceptionis in ecclesia Casalinen. *Vitae et morum* xiii. calendas Novembris; cappellania in altari conceptionis in ecclesia Plebe nuncupata s. Andreae Montiscaroli Florentin. *Ex iniuncto* calendis Iulii; confraternitas et indulgentia conceptionis in conventu s. Bernardini. Veronen. *Super gregem* xv. calendas Maii; beneficium conceptionis in ecclesia s. Martini de Malda Tarraconen. dioecesis: *Dignum* x. calendas Iunii; cappellania conceptionis in ecclesia monasterii s. Petri m. Florentin. *Dignum* iii. nonas Ianuarii; cappellania conceptionis in ecclesia s. Mariae terrae Setiae Terracinen. *Dignum* pridie nonas Iunii; pro monasterio s. Clarae Laurinen. *Ex iniuncto* idibus Ianuarii; pro monasterio clarissarum Perusin. *Ex iniuncto* xiv. calendas Septembris; pro conventu s. Mariae Novae Neapolis: *Romanus pontifex* nonis Martii; pro clarissis monasterii de Bretonera Burgen. *Ex iniuncto* x. calendas Decembris; pro beneficio fr. Ioannis de Corbacho Legionen. *Dignum* xiv. calendas Aprilis; pro monasterio clarissarum s. Euphemiae Cuman. *Ex debito* pridie nonas Decembris; pro monasterio s. Catharinae castri Rodicendoli Volaterran. *Ex iniuncto* xii. calendas Septembris; pro monasterio s. Bartholomaei Anconitan. *Ex iniuncto* pridie idus Iunii;

beneficium conceptionis in ecclesia s. Andreae Valentin. *Dignum* III. nonas Septembris; indulgentia pro confraternitate ss. sacramenti in conventu observantium Colonien. *Cum sicut* die XXIII. Aprilis; ius eligendi cappellanos clarissarum de Villaconde: *Dignum* XI. calendas Ianuarii.

Ann. min. ad ann. 1456. n. 201. CXXX. Narrantur quaedam miracula. Philippus III. Hispaniarum rex aestivo tempore cum aulicis suis commorans in oppido Arandae, eius filius Philippus acuta febri correptus, quotidie graviori premebatur languore, neque interdiu ac nocte quiescere poterat. Eius infirmitas eo devenit, ut aulae protomedicus excubantibus prae cubiculi vestibulo, iam actum esse de principe, neque spem de eo ullam superesse salutis dixerit. Tunc pientissimus pater ad divinum auxilium sanctorumque intercessionem confugiens, in Aquileriae coenobium proceres amandavit, ut s. Petri Regalati cucullam binosque Sancti digitos ex sacrario illius coenobii Arandam adsportarent. Pio regis voto satisfecit Franciscus Borgia coenobii guardianus, qui una cum illis confestim abiens, sacra Petri pignora ad principis cubiculum detulit. Eo in ingressu invadit languentem somnus, qui prius ab oculis fugiebat; postea expergescenti admotae reliquiae, coepit se melius habere. Miraculi veritatem medici proclamarunt.

Ibidem ad ann. 1435. n. 21. CXXXI. Eugenius Bolonnius Fulginas meritis b. Angelinae Corbariensis tertiariae, anno MCDXXXV. ea in civitate defunctae, in quadam afflictione exauditus, testamento fieri praecepit pro corpore Beatae conservando arcam crystallinam aureis circulis obfirmatam, alteramque ligneam obduci. Eius filius Franciscus voluntati parentis obsequutus, die III. Octobris utramque arcam donavit, et in lignea optime dolata inclusi corporis effigiem expressit.

Acta ss. ad diem 24. Iulii pag. 756. CXXXII. Bartholomaeus Fusorius custos et officialis Sandecensis IV. dominica adventus febri correptus, toto mense in desperata fuit valetudine. Celebrata erat pro eo missa et litaniae decantatae a monialibus clarissis monasterii Sandecensis. Somno detentus, apparuit ei b. Cunegundis et dixit: *sanus eris, sed ad ecclesiam collegiatam Sandecensem devotionem rosarii b. Mariae virginis introducere debes.* Extemplo sanatus, Beatae voluntatem explevit.

Terrinca pag. 255. CXXXIII. Obviat in ecclesia conventus immaculatae conceptionis minorum de observantia Lubronia in provincia Hetruriae sequens monumentum:

TORQVATVS BARBOLANVS EX COMITIBVS MONTIS ACVTI OB MILITARIS DISCIPLINAE STVDIVM FIDEM AC DILIGENTIAM SERENISSIMIS MAGNIS DVCIBVS HETRVRIAE FERDINANDO (I) ET COSIMO (II) CHARVS EORVMQVE LIBERALITATE SVMMA OPE ET DIGNITATE NON SEMEL AVCTVS CVM PRAEFECTVRAM IN ARCE VETERI HVIVS CIVITATIS ANNO XIV. EXERCERET E VITA MIGRAVIT ET HOC IN SEPVLCRO FRATRVM PROPE FILIOS SEPELIRI PETIIT. OBIIT DIE XXIII. SEPTEMBRIS ANNO SALVT. MDCX. AETATIS VERO SVAE LV.

Parce, Francisce, ferat post funera vestem,
Quam vivens, si non corpore, corde tulit.

ARGUMENTUM

Haereticorum facinus in fratres minores de observantia conventus Pragensis. Occumbunt viri Dei et virgines. S. Fidelis a Sigmaringa adscribitur fratribus capucinis. Inter eos emicat vitae sanctitate s. Ioseph a Leonissa. Excitantur aedes pro sororibus ac fratribus. Minoritae conventuales habent generale comitium. Viri docti et vitae sanctitate florent. Instituuntur s. r. ecclesiae cardinales et episcopi. Ordo a summo pontifice cumulatur beneficiis.

IN coenobio s. Mariae ad Nives Pragae in provincia Bohemiae pro catholicae fidei defensione crudele letbum subiere quatuordecim franciscani fratres de observantia, urbis evangelici cultores, ab acatholicis ab anno MDCVI. molitum. Hos divini verbi praecones minus vere inter suos adscribit in compendio minoriticae historiae Franciscus Antonius Benoffi; nam conventuales fratres eo tempore incolebant coenobium s. Iacobi apostoli in urbe Pragensi positum. Non audiendi sunt Marianus, Mazara et Hueber, qui eos fuisse putant ex fratrum reformatorum familia; nam eisdem fratribus coenobium s. Mariae ad Nives obvenit anno MDCXXVII. decreto comitii provincialis Brunae coacti.

Greiderer tom. 1. p. 747. n. 302.

Benoffi pag. 283. Greiderer ibid. pag. 686. n. 184. Marianus pag. 322. Alii ad diem 2. Februarii. Greiderer ibid. pag. 595. n. 60.

II. Frequens igitur thaboritarum, picardorum, lutheranorum, calvinistarum aliorumque haereticorum colluvies, lanceis, gladiis, fustibus ferreisque uncis instructa, hora octava matutina, non diei II., sed XV. Februarii in laudatum Pragense coenobium confluxit. Sacra primum vasa, ornamenta caeteraque ecclesiae supellectilia cuncti diripuere; sanctorum vero imagines ac sacrum Christi corpus indignis modis profanarunt; mox vero in coenobium irruentes, in fratrum cellas discurrerunt fratresque ibidem inventos, mortem laeto animo pro Christo expectantes, crudeliter variis modis interemerunt.

III. Aberat e coenobio Aegidius Smout Mechliniensis coenobii praeses, et Henricus Wendliensis vicarius, qui consulto Viennam accesserant, ut familiae suae ab haereticis exagitatae patrocinium apud Caesarem procurarent. Omnium primus incidit in eorum manibus Fridericus Bachstein, alias Pachstein Germanus ex regione Pomerania, coenobii concionator eximiusque, ut aiunt, controversista, telo lateri immisso peremptus. II. Ioannes Martinez, alias Martinix hispanus, sacrista, item controversista et nationis hispanicae e confessionibus. Ei primo alteram manum pyxidem cum particulis ss. eucharistiae sacramenti gestantem gladio amputarunt; mox vero lethali vulnere quo e vita migravit, caput sauciarunt. Sacrum Christi corpus super humum proiectum, pedibus sacrilegis calcarunt haeretici. III. Simon Gallus, galliaeque nationis confessarius eximiusque controversista, fuste capiti et ense aliquoties corpori infixo vitam cum morte commutavit. IV. Bartholomaeus Bergomas, italicae nationis confessarius itemque peritus controversista, variis flagellis caesus occubuit. V. Hieronymus a Mediolano Italus et diaconus ante imaginem Deiparae orans, longo gladio perforatus, e vita migravit. VI. Gasparus de Varisio subdiaconus, itemque Italus diris verberibus super tecta et ecclesiae turrim, instar avium tecto insidentium hac illac fugatus, igneaque bastilla mox percussus, praeceps semianimis in terram concidit. VII. Eiusdem passionis socius fuit Iacobus Augustanus Suevus, VIII. et Didacus laicus Germanus, IX. Clemens Germanus clericus necatus est acuta bipenni super eius caput immissa. X.

Fridericus Bachstein et socii mm.

Christopborus item Germanus laicus, aetate grandaevus, hasta in capite clavisque muricatis in tergo dire percussus occubuit. xi. Ioannes clericus Germanus, xii. Emmanuel laicus natione item Germanus, xiii. Ioannes de Monte Piano Italus et laicus, xiv. et postremus Antonios laicus novitius et Italus per enses et per bastas caesi martyrii palmam obtinuere. Alter erat coenobii procurator, nomine Ioannes laicus qui per fenestram se dimittens, delituit in domo contigua; biduo post noctis tempore confugit in conventum s. Iacobi apostoli fratrum conventualium, ubi trium mensium spatio varios corporis morbos perpessus, in Domino obdormivit.

IV. Haereticorum feritas etiam in fratrum exanima corpora saevit: ea enim vestibus denudata, in omnium occurentium oculis exposuerunt per triduum; quae tamen à pientissima baronissa de Sternberg. et d. uxore Henrici de Pisnitz aliisque christifidelibus collecta linteisque involuta, seposita fuerunt in coenobii sacello. Eorum ossa semel et iterum effossa, elevata fuerunt in oratorium s. Michaelis, venia accedente Francisci de Tiettrichstein s. r. e. cardinalis et archiepiscopi Pragensis. Incboatus absolutusque etiam fuit eorumque canonizationis processus, potestate ordinaria confectus. De hac re extat libellus anno mdcxxvi. Neapoli impressus typis Ioannis Dominici Roncalioli. Leopoldus i. Romanorum imperator eiusque pia coniux Eleonora Magdalena sepulcrum virorum Dei coluerunt. Extat de eis distichon scriptum a Fortunato Hueber in suo menologio franciscano. *Hueber ad diem 5 Februarii.*

Tunc fuit avidior, tunc Praga benignior omni
Quando tot aureolas misit ad astra simul.

V. Dublini sub Iacobo i. Angliae rege martyr occubuit et hoc anno die i. Februarii Cornelius Dovan, in provincia Ultoniae in Hibernia natus. Adolescens inter minoritas de observantia adscriptus, mira edidit suae sanctimoniae ac doctrinae specimina. Anno mdlxxxii. electus episcopus Dunensis et Cannorensis, cum boni pastoris erga gregem sibi commissum partes solicite expleret, mota in eum haereticorum persecutione, suspendio necatus et in partes dissectus est una cum suo sacellano Locherano pio sacerdote saeculari. Eius labores et aerumnas descripsit David Rothaeus Ossyrensis episcopus part. 2. analectorum de rebus Hiberniae. *Cornelius Dovan. Brennan pag. 393. Wadding in syllabo num. lit. C. Ann. min. ad ann. 1582 n. 41.*

VI. Apud coenobium s. Antonii de Bazaim in custodia s. Thomae apostoli Indiae Orientalis e vita migravit die iii. Aprilis Franciscus de Oriente sacerdos, Goae natus. Indorum conversionem sitiens, in Cambaiae insulam, in dextro Indiae latere ad indi fluvii ostia sitam, se contulit, ubi morum suavitate ac concionibus multos ad humanitatem ac ad Christi fidem profitendam adduxit. Similia egit in regno de Bisnagar, apud incolas Naiques de Gingi et Tanjaor. Linguarum donum a Deo obtinuit. Eius vitam fuse descripsit in opere *conquista spiritual de Oriento per los fradres menor* lib. 2. cap. 25. Paulus de Trinitate Lusitanus eiusdem instituti. *Franciscus de Oriente. Agiolog. Lusitan. ad diem 3. Aprilis. Sbaralea lit. P.*

VII. In conventu s. Francisci Limae sanctis operibus cumulatus decessit Antonius Ortiz, iam commissarius generalis Peruvianarum regionum et plurium, licet invitus, pro-regum e confessionibus. Diu summa animi alacritate gravem morbum sustinuit. Die viii. Martii raptus est in coenobio de Iesu item Limae Didacus a Cruce laicus, natus Xeresii in confinio Vandalitiae in Hispania. Vir erat multae orationis et eximiae charitatis erga Deum. Saepe *Antonius Ortiz. Corduba in vita s. Francisci Solani. Didacus a Cruce. Idem ibidem.*

vel solitarius vel inter suos vitam agens, vivida luce circumfusus videbatur. Corpus eremitarum more ieiuniis, laboribus ac flagellis macerabat. Puerulos ac parvulos ad se vocabat eosque munusculis, eduliis et obsonio ad puerum Iesum honorandum alliciebat.

VIII. Die xx. Martii occubuit in coenobio s. Antonii Castaneae vulgo Castanheira, in provincia Portugalliae Franciscus de Talavera, vir Deo et hominibus dilectus. Dono lacrymarum exhornabatur in fundendis precibus. Deum ipsi suum occasum revelasse testatus est morti proximus guardiano conventus. Raptus est die ix. Aprilis in coenobio s. Francisci Lamacensis in eadem provincia Ioannes a s. Lazaro, vir pius et studiosus sacrarum rerum munditiei. Circuibat enim ecclesias rurales dioecesum, scopis eas mundabat et ad divini cultus spectaculis summo nitore expurgabat. Ad eius funus cucurrit ingens populi multitudo. eumque magno prosequutus fuerat obsequio Martinus Alphonsus de Melo episcopus Lamacensis.

Franciscus de Talavera. *Agiolog. Lusit. ad die 20. Martii.*

Ioannes a s. Lazaro. *Ann. min. ad ann.* 1594. num. 9.

IX. Quievit die xxxi. Martii in conventu s. Francisci Pesqueriae dioecesis Lamacensis in Portugallia Balthassar de Pietate laicus ex tertio fratrum claustralium ordine, annos numerans cxii. Anno aetatis suae duodecimo cum in lethalem morbum incidisset, recuperandae valetudinis causa se recepit ad b. Virginem vulgo *de Lapa* impense cultam in urbe Paciauliae. Ibidem votum emisit ingrediendi inter fratres tertii ordinis, si convaluisset. Convaluit et votum implevit. In instituto floruit virtute castimoniae, humilitatis, orationis corporisve macerationibus. Ad tantam sanctitatis opinionem devenit, ut non pauci Lusitaniae magnates per nuncium eius orationibus se commendarent. Sepulcrum nactus est in claustro coenobii in loco a caeteris separato.

Balthassar de Pietate. *Agiolog. Lusitan. ad ad diem* 31. *Martii.*

X. Hoc eodem anno sancte occubuit in urbe Hierosolymitana Angelus a Messana, de quo ita scribit Franciscus Quaresmius, cuius verba mutuamur. « Recens est memoria p. Angeli a Messana, provinciae Siciliae, re ac nomine Angeli prout tam fratres quam et saeculares, qui longo tempore illius honesta, pia laudabilique conversatione perfruiti sunt, testati fuere. Ego siquidem illum non vidi, nam e vivis decesserat anno uno, antequam ego prima vice veni Ierosolymam; quare ex aliis fide tam dignis, describam laudabilem eius vitam et laudabiliorem exitum. Pater iste venerabilis ex christianitate de licentia superiorum venit in Terram Sanctam, in qua cum laude vixit xxv. annorum curriculo. Officio concionator erat in arabico idiomate non mediocriter versatus, et in traditionibus locorum sanctorum insigniter eruditus. Multum inservivit locis sanctis, pro quibus et multa passus fuit. Et mirabile est quod adeo amabilis fuerit illius conversatio, ut omnibus charus esset fidelibus et infidelibus, schismaticis et turcis, et ut omnes illum pluris fecerint et venerati fuerint. Vinculis nihilominus non semel constrictus, et in carcerem coniectus fuit Ierosolymis a turcis ob conservationem locorum sanctorum: turcae enim qui virtuti praeferunt divitias, pro istis iniuste extorquendis multa moliti fuere in virum omni honore dignum. Anno Domini mdcix. cum ipse esset Ierosolymis, fuit Romae in nostri sacri ordinis generalibus comitiis creatus guardianus sacri Montis Sion. quod munus magno cum studio et diligentia per duos annos dumtaxat administravit, post quos angustiis magis et tribulationibus quam senectute pressus, e vita decessit. Pietas et devotio illius erga loca sancta erat admiranda: frequenter enim illa visitabat et alios ad eadem visitanda excitabat, et tanta pietate et cordis teneritudine erga illa afficiebatur, tam crebras ibi preces fundebat tam attente nostrae salutis mysteria meditabatur, ut nonnisi lacrymis perfusus ab illorum visitatione recesserit ».

Angelus a Messana. *Quaresmius in hist. Terrae S. tom.* 2. *pag.* 64.

Digitized by Google

XI. « Cum in gravem morbum incidisset quem, etsi sat prolixum, libentissime et patientissime propter Deum sustinuit, ubi praesensit corporis sui dissolutionem imminere, convocatis fratribus, pium ad illos habuit sermonem, in quo de culpis commissis toto vitae suae tempore, et in primis in regimine locorum sanctorum a Deo et fratribus veniam petiit, futurumque successorem ad melius et studiosius gubernandum, fratres ad obedientiam auxiliumque ferendum, omnes denique ad suae regulae observantiam, ad pie sancteque vivendum, ut par erat, in sanctissimis locis, et ad eorumdem piam ac frequentem venerationem fuit cohortatus, ut grati Deo essent, quod digni habiti sint habitare in domo Dei et electa haereditate eius. Et quamvis debilis et ex gravi infirmitate pene exanimis, spiritu tamen fortior et vegetior, ex cubili ad ecclesiam et ex lecto ad altare deferri voluit, ubi genibus flexis, fune qua cingebatur ad collum admota, magna cum humilitate, devotione ac lacrymis sacratissimum eucharistiae sacramentum et salutare viaticum suscepit. Delatus ad lectum, oleo sancto ex ecclesiastico more inunctus et omnibus sacrosanctae ecclesiae sacramentis munitus, ab orantibus et lugentibus fratribus circumdatus, animam reddidit Redemptori. Delatum deinde fuit illius corpus ad sacrum Montem Sion magna cum solemnitate, comitantibus non solum fratribus sed etiam christianis aliis, catholicis et schismaticis flentibus ac dolentibus ob tam amabilis et communis patris amissionem. Postquam corpus tumulatum fuit, et super ipsum divina de more completa sunt officia, supra tumulum titulus, marmor videlicet, erectus fuit, ut fit Ierosolymis his qui in guardianatus officio occumbunt, ubi orientales nationes ob pietatem et reverentiam in venerabilem virum, non modo tunc sed etiam postea preces fuderunt et fundunt usque in hodiernam diem desuper herbas et flores spargentes, ut oculatus testis ego testari possum ».

Dominicus a s. Maria. *Monum. prov.*

XII. In conventu s. Iosephi Toleti in provincia s. Iosephi fratrum discalceatorum occubuit die VIII. Decembris Dominicus a s. Maria, tanta animi humilitate exornatus, ut nunquam adduci potuerit ad subeundum munus illius regendae provinciae. Flagellis interim se caedebat, assidue orationi instabat, a vino semper abstinebat, et ieiuniis licet multis infirmitatibus gravatus indulgebat. Ad perfectionis fastigium pervenit, illa continuo cogitans et explens: *intra se introre, sub se descendere, et se super se elevari.*

Sebastianus Pastor. *Panes pag. 1. lib. 3. cap. 9. et seq.*

XIII. Almansae in conventu s. Iacobi eorumdem fratrum provinciae s. Ioannis Baptistae e vita migravit die XXVI. Iulii Sebastianus Pastor sacerdos et fervidus Dei praeco. Semper incessit nudis pedibus. Quieti se dabat duarum horarum spatio, ut coelestia meditaretur. Hyemali et aestivo tempore fenestram suae cellulae nunquam clausit. Ciliciis ferreisque flagellis carnem edomabat.

Antonius Vici. *Monum. prov.*

XIV. Tumulum nactus est in conventu observantium s. Francisci de Monte Perusiae in provincia Umbriae die XV. Novembris Antonius ex nobili familia Vici de Stroncouio, diu versatus in moderandis sororibus clarissis monasterii Montis Lucis eiusdem civitatis. Mortis suae diem praedixit euidam germanae suae. Prae suae sanctitatis opinione eius funus cohonestarunt cives eiusvis ordinis. Panormi provinciae Siciliae in conventu s. Mariae Angelorum migravit e vita Aegidius Agrigentinus laicus eiusdem instituti, vir bonus ac devotus et suae regulae sedulus cultor.

Aegidius ab Agrigento. *Pirrus tom. 1. p. 577.*

Philippus Costantiensis. *De Aremberg tom. 2 pag. 805.*

XV. E vita migrarunt aliquot fratres capucini cum sanctitatis opinione. In conventu Cadomensi in provincia Parisiensi occubuit Philippus Costantiensis sacerdos, praemonitus de sui obitus hora a b. Virgine quam impense colebat. Vi-

roduni in provincia Lotharingiae peste laborantibus ministrans, eodem morbo decessit Iulianus Camertes ex iudaeo christianus et ex christiano capucinus. Prae suarum virtutum splendore curam egit novitiorum in provincia Parisiensi. Sublatus est etiam Bonaventura Calaritanus sacerdos. Orationis studio commendabatur, quam saepe lacrymarum imbribus irrigabat. Patientiae et honestatis laude obiit Ioannes a Verucchio clericus provinciae Bononiensis. De eo tradunt, quod eadem sui obitus hora laetus apparuit Clarae sorori suae tertii ordinis moniali. Maceratae in Piceno vitae cursum complevit Leonardus a Montealto laicus, animi puritate charitateque erga Deum et proximum mire exornatus. Tenerrimo cordis affectu prosequebatur puerum Iesum eiusque Virginem matrem, quorum aspectu aliquando recreatus, coelestia arcana didicit plerasque consolationes percepit. In eadem provincia spiritum Deo reddidit Angelus Tolentinas sacerdos, angelicis moribus ditatus.

Iulianus Camertes. Idem ibid. pag. 375.

Bonaventura Calaritanus. Idem ibid. pag. 294.

Ioannes a Verucchio. Idem ibid. pag. 528.

Leonardus a Montealto. Idem ibid. pag. 799.

Angelus a Tolentino. Idem ibid. pag. 503.

XVI. In Franensi coenobio occubuit Modestus a Nucibus laicus; omni studio seipsum abnegabat, carnem ieiuniis aliisque macerationibus, et cunctas corporis voluptates prosequebatur. Curationis donum a Deo obtinuit; quampluribus enim aegris vel oratione vel crucis signo incolumitatem conferebat.

Modestus a Nucibus. Idem ibid. pag. 802.

XVII. Hoc anno aetatis suae xxxiv. nomen dedit minorum ordini inter fratres capucinos Fidelis a Sigmaringa ex nobili Reiorum familia ortus, antea Marcus vocatus. Nos eius acta excribimus ex compendio eius vitae vulgato in operibus summi pontificis Benedicti xiv. « Sigmaringae Constantiensis dioecesis oppido satis nobili in Sveviae ducatu, ex non obscura Reiorum familia genitus Fidelis in lucem prodiit anno a partu Virginis mdlxxvii. Sacro baptismatis fonte coelo renatus, et a prima aetate a piis catholicisque parentibus iis studiis addictus quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, singulari morum candore et honestate apertum dedit de futura sanctitate praesagium. Adolescens ad Friburgensem academiam missus, eum ibi studia scientiarum cum magno pietatis ardore coniungeret, brevi in utroque ita profecit, ut non minus virtute quam doctrina caeteris omnibus antecelleret. Cum vero praeter philosophiae, theologiae et utriusque iuris peritiam accessisset etiam exterarum linguarum singulare ornamentum, factum est, ut nobilissimi aliquot inter Germanos cum seligendum putaverint tamquam magis idoneum, cui magistro, custodi atque rectori filios committerent in Italiae Galliaeque itinere peragendo. Eorum precibus cum se Fidelis facilem praebuisset, ita se in eo munere praestitit, ut et Deo et hominibus probaretur. Sex enim annorum spatio, quibus iter illud confectum fuit, commissos sibi adolescentes ita gubernavit, rexit, erudivit, ut in patriam cum fuissent reduces, non minus insigni in Deum pietate imbutos eorum parentes confessi sint, quam multiplici rerum cognitione versatos ».

Acta canonizationis s. Fidelis a Sigmaringa tom. 7. p. 47.

XVIII. «. Friburgi paulo post ritu solemni utriusque iuris laurea caeterisque doctrinae insignibus decoratus in Alsatiam perrexit, ut Ensishemii advocati munere fungeretur. Vix tamen in fori lucem egressus Fidelis fuerat, causasque coeperat agitare, cum animadvertens inane esse atque vanissimum quidquid honoris, quidquid dignitatis aut lucri a forensi exercitatione se aliquando consecuturum sperare poterat, imo etiam quanti alea illa in animae suae pernitiem foret plena periculi, honeium illi remittere statuit, seque totum divini Numinis obsequio mancipare. Per arduum igitur virtutis iter incedere cupiens, cum aliquot ex rigidioribus ordinum institutis consideranda sibi ob oculos proposuisset, illud potissimum seligendum putavit, quod patribus capucinis

est peculiare, quodque proposito sibi fini assequendo omnium aptissimum videbatur. Neque cunctatus; cum, ut in eam religionem admitteretur, infimis precibus postulavisset, facilem aditum apud eos patres doctrinae ac virtutis eius minime ignaros invenit. Antequam vero tam difficile perfectionis iter ingreditur, quasi ascensiones in corde suo dispositurus, sacris prius ordinibus voluit initiari seque Domino per sacerdotium consecrare. Die igitur ipsa quae seraphico patriarchae Francisco solemnis est, primum fecit sacrum incredibili spiritus sui fervore; quo peracto veterem expoliatus hominem cum actibus suis, novumque simul cum habitu religionis indutus qui secundum Deum creatus est, nova ingressus fuit tyrocinia evangelicae perfectionis. Quo tempore cum deposito quo antea vocabatur Marci nomine Fidelis appellari maluisset, magister novitiorum quasi prophetico illustratus lumine, quid de Fideli futurum erat, divinaret: *et tu* (inquit) *esto fidelis usque ad mortem*, *et accipies coronam vitae* ».

XIX. «. In eo stadio cum se positum Fidelis cerneret, quod, tot votis ardentibus concupiverat, mirum est, quantum ad currendam viam exultaverit sicut gigas seraphici patris imitator egregius, tot edere statim coepit humilitatis, obedientiae ac ferventissimae devotionis exempla, ut et tyronibus et illis emeritae sanctitatis hominibus praeluceret ».

XX. « Expleto itaque tot inter incrementa virtutum tempore probationis, tanto pietatis sensu emisit vota solemnia, ut inter praecipuaIiora beneficia quae Deo referebat accepta, votorum religiosorum gratiam recensendam putaret, et de agendis pro ea Domino gratiis, quam de ipsismet peccatis suis illum sollicitudo maior urgeret. Hinc sermo illi familiarissimus postmodum semper fuit de commemoranda eorum felicitate qui in domo Domini plantati sunt, suique cordis explicando dolore, quod ex saeculi tempestatibus in tutissimum religionis portum se citius non recepisset ».

XXI. « Fidelem interea novis votorum stimulis ad altiora perfectionis culmina properantem singulari quodam amore atque benevolentia superiores ordinis complectebantur. Admirabantur in eo siquidem praestantissimam iuris utriusque peritiam cum insigni animi humilitate coniunctam, iuvenilem aetatem cum peculiari morum gravitate atque prudentia copulatam, exactam disciplinae regularis observantiam ab humanitate, officio, comitate minime segregatam. Hinc raro inter capucinos exemplo maturius quam fieri soleat christifidelium confessionibus excipiendis addictus est, ipsique commissum apostolicum concionatoris munus. Utrumque autem tanta assiduitate, diligentia et religionis zelo Fidelis exercuit, ut plures miseras animas vitiorum coeno involutas a diaboli servitute, in qua diu multum iacuerant vinculis voluntariis adstrictae, omni prius labe purgatas, in filiorum Dei libertatem feliciter asseruerit. Neque enim aut humana prudentia carnis dictamina aut potentum invidia aut voces malevolorum aut conatus haereticorum efficere potuerunt, ne poscentibus poenitentiae sacramentum domi forisque ministraret, ne contra peccatores inveheretur, ne contra haereticos declamaret, ne totis quibus poterat viribus malos mores evellere conaretur. Hinc eius opera laboribusque plurimi haereseos infecti ad ecclesiae sinum reducti: perditissimi homines ad meliorem frugem revocati: inveteratae compositae simultates; iussae a fidelium ore exulare blasphemiae; compositae ad omnem modestiam mulieres: a christianorum cordibus atque corporibus eliminata luxus, superbiae et luxuriae vitia. Licet enim bellum implacabile peccatis omnibus indixisset, tamen explicari non potest quanto animi ardore, assiduitate

Digitized by Google

dicendi, eloquentiae conatu, modis omnibus haec praesertim vitia, quae tunc temporis in iis regionibus grassabantur, insectaretur ».

XXII. « Cum vero in Fideli zelum fortem quidem superiores ordinis animadverterent, non tamen asperum illum atque humanitatis expertem, sed cum admirabili quadam prudentia coniunctum, simul publicae fidelium et privatae ordinis utilitati consulere volentes, eum Vitchyrchiensis coenobii regimini admoverunt. Quo munere hun ambitus vitio, sed obedientiae virtute suscepto, nihil antiquius habuit quam ut forma fieret gregis, singulasque regularie disciplinae magistri partes impleret. Ipse igitur divinis laudibus persolvendis statis horis semper adesse: omnia etiam humillima religiouis munia promptius obire: per multum temporis spatium in publica mensa se flagellis saepissime caedere: aegrotis inservire in abiectissimis ministeriis, eisque omni ope praesto esse et auxilio: afflictos recreare: errantes corripere: valentes corpore avocare a desidia: ferventes cogere ad requiem: suave Christi iugum omnibus allevare: omnes in sanctam animorum societatem et perfectam Christi charitatem unire: omnes ad currendum religiosarum virtutum stadium verbo exemploque animare ».

XXIII. Summa vitae sanctitate et inter eos florebat e. Ioseph a Leonissa eximius verbi Dei praeco. Eius acta proferimus ex monumentis e. r. congregationis. « Haec autem pietatis officia Deo fuisse acceptissima pluribus insignibusque miraculis Deus ipse testatus est: inter quae illud non est praetermittendum, quod Ocriculi summa omnium admiratione patratum est. Ibi enim cum esset Ioseph habuissetque sermonem de eo Christi miraculo, quo quinque panibus et duobus piscibus quinque hominum millia saturaverat, quoniam summa id temporis annonae caritate ii populi laborabant, eua in Deum fide Iosephus obtinuit, ut ex perexigua farina quam acceperat ex eleemosyna, tanta panis copia conficeretur, quanta sufficeret integro illi populo finitimisque, quae ad concionem confluxerant, gentibus abundantissime saturandis. Borbonii item, cum in summa pariter rei frumentariae angustia de eodem Christi miraculo verba fecisset et perexiguam fariuae eleemosynam accepisset, nedum ea mille sexcentorum hominum famem explevit, sed etiam tanta panis copia superfuit, quanta esset satis, ut postero die toti populo distriberetur ».

Annal. min. ad ann. 1599. n. 29.

Acta canonisationis s. Iosephi a Leonissa tom. 7. pag. 63.

XXIV. « Hactenus de eo spiritu Domini ferventissimo, quo vir apostolicus ferebatur in eos omnes quos sibi coniunxerat christiana charitas. De iis modo virtutibus pauca subdenda sunt, quibus in excolenda domestica vitae ratione mirifice effulsit: inter quas cum principem sibi vindicet locum humilitas, hinc non immerito cum magnum ab initio construere cuperet aedificium sanctitatis, de iaciendo prius cogitavit alto fundamento humilitatis. Quamobrem et internam animi demissionem vigilantissime coluit, et contemptus hominum ardentissime concupivit; oblatos in religione honores et gradus, quod potuit, constantissime recusavit eosque obedientiae virtute susceptos, citius, quo potuit, dimittendos curavit. Et quemadmodum domum verrere, terram effodere, lances in coquina detergere, exportare vasa in contumeliam, viliora quaeque praestare, tamquam qui omnium abiectissimum se putabat, iucundissimum illi fuit: ita cum maximum se ex animo crederet peccatorem, caeterorum precibus se commendare consuevit ».

XXV. « Porro ex hac tantae humilitatis radice euam traxit originem caeca illa obedientia qua adeo Iosephus excelluit, ut cum Christum Dominum fide non ficta in suis superioribus intueretur et coleret, eum iis non aliter quam

flexis genibus nudoque capite colloqueretur, neque eorum imperium sibi duceret expectandum, sed voluntatis indicia perscrutanda ».

XXVI. « Tantam vero crucis mortificationem in corpore suo portavit, ut cum pane durissimo mucidoque, et putrescentibus aquis se durissime, ut plurimum, sustentaret, ad lautitiem aliquando unum aut alterum vini cyathum adhiberet, cineribus prius bene corruptum, et semiustis quibusdam putridis aspersisque fuligine leguminibus, vel crudis quandoque oleribus uteretur. Ciliciis etiam diversi generis cum castigaret corpus, ferrea quadam catena dies noctesque ita constringebatur, ut, cum tumescentibus membris caro labefactata putrescere inciperet, forcipe fuerit obtruncanda. Tum in abditissima domus sylvaeque loca secedens, remotis arbitris, inusitatis flagellorum generibus corpus suum ita diverberabat, ut sui ipsius crudelissimus carnifex laniusque ab ipsis fratribus et vocaretur et esset. Quo factum est, ut legem in membris suis repugnantem legi mentis suae sentire minime videretur, et quo carne mortificata depressior, eo spiritu sublimior in rerum coelestium contemplationem assurgeret: huic enim sic erat deditus vir religiosissimus, ut vix possit intelligi, quonam pacto et orationis assiduitati et una proximorum saluti tantopere posset incumbere. Siquidem ut orandi satietatem expleret, saepe insomnes traducebat integras noctes, et meditationibus iugiter vacans ex visibilibus quibuscumque in quae oculus incidebat, ad invisibilia Dei vel invitus rapiebatur. Hinc ante sanctissimam Christi Domini de cruce pendentis imaginem plures horas consistere visus est, aliquando brachiis extensis atque sublatis, aliquando vero in sublime raptus e terra, radiosque ex vultu mittere lucidissimos. Acerbissimam vero eiusdem passionem tam attenta mente animoque solicito contemplabatur, ut dolor quo intus afficiebatur, per varias totius corporis distorsiones vere summus esse cognosceretur. Tot tantarumque virtutum odoratus Dominus suavitatem odoris, ut servi sui sanctitatem omnibus manifestaret, insignium charismatum dona illi largiri dignatus est, multorumque miraculorum gloria condecorare. In spiritibus itaque discernendis, in secretis cordium obditissimis penetrandis, in rerum eventibus longe in posterum prospiciendis, in gravissimis morbis simplici tactu, prece, imperio expellendis, in bestiarum feritate odomanda, in elementis ad arbitrium suum moderandis atque flectendis illum mirabilem sic Deus fecit, ut cum numerando non possint singula recenseri, necesse sit ex iis summatim aliqua delibare. Truentum igitur expanso super aquas pallio una cum socio transegit: maioiam fluvium sicco pede calcavit: in Templo triturantibus comminatus, cum, extincto bove, poena illico subsecuta esset, illum paulopost agricolae pauperrimi lacrymis precibusque commotus ad pristinae vitae munera revocavit: ex arido monte ad socii sui sitim sedandam cum aquae venam aperuisset, eaque subito exsiccata locus paulo post a quibusdam indagaretur, ubi miraculum contigisset, aquae iterum eruperunt, quibus epotis, nullum amplius visum est aquae vestigium ».

Martinez lib. 1. pag. 152. XXVII. Petrus Mathias Toletanus Maniliam adduxit hoc anno triginta discalceatos fratres pro augmento fidei et pietatis apud incolas Insularum Philippinarum. Eorum nomina sunt Richardus a s. Anna, Didacus de Chincon, Didacus a s. Francisco, Hieronymus a s. Francisco, Gaspar Alenda, Ioannes de Merida, Ioannes de Nuneibay, Andreas del Sacramento, Franciscus a s. Anna, Michael Sorianus, Franciscus de Morales, Bartholomaeus de Palentia, Franciscus a s. Gabriele, Petrus e Iesu, Sebastianus a s. Petro, Petrus Cigarra, Gregorius e Spiritu sancto, Bartholomaeus a Magdalena, Michael a s. Ioanne, Emmanuel a s.

Digitized by Google

Ioseph, Alphonsus de Ampudia, Andreas de Angelis, Franciscus de Fuencisla, Christophorus a s. Anna, et Ioannes Baptista Fernandez sacerdotes. Ioannes de Palma, Gabriel a Magdalena, Lucas a Spiritu sancto, Aloisius a Matre Dei et Aloisius a s. Antonio laici.

XXVIII. Sponso Christo adhaesit die xv. Februarii in monasterio de Figueras dioecesis Conimbriensis in Lusitania Catharina a Spiritu sancto, toto corpore ob diras flagellationes sauciata. Interim asperrimo cilicio corpus constringebat. Ut de nocte praesto esset divinis obsequiis, breve somnum pavimento strata capiebat. Aliqua praedixit eventu deinde comprobata. Eius corpus olevit multos post annos a sui obitu.

Catharina a Spiritu sancto. *Agiologium Lusit. ad diem 15. Februarii.*

XXIX. Sublata est in monasterio s. Clarae Villaecomitis laudatae provinciae Anna de Belen virgo spectatissimae vitae. Eius ieiunium perpetuum fuit, raroque quiescebat in lectulo cellulae suae. Saepe noctes ducebat insomnes in choro, ut coelestia meditaretur.

Anna de Belen. *De Esperanza tom. 2. pag. 72.*

XXX. In monasterio de Iesu de Setuval occubuit die v. Aprilis Clementia Baptista. Triginta annorum spatio vitam duxit inter assiduas corporis macerationes, ieiunia et flagella ad sanguinis usque effusionem. Charitate Dei vulnerata, saepe Iesu nomen ingeminabat, illudque psalmorum proferebat: *tu es gloria mea, tu es susceptor meus, Domine.*

Clementia Baptista. *Agiologium Lusit. ad diem. 5. Aprilis.*

XXXI. Cursum vitae complevit in monasterio s. Ioannis de poenitentia Belvisii in provincia Angelorum Maria de Belen, fundatrix monasterii s. Iosephi de Guadalcanal eiusdem provinciae. Rigente hyeme sola subucula induta divinis meditationibus per plures horas vacabat. Aliquando brachiis extensis cruci haerebat. Die ii. Martii obiit in monasterio s. Elisabeth Granatae Anna de Contreras, Compluti nobilibus parentibus nata. Corporis macerationem ab ea inchoatam a prima aetate, sustinuit ad mortem usque. Cilicium semper gestavit, et flagellis se dire caedebat. Iesu Christi crucem amplexata brevi somno de nocte se dabat. Diu invicta animi patientia saevam plagam sustinuit in pectore quam pro puniendis eius peccatis a Deo enixe petierat.

Maria de Belen. *De Guadalupe pag. 600.*

Anna de Contreras. *De Torres pag. 496.*

XXXII. Aedes pro eisdem sororibus parantur. Apud Cochinensem urbem in India Orientali probatum fuisse hoc anno a pontifice: *Inter caetera* vi. calendas Februarii erectionem monasterii s. Clarae, scribit Petrus de Alva in suo indiculo bullarii, de quo tamen nulla habetur mentio apud Torquemadam. Forte subest ordinario loci.

Monast. Cochinense.

XXXIII. Datis a pontifice literis: *In supremo* die xxix. Octobris ad episcopum Montisalbani, indulget Isabellae de Romillon et Franciscae de Bertelier, ut in civitate Tolosana excitare valeant monasterium pro sororibus de tertio ordine congregationis Gallicanae sub cura ministri provinciae Aquitaniae minorum de observantia. Monasterium titulum praesefert ss. Ludovici et Elisabeth. Intra moenia oppidi Centumputeolorum dioecesis Toletanae erectum fuit monasterium immaculatae Conceptionis titulo pro sororibus clarissis, impensis familiae a Vega. Paret archiepiscopo Toletano.

Monast. Tolosae.

Monast. Centumputeolorum. *Monum. prov.*

XXXIV. In civitate de Alpharo in provincia Burgensi extitit monasterium immaculatae Conceptionis titulo pro sororibus de tertio ordine, subiectum ministro eiusdem provinciae, erectumque opibus trium illustrium mulierum illius urbis. Ad hoc moderandum advenerunt e monasterio s. Aloisii Burgis Maria de Saragua, Maria de Oquando et Maria de Ainero.

Monast. de Alpharo. *Monum. prov.*

XXXV. Sorores de tertio ordine s. Petri de Salvatierra, quae ab anno mdxxv. clausura carebant, hoc anno clausurae leges sponte subiere ac claris-

Monast. de Salvatierra. *Monum. prov.*

sarum vota emiserunt, prima loci abbatissa Maria Cuetio. Incolitur a xxxviii. monialibus quae parent ministro provinciae Conceptionis.

Monast. de Zarauz. *Monum. prov.*

XXXVI. In eadem provincia inchoatum fuit etiam monasterium clarissarum in oppido de Zarauz impensis d. Mariae Annae viduae d. Francisci Bouquer ac filiarum ejus Mariae et Clarae, eo in oppido ortarum. Singulae ibidem professionem emiserunt inculpatamque vitam duxerunt. Subsunt ministro laudatae provinciae. Aedes xxix. sorores continet.

Monast. Boxtellense. *Monum. prov.*

XXXVII. Redierunt hoc anno moniales clarissae in monasterium Boxtellense, secundo milliario a baronia Busco-ducis provinciae Germaniae Inferioris, ab anno MDLXXIV. a furentibus haereticis, vastato monasterio, pulsae. Locum obtinuerunt ob confectas inducias inter Hollandiae principes.

Monast. Brigantiae. *Greiderer tom. 2. p. 249.* *Ann. min. ad ann. 1604. n. 28.*

XXXVIII. Monasterium tertii ordinis titulo s. Annae erectum prope Brigantiam in provincia Tyrolensi a fratribus germanis Thoma, Gasparo ac Magno ex illustri familia Schimid de Wellestein, moderatum a fratribus conventualibus provinciae Argentinae ab anno MDCVI., subiectum fuit hoc anno episcopo Constantiensi mandato Ladislai nuntii apostolici apud Helvetios. Prima monasterii abbatissa fuit Ursula filia laudati Thomae Schimid de Wellestein loci fundatoris. Capucini monialium confessiones excipiunt.

Ex Michaele a Tugio, et ex Boverio.

XXXIX. Capucini fratres recipiunt in provincia Veneta conventum Mestrae dioecesis Tarvisinae; in provincia Mediolanensi conventum Olegii dioecesis Novariensis; in provincia Genuae conventum Arentiani dioecesis Genuensis; in provincia Pedemontana conventum Vigonii nullius dioecesis; in provincia Corsicae conventum Uveliae dioecesis Marianensis; in provincia Syracusana conventum Aydoni dioecesis Catanensis; in provincia Aprutina conventum Civitellae dioecesis Theramensis; in custodia Monferrati conventum Fubinae dioecesis Aquensis; in provincia Coloniae conventum Coloniae Agrippinae; in provincia Parisiensi conventum Compendii dioecesis Suessionensis et conventum Meldarum; in provincia Turoniae conventum Inculismi; in provincia Britanniae conventum Castrogentierii dioecesis Andegavensis et conventum Montisrelaxi dioecesis Trecorensis; in provincia Lugdunensi conventum Valentiae in Delphinatu; in provincia s. Ludovici conventum Insulae dioecesis Cabillonensis et conventum Valveaci dioecesis Vasionensis; in provincia Lotharingiae conventum s. Nicolai dioecesis Tullensis et conventum Flomberiarum eiusdem dioecesis; in provincia Aquitaniae conventum Condomii; in provincia Insulensi conventum Bergarum dioecesis Aprensis; in provincia Valentiae conventum Oriolae; in provincia Castellae conventum Toleti.

Monum. prov.

XL. Gabriel Grodecki commissarius fratrum recollectorum provinciae Poloniae summi pontificis voluntate erigit custodiam sub invocatione b. virginis Mariae dolorosae Glivicii in Silesia Superiori, quae subinde, favente Sigismundo III. Poloniae rege, ad provinciae dignitatem devenit.

Conv. Aurelianis.

XLI. Fratres minores de observantia provinciae Turoniae cesserunt patribus recollectis conventum Aurelianis. Hanc cessionem probavit pontifex: *Qui sua sponte* die x. Octobris.

Conv. Mazani. *Monum. prov.*

XLII. Expensis d. Sybillae de Vauelese erectum fuit coenobium pro eisdem fratribus custodiae s. Bernardini in Gallia in urbe Mazani comitatus Carpentoractensis. Locus delectabilis variisque arboribus pomiferis consitus, a x. fratribus incolitur.

XLIII. Alterum etiam coenobium obtinuerunt recollecti, s. Stephani titulo ad radices Goriani montis, milliaribus novem ab urbe Clarimontis, dioecesis

Digitized by Google

Leutevensis in Occitania. In ea ecclesia quae parochialis erat anno MCCLXXXIX., Berengarius Guitardus episcopus Leutevensis constituit canonicorum collegium. Anno MCCCL. Euglesius de Luseria miles, novi a Clemente VI. summo pontifice condendi monasterii facultate obtenta, aedem reditibus locupletavit ac donavit monialibus ordinis s. Benedicti. Verum exeunte saeculo XVI. haereticorum ac copiarum incursione cum aedes vastata esset, monialibusque vacua, Gerardus de Robin ordinis eremitarum s. Augustini episcopus Leutevensis eam cessit fratribus recollectis custodiae s. Bernardini.

Conv. Clerimontis. *Gallia christiana t. 6. pag. 608.*

XLIV. Fratres discalceati provinciae s. Ioannis Baptistae immissi sunt hoc anno in conventum s. Francisci de Ottiniento dioecesis Valentinae, aedificatum impensis d. Iosephi Febrer; in conventum s. Francisci intra oppidum de Xorquera dioecesis Cartaginensis; in conventum b. Mariae de Gratia de Mahora dioecesis Valentinae, instructum opibus nobilis viri Ioannis a Valentia; et in conventum s. Andreae de Gallinera item dioecesis Valentinae. Pro eisdem fratribus provinciae s. Iosephi iacta sunt fundamenta coenobii sub invocatione s. Francisci in oppido de Madrideios. Ad operis molitionem accolae opem suam contulere.

Conv. de Ottiniente. *Panes pag. 451.*
Conv. de Xorquera. *Idem pag. 453.*
Conv. de Mahora. *Idem pag 454.*
Conv. de Gallinera. *Idem pag. 456.*
Conv. de Madrideios. *Monum. prov.*

XLV. Fratres reformati provinciae Siciliae intrarunt in coenobium s. Mariae de Iesu prope oppidum Petraliae Superioris dioecesis Messanensis, constructum pro XVIII. fratribus continendis, tum impensis universitatis loci, tum largitionibus Ramandettae Bonamico baronissae de Landro. Aedis fundationem probavit Petrus Ruiz archiepiscopus Messanensis. In eadem provincia eis obvenit conventus s. Mariae de Gratia prope oppidum Burgi Agrigentinae dioecesis, pro eis edificatus a d. Thomasio Gioeneo principe Castilionis. Sacra in ea ecclesia antea operabatur d. Ioannes Siraiolo presbyter saecularis, qui postea inter reformatos tertiariorum habitu indutus, sancto ibidem decessit die XXV. Martii anno MDCXIV. Primus loci praeses fuit Antonius a Refandali. Studio Antonii Venturino de Busacchino erectum ibidem fuit sodalitium immaculatae conceptionis. In provincia Bononiae iidem fratres recipiunt conventum s. Bernardini prope oppidum Burginovi Placentinae dioecesis, et s. Mariae Gratiarum Imolae.

Conv. Petraliae. *Tognoletto pag. 541.*
Conv. Burgi. *Idem pag. 542.*
Flaminius a Parma tom. 3 pag. 45. et pag. 126.

XLVI. In provincia Burgensi inchoatum fuit coenobium pro observantibus sub invocatione s. Antonii in oppido de Nalda, ad perfectionem adductum anno MDCXVII. Cuncta ad operis molitionem contulerunt d. Philippus Ramirez comes de Arellano, Aguillar et do Nalda, eiusque uxor d. Aloisia Manrique de Lara. Hoc tempore etiam pro eisdem fratribus incepit esse conventus Immaculatae Conceptionis in oppido de Victoria provinciae Cantabriae, impensis dd. Caroli et Andreae de Alaba ac d. Mariae de Usardin, qui conventus patronatum sibi reservarunt. Fundationem hanc ratam habuit anno MDCXXXV. Urbanus VIII. Locus incolitur a XXI. fratribus.

Conv. de Nalda. *Monum. prov.*
Conv. de Victorie. *Monum. prov.*

XLVII. Christophorus David de Urschenbock supremus capitaneus in regione Carinthiae supplices literas misit ad Ferdinandum archiducem Austriacum, nepotis Ferdinandi I. Caesaris, Graecii commorantem pro construendo fratrum minorum observantium coenobio in urbe Clagenfortensi dioecesis Salisburgensis in provincia Austriae. Eiusdem voto cessit idem Ferdinandus, et fabrica quae incepit anno MDCXIII. perfectionem accepit anno MDCXVII. sub invocatione s. Francisci. Anno MDCXXXVI. incensa ferme integra civitate, periit conventus et ecclesia; non multo post christifidelium munificentia pristino decori restituta fuit. En diploma laudati archiducis.

Conv. Clagenfortensis. *Greiderer tom. 1. pag. 314. n. 89.*

FERDINANDUS ARCHIDUX AUSTRIACUS etc.

Nobilis dilecte fidelis.

Literae tuae sub data xvi. *praeterlapsi mensis Iunii ad nos pervenere, ex quibus uberius perspeximus, qualiter tam pro exstructione cuiusdam claustri ordinis s. Francisci in civitate nostra Clagenfurtensi, quam pro conservatione eiusdem iam plene apud vos constituta sit provisio necessaria. Cum itaque ab hoc opere nulla nos retrahat difficultas ulterior, quin potius augmentum et propagatio gloriae Dei nobis sit in deliciis, perlibenter et pro introductione ordinis s. Francisci, et pro exstructione huiusmodi claustri in praementionata nostra civitate Clagenfurtensi consensum nostrum archiducalem annutumque propensissimum adiicimus. Noverint proinde status nostri catholici una tecum pium hoc Deoque gratissimum opus quam proxime absolvere. His pro tua notitia a nobis gratiosissime perscriptis, perseveramus gratiis nostris tibi plurimum inclinati.*

Datum in nostra residentiali civitate Graecii i. *Iulii* mdcxi.

Ad mandatum serenissimi
d. archiducis proprium.

XLVIII. Hoc eodem anno Franciscus Dietrichstein cardinalis et episcopus Olomucensis immisit eosdem fratres in conventum Saarensem provinciae Bohemiae, monachis cisterciensibus quem antea incolebant vacuum, atque thaboritarum furore devastatum. Anno mdcxxxviii. ad hunc rediere iidem cistercienses.

Conv. Saarensis. *Idem ibid. pag.* 684. n. 181.

XLIX. In provincia Austriae iterum occuparunt hoc anno minoritae conventuales coenobium Graecense sub invocatione b. Mariae de Succursu, positum extra moenia urbis, ab anno mdxv. a fratribus de observantia inhabitatum. Alterum tamen ipsi incoluerunt in ea urbe, titulo b. Virginis assumptae.

Conv. Graecii. *Idem ibid. pag.* 542. n. 304.

L. Iidem conventuales obtinuerunt in provincia Romana conventum s. Mariae de Passu prope Castrum Casapii, eis concessum a d. Angelo Leonini nobili Romano et loci domino. Traditur in eadem ecclesia preces fudisse s. Silvestrum romanum pontificem cum se conferret ad consecrandam ecclesiam s. Mariae de Montorella sive Voltorella. Primus coenobii praeses fuit Ianuarius Marogna Sardo. Non multo post hanc aedem dimiserunt; et anno mdcxxxviii. iterum redierunt.

Conv. Castri Casapii. *Teuli pag.* 180.

LI. Marcellus Lantes s. r. e. cardinalis et patronus minorum conventualium mandatum accipit a pontifice: *Cum sicut* die xi. Maii praesidendi eorum comitio generali mox habendo in Urbeveteri. In hoc comitio minister generalis ordinis confirmatus fuit Guilielmus Ugoni Avenionensis; procuratoris generalis munus obtinuit Iacobus Montanari de Tiberiaco Imolensis. Summus pontifex: *Cum tu* die xvi. Iulii ratam habuit ministri generalis electionem.

Benoffi de procurat. pag. 37.

LII. Eorumdem patrum voluntate Sanctorius Messanensis fratrum reformatorum conventualium custos Siculae provinciae una cum Felice Centino, Petro Paulo Tirimetta et Iacobo Montanario conventualibus condidit vernacule *con-*

Sbaralea in suppl. ad script. lit. S.

Digitized by Google

stitutiones fratrum reformatorum conventualium, quae prodierunt hoc anno Romae typis camerae apostolicae.

LIII. Viri docti inter eos emicant. Bonifacius Faustus de Monte Ulmo Picenus principes Italiae civitates suis concionibus illustravit. De eo sunt *quadragesimales conciones* a se habitae hoc anno Bononiae in ecclesia s. Petronii, quae tamen vulgatae non fuerunt. Typis Bartholomaei Coti Bononiae edita fuit eius concio sive *sermo panegyricus in laudem* s. *Ignatii Loyolae*. Nicolaus Carnattus Novariensis italice edidit Mediolani *antidota et remedia spiritualia ad animas a contagio bacchanaliorum praeservandas*. Benedictus Cellenus Umber Assisias scripsit et vulgavit Perusiae opus *de praerogativis, magnitudine et excellentia magni conventus Assisiatis*. Eodem anno in ea civitate edidit vernacule alterum librum cui titulus *gloriae Assisiensis conventus s. Mariae Angelorum de Portiuncula*. *Idem lit. B.* *Idem lit. N.* *Idem lit. B.*

LIV. Ex observantium familia numerantur viri docti. Andreas Guimarines Lusitanus minister provincialis et commissarius generalis provinciae Portugalliae, a se habitam *orationem funebrem in exequiis Hispaniarum reginae Morgaritae Austriacae* Ulysipone edidit hoc anno. Antonius Navarro ex provincia Castellae et catholicae curiae commissarius typis Antonii Rodriquez Hispali vulgavit *orationem funebrem in exequiis fr. Francisci a Cruce primogeniti ducis Marciensis*. Matriti etiam habetur in bibliotheca eius *defensio sacelli Dominae Nostrae de Laureto Gadicensis conventus*. Venetiis per Floravantum Prati edidit Augustinus Gothalius Monolianus provinciae Genuensis librum cui titulus est *le cinque giornate della penitenza fatte tra il penitente, e il suo padre confessore*. Est ad dialogi modum. Eum nuncupavit Mariae Mediceae reginae Galliarum. Emmanuel Rodericus Lusitanus Venetiis castigatius vulgavit *novam collectionem privilegiorum apostolicorum*. Gaspar a s. Bernardino Lusitanus vernacule typis Vincentii Alvarez edidit Ulysipone *itinerarium Indiae Orientalis*, et eodem anno ibidem vulgavit *descriptionem terrestris Ierusalem*. Honorius Carpenterius Foroliviensis insignis verbi Dei praeco in praecipuis civitatibus Italiae, per Franciscum Surianum Forolivii edidit sermone italico *conciones quadragesimae et dominicarum anni*. Ludovicus a Cruce Vercellensis Italus et suae provinciae administer scripsit compendium historiae Sabaudiae ad Carolum Emmanuelem I. Adservatur mss. in regia Sabaudiae bibliotheca. Ludovicus de Riano Matritensis adiecit *secundam partem* operi *de oratione mentali* a Martino de Lilio scripto, Matriti hoc anno editam. Philippus Boscherius Caesarimontanus vulgavit Coloniae liber inscriptus *codrus evangelicus*, seu *notae concionum* XL. *de passione Domini*. Hoc vel anno insequenti itidem edidit nuncupavitque Philippo III. Hispaniarum regi opus, cui est titulus *legatus apostolicus*, seu *echo concionum* XXXIX. *de Ioannis Baptistae libertate adversus incestum, reliquaque Herodis peccata dicendi libertate ex variis evangelistis*. Id opus scripsit cum annos quinquaginta haberet. *Idem lit. A.* *Idem lit. A.* *Idem lit. A.* *Idem lit. E. Wadd. et Sbar. lit. G.* *Sbaralea lit. H.* *Idem lit. L.* *Idem lit. L.* *Idem et Wadd. lit. P.*

LV. Sequuntur viri docti ex eadem familia. Theophilus Palantius e Bibiena Tusciae oppido, concionator, philosophus, theologus et poesi laureatus edidit Florentiae *enigmata et poemata sacra plura omnigena eruditione referta, et spectaculum mortalibus pro morali philosophia*. Opus exornatur iconibus tyrannorum, poetarum ac principum infidelium, eruditis inscriptionibus metro singulis appositis circumcirca. Praelo Ioannis Godines de Millis et Didaci de Corduba Vallisoleti edidit nuncupavitque Philippo III. Hispania- *Sbaralea lit. T.*

Wadd. lit. A. — Idem lit. A. — Idem lit. D.

rum regi Antonius Daça ex provincia Conceptionis *quartam partem chronicorum sui ordinis.* Eam iuchoavit ab eo tempore, ad quod Marcus Ulyssiponensis tertiam partem suae historiae perduxit et prosequutus est ad annum MDC. et ultra. Antonius Paschalis ex provincia Valentiae vulgavit Valentiae librum *de oratione mentali et via unitiva.* Desiderius Richard Gallus Barri-Albanus, theologus Parisiensis complevit opus a Ioanne Nodin eiusdem ordinis ob sui obitum non absolutum, cui titulus est *victoriam hebraeorum adversus Aegyptios, catholicorum triumphum contra haereticos praesignantem,* Lugduni praelo Claudii Morillon editum. Sunt in eo opera commentaria in XV. priora capita Exodi per locos communes ad concionatorum utilitatem accommodata.

Wadding. et Sbar. lit. O.

Octaviauns Spatarius ab Iucisa provinciae Tusciae minister, Romae theologus cardinalis Colonna, magnoque Hetruriae duci e confessionibus, Venetiis apud Baretium vulgavit *centurias concionum quatripartitas,* nempe conciones quadragesimales et conciones pro adventu. Edidit etiam *conciones de conceptione virginis Mariae.* Eius *aurea methodus de modo corrigendi regulares* prohibita est ex decreto s. indicis congregationis, donec corrigator.

Wadd. lit. I. — Sbaral. lit. A. — Wadd. et Sbaralea lit. N. — Sbaralea lit. M.

LVI. Ex familia reformatorum etiam viri docti florent. Iacobus Polius Germanus ex provincia Coloniae et Germaniae Inferioris rerum nostrarum historicus, Coloniae apud Stephanum Hemerden publici iuris fecit *manuale confraternitatis venerabilis Sacramenti conventus Olivarum.* Antonius a Randatio Siculus aere incisas edi curavit, suumque unicuique elogium adiunxit nonnullas *icones venerabilium fratrum strictioris observantiae reformatorum, qui sanctitatis fama claruerunt.* Opus idem est ac *chronica beatorum Siculorum observantium reformatorum* ab eomet scripta. Eiusdem instituti fuit Nicolaus Oranns Leodiensis Belga, summae eloquentiae vir, qui Antuerpiae apud Gasparum Bellerum edidit *conciones numero XXX. de Iudae proditoris apostasia.* Michael de Cervantes Hispalensis ex oppida Exquivias in agro Toletano tertii ordinis saecularium, ingenii amoenitate conspicuus, Parisiis gallice vulgavit *historiam septentrionalis fabulosam de laboribus Persiles et Agnemunda.*

Idem lit. L. — Wadd. lit. H. — Sbaralea lit. S.

LVII. Inter capucinos fratres doctriua praestans florebat Leonardus Bergomas Brixiensis provinciae vicarius, qui Brixiae vulgavit *apologiam pro arte amandi Deiparam,* eiusque vero auctore fratre Alexio Salodiensi. Hieronymus a Segorbio Hispanus ex proviucia Valentiae scripsit patrio idiomate, ac Valentiae apud Philippum Meii edidit *navigationem securam in coelum,* in qua docentur et praemonstrantur et securi portus et scopuli ac pericula coelestis itineris, cui *epitomen* adiunxit *doctrinae christianae.* Silvester de la Val Britannus ex provincia Parisiensi Pictavii typis Antonii du Misnier vulgavit *iustas magnitudines ecclesiae romanae contra impietatem illorum, qui papam vocant novum antichristum.*

Torquemada tom. 3. pag. 332. Beristain in biblioth. mexicana lit. D.

LVIII. Annos numerans XCV. raptus est in conventu s. Andreae de Cholula in provincia s. Evangelii die XIV. Martii vir apprime doctus ac pius Franciscus Gomez minorita de observantia, Vallisoleti anno MDXVI. nobilibus parentibus natus. Missus a suis in urbem Burgensem educationis gratia, pueritiam transegit domi avi sui equitis Mendiola, a quo spiritum pietatis hausit et humaniores literas didicit. Annos XIV. cum haberet, eum a parentibus expostulavit Ioannes Zumaragua nuper electus omnium primus episcopus Mexicanus, ut secum in eam urbem adduceret. Lexicum adveniens, studiis sacris

assiduam operam navavit, factusque sacerdos, primo eiusdem episcopi, mox Antonii de Mendoza pro-regis secretis deligitur. Munus sibi commissum prosequutus est octo annorum spatio. Verum a Deo ad maiora vocatus, professionem inter observantes emisit in coenobio s. Francisci eiusdem civitatis. Animarum salvandarum zelo inflammatus, uno cum sodali suo Alphonso de Escalona pedibus latam lustravit regionem de Guatamala, ubi verbo et exemplo multos ecclesiae peperit filios.

LIX. Mexicum reversus, qua confessionibus audiendis, qua concionibus, qua vitae exemplo multos devios ad bonam frugem adducebat. Gutturis infirmitatem diu summa animi fortitudine tulit, nec unquam adduci potuit, ut carnibus vesceretur diebus tum quadragesimae tum adventus; tunc enim solo pane et aqua reficiebatur. Postremis suae vitae annis etiam oculorum lumen amisit. Patientiae miraculum factus, pie occubuit, sepulcrum nactus magna cum solemnitate. Scripsit hispanice *memorias de alcunos varrones insignes de la provincia del santo Evangelo*, qua usus est Torquemada in conficienda sua *monarchia Indiana* tom. 3., *varios opusculos sobre la intellisencia de la lengua megicana*; *relacion original de la aparicion de notra Sra de Quadalupe.*

LX. Desideratus est inter capucinos fratres Mathias ex Belintanorum familia in oppido Salodii agri Brixiensis natus, vir eximiae virtutis ac doctrinae. Praedicationis munus quinquaginta annorum spatio non solum in praecipuis Italiae, verum etiam in amplissimis Galliarum regni urbibus obivit, ac tanto ardenti charitatis zelo, ut *admirabilis* sibi nomen apud omnes comparaverit. Non semel Deus eius sanctitatem miraculorum gloria confirmavit. Vix autem dici potest quot devios ad salutis tramitem adduxerit. Hinc magna cum laude de eo scripserunt multi, praesertim Fridericus Borromaeus cardinalis et archiepiscopus Mediolanensis. Is enim in libro de sacris oratoribus sic scribit: *Fridericus Borromaeus pag. 119.*
« Mathias Belintanus capucinus, *inquit*, vim et ubertatem iuventutis retinuit etiam in praecipiti senecta raro munere, cum aetas infelix illa omnem ex animo nostro dicendi vim atque copiam exhaurire videatur. Magna res est et maior fortasse quam credi possit, inventio, cum paucissimi reperiantur ex omni memoria, qui meruerint eam laudem; cumque appareat, ingentia volumina quaé circumferuntur magno nomine et fama, vix quidquam habitura de proprio et suo, si succus ex illis iuventutis exprimeretur. Nihil tamen dixit unquam Belintanus, quod abditum magnopere aut exquisitum esset; eratque copia magis et ubertate, quam excellentia et acumine iuventutis admirandus. Accesserat ad eam inveniendi facilitatem labor assiduus et incredibile studium tanto progressu, ut cum scripta quaedam illius minime vulgari doctrina vir inspexisset, admiraretur novum in homine divinarum literarum usum infinitamque memoriam, atque inciperet suspicari nequaquam uti naturae muneribus eum, sed aliquid profecto maius et excelsius habere ».

LXI. Multa scripsit, quae exhibemus, typis commissa. Eius sunt *meditationes sive coronae de vita et passione Christi* ex mandato s. Caroli Borromaei compositae italice, Bononiae anno MDLXX. editae per Bartholomaeum Cochium et alibi. Anno MDCX. item Bononiae vulgatae fuerunt una *cum praeparationibus ad missam*. Ante ann. MDLXXXVIII. edidit lingua vernacula *de oratione mentali utilem tractatum*, et super s. Bonaventuram opus eruditum titulo *in sermones s. Bonaventurae et in evangelia totius anni scripturales in-* *Sbaralea lit. M.*

troductiones. Anno MDLXXXVIII. Venetiis haec prodierunt apud Petrum Dusinellum cum nonnullis *concionibus Francisci Mayron minoritae*. Brixiae anno MDXCIX. prodiit italice eius *historia Salodii patriaeque Alexandri VI. summi pontificis*. Scribit Spondanus eam fuisse impressam anno MDLXXXVI. Venetiis anno MDLXXXVI. italice prodiit *brevis tractatus de oratione XL. horarum etc*. Alexander Canobius Veronensis edidit italice anno MDLXXXV. *devotam orationem XL. horarum Veronae factam a Mathia Belintano persuasam*. Brixiae anno MDXCIV. italice vulgata fuit *oratio funebris in obitu Alexandri Luzachi nobilis Brixiani*. Sua est etiam italice scripta *historia religionis capucinorum usque ad annum MDXCVII*. Boverius enim initio indicis annalium capucinorum dicit eum scripsisse *duo volumina gestorum capucinorum*. Prodiit primo italice *practica orationis spiritualis* Venetiis anno MDCVIII. Brixiae anno MDCXIV. lucem aspexit *confortatorium eorum qui morte plectendi sunt*. Per Bernardinum Lantonium Salodii anno MDCXX. prodiit italice in duas partes *theatrum paradisi seu piae meditationes de gloria Iesu Christi, b. Mariae virginis et sanctorum*. Item Salodii anno MDCXXII. iisdemque typis italice vulgatae fuerunt *exagerationes morales pro concionatoribus*. Lugduni sumptibus Antonii Pillehoste et Ioannis Cassia an. MDCXXIV. prodierunt *conciones quadragesimales quadruplices iuxta ritum ambrosianum, ad usum tamen romanum accommodatae*.

Spondanus ad ann. 1522. n. 9.

LXII. Sequentia inedita sunt. *Expositio admirabilis et profundissima in apocalypsim b. Ioannis apostoli, ab omnibus viris doctis potissimumque a Clemente VIII. commendata*, cuius exemplar adservari iussit pontifex in bibliotheca vaticana. *Conciones quadragesimales secundum ritum et ordinem romanae ecclesiae*. mss. tom. V., *sermones pro solemnitatibus XL. horarum* mss. tom. II., *sermones de passione et morte d. n. Iesu Christi* mss. tom. I., *conciones et sermones quadruplices pro tempore adventus* mss. tom. II., *sermones pro festivitatibus b. virginis Mariae* mss. tom. II., *tractatus de immaculata conceptione b. virginis Mariae* mss. tom. I., *catena conceptuum extracta ex operibus ss. Augustini, Gregorii, Cypriani et aliorum ss. patrum* mss. tom. IV. *Vita b. Felicis a Cantalicio ordinis capucinorum* mss. quam ex italico sermone in latinum conversam vulgarunt auctores actorum sanctorum ad diem XVIII. Maii; *vita b. Angelae a Dezenzano fundatricis monasterii virginum ursulinarum Brixiae* mss.; *vita b. Raynerii e Burgo s. Sepulcri capucini et aliorum eiusdem instituti*; forte eadem est quae invenitur in eius *chronico capucinorum*. Alia etiam extare opera ad XX. volumina mss. Brixiae in conventu sui ordinis tradit auctor bibliothecae capucinorum.

LXIII. Meritis igitur ac laboribus clarus, septuagenario maior obiit Brixiae die XX. Iulii. Funus honestarunt incolae cuiusvis ordinis, corpus osculantes et venerantes. Eius autem vultum dormientis potius quam mortui speciem praeseferebat. In sui memoriam sequens epithaphium in ecclesia coenobii incisum fuit.

ADMODVM REVERENDO PATRI
MATHIAE BELINTANO A SALODIO CAPVCINO
THEOLOGO ET CONCIONATORI EXIMIO
QVI SVMMAS IN RELIGIONE ADMINISTRATIONES
ASSECVTVS CVM LVSTRATIORIBVS EVROPAE CIVITATIBVS
QVINQVAGINTA ANNORVM SPATIO
MAXIMO CVM ANIMARVM LVCRO
VERBVM DEI DISSEMINASSET CONFECTVS SENIO
ET PLENVS VIRTVTIBVS OBIIT DIE XX. IVLII
ANNO M. DC. XI. AETATIS VERO LXXVII.
RELIGIONIS LVIII.

LXIV. Inter purpuratos patres assumptus est hoc anno die xvii. vel xix. Augusti Felix Centinus Asculanus minorita conventualis, iam consultor sacrae inquisitionis in Urbe et sui ordinis procurator generalis. Titulum obtinuit s. Hieronymi Illyricorum. Die xxx. eiusdem mensis renuntiatus fuit episcopus Militensis in Calabria. Praesens suam dioecesim lustravit, synodum coegit, ecclesiam argenteis candelabris pretiosisque ornamentis locupletavit et canonicos propriis insignibus donavit. Matthaeus Ferchius eius discipulus et consodalis de eo sic scribit in vita Ioannis Scoti prope finem: *Felix Centinus s. r. e. cardinalis Asculanus doctrina et moribus Urbi et orbi notissimus, qui naturalium et supernaturalium veritatum cognitione ditatus, cum scotica subtilitate tantam integritatem memoriae sive natura sive industria comparavit, ut integras Scoti et Scotistarum columnas, mirandum relatu, adamussim in disputationibus extempore proferret.* Hoc eodem anno electus est s. r. e. cardinalis die iii. Novembris Gaspar Borgia Hispanus, Toletanae ecclesiae canonicus, et tertio franciscalium saecularium ordini iam adscriptus. Titulum s. Susannae consequutus est die x. Decembris. Die xiv. Novembris Augustino cardinali Galamino Brisighellensi ordinis praedicatorum datus est titulus s. Mariae de Aracoeli.

Ciaconius tom. 4. col. 431.

Ughel tom 1. col. 218.

Ciaconius tom. 4. col. 430.

Idem ibid. col. 428.

LXV. Ad regendam ecclesiam Montis Marani sub archiepiscopatu Beneventano assumptus est episcopus die xiv. Novembris Eleutherius Albergonius Mediolanensis minorita conventualis; ad regendam ecclesiam Nigropolitanam Ioannes Baptista Civallus a s. Genesio Picenus, iam suffraganeus archiepiscopi Olomucensis.

Antichità Picene tomo 25. pag. 158.

LXVI. Ex minoritis de observantia delectus est die xvii. Augusti episcopus ecclesiae Auriensis in Gallecia Sebastianus Brixianus, e sacris confessionibus Philippi iii. Hispaniarum regis; die xxiv. episcopus ecclesiae Dioecesareae in Cappadocia in partibus infidelium Gregorius Carbonella de Paula, retenta abbatia ecclesiae collegiatae s. Barbarae Mantuae. Valerianus Lubimischi hoc eodem anno iuxta Hyacinthum Sbaralea destinatus est episcopus ecclesiae Baecariensis in Moldavia et Valachia.

LXVII. Iubet summus pontifex ut ab ordinario loci voluntas virginum exploretur, antequam ad habitum et regularem professionem admittantur, licet monasteria non sint sibi subiecta: *Nomine* die vii. Octobris; iubet, ut non

admittantur puellae educationis gratia in monasterio s. Aloisii extra moenia Burgensis: *Cum sicut* die xxiii. Iunii; ne extrahantur reliquiae ab ecclesia monasterii s. Clarae oppidi de Medina de Pomar: *Cupientes* die xxvii. Iulii; indulget, ut pars legati relicti a quondam Aonibale Gianinelli pro fratribus conventus s. Spiritus minorum observantium Ferrariae inserviat ad reficiendam eorum domum: *Exponi* die xxii. Iulii; ut fratres tertii ordinis congregationis Gallicanae recipere valeant iuvenes ad habitum suscipiendum etiam extra custodiale capitulum: *Onerosa* die xi. Martii; ut d. Martinus Cordubensis erigere valeat oratorium et sepulcrum in Agro Sancto conventus s. Bernardini Matritensis provinciae s. Iosephi discalceatorum: *Cum sicut* die xvii. Octobris.

LXVIII. Erigit confraternitatem immaculatae conceptionis in oppido Lubronis Pisanae dioecesis: *Coeleste* die xxvi. Novembris; confraternitatem conceptionis in ecclesia observantium terrae Mortarii dioecesis Viglevan. iisdem indulgentiis decoratam, quibus fruitur archiconfraternitas s. Laurentii in Damaso de Urbe: *Cum sicut* die xxix. Septembris; confraternitatem conceptionis in parochiali ecclesia s. Iacobi Montis Oriolen. *Cum sicut* die vi. Decembris; confraternitatem conceptionis in ecclesia s. Mariae Angelorum Neapolis: *Cum sicut* die xiii. Iulii; confraternitatem s. Francisci in ecclesia s. Gemini Narnien, dioecesis; *Cum sicut* die xvii. Decembris. Sub die i. Iunii idem summus pontifex
Monum. prov. erigit confraternitatem ss. Trinitatis in ecclesia s. Mariae Gratiarum Gualdus Firmi in provincia Picena, aggregatam archiconfraternitati ss. Trinitatis peregrinorum de Urbe.

LXIX. Ex Petro de Alva alia sunt diplomata summi pontificis. Concessio indulgentiarum pro crucesignatis s. officii consultoribus: *Cum inter caetera* die xxix. Iulii; pro quodam legato conventus Castridurantis: *Inter gravissimos* iv. nonas Aprilis; confraternitas conceptionis in ecclesia s. Mariae Montis Pietatis Bitteren. *De salute* idibus Februarii; confraternitas ss. nominis Iesu in conventu observantium Varen. *Romanus pontifex* idibus Augusti; confraternitas conceptionis in ecclesia s. Defendenti Ianuen. *Considerantes* idibus Octobris; pro monasterio monialium s. Mariae Gratiarum Papien. *Ex iniuncto* xvi. calendas Iulii; beneficium conceptionis in loco de la Cepeda Abulen. *Vitae et morum* calendis Decembris; pro monialibus clarissis s. Mariae Elisabeth in suburbiis Cuman. *Ex iniuncto* pridie calendas Aprilis; confraternitas conceptionis in conventu s. Francisci Esten. Paduan. *De salute* idibus Iunii; pro monialibus s. Clarae monasterii s. Fabiani Reatin. *Ex iniuncto* iii. nonas Aprilis; confraternitas conceptionis in conventu s. Mariae annuntiatae Alexandrin. *Pro salute* nonis Iunii; pro monasterio s. Agathae loci Laimeli Papien. *Ex iniuncto* v. idus Septembris; oratorium conceptionis in loco Aquati Plebis Conchae Medinlan. *Dignum* iii. idus Ianuarii; pro monasterio clarissarum s. Aegidii Asculan. *Ex iniuncto* ix. calendas Februarii; cappellania in monasterio s. Clarae de la Palma Corduben. *Dignum* idibus Augusti; cappellania in monasterio s. Mariae Novae terrae Pisciae Florentin. *Digno* xii. calendas Decembris; beneficium conceptionis in ecclesia villae de Alpuente Segobien. *Dignum* xvi. calendas Decembris; translatio conventus observantium s. Bonaventurae Palentin. *Pastoralis* pridie idus Octobris; indulgentia pro die conceptionis in ecclesia terrae Mirandulae Caietan. *De salute* idibus Decembris; pro monialibus clarissis extra muros Colimbrien. *Ex iniuncto* iv. nonas Septembris; pro fratribus conventualibus terrae Faleroni Firman. *Pastoralis* xi.

calendas Decembris; licentia testandi pro Hieronymo episcopo minorita: *De benignitate* XIV. calendas Decembris.

LXX. Quae de s. Stephani papae et martyris corporis inventione hoc anno peracta in ecclesia s. Mariae de Columna Trani minorum observantium provinciae s. Nicolai tradit Bonaventura de Fasano, notamus. *In conventu*, inquit, s. *Mariae de Columna Trani sub altari maiori decentissime adservatur corpus s. Stephani papae et martyris, ubi maxima pietate ac religione colitur.* De quo agens Gonzaga, ait, quod hoc mordicus ab aliquibus adscribitur, et in secunda Venetiana editione dicit, quod nec possunt ostendere locum. *At non est mirum*, inquit, *cum suo tempore nondum fuerat inventum. Fuit tamen inventum hoc anno, nocte intercedente inter diem* XXVI. *et* XXVII. *Decembris. Non erit ergo incongruum, si eius inventionem hic breviter describamus, et a quo primo ibi fuit asportatum ex historia huius inventionis typis Trani anno* MDCXXII. *per Laurentium Valerium a Ioanne Luca Staffa nobili, ut vocant, del Seggio del Campo eiusdem civitatis Trani composita.*

De Fasano pag. 148.

Gonzaga in provincia s. Nicolai conv. 5.

LXXI. *Anno ergo Domini* MCLX. *ex hoc conventu, qui a benedictinis inhabitabatur, unus eiusdem instituti monachus Romam perrexit, quadam arte ab ecclesia s. Stephani extra muros coemeterio Callisti hoc sanctum corpus abstulit, et ut suo abbati praedicti conventus gratum faceret, ei detulit, qui ipsum decenter in altari tunc divo Zenobio dicato collocavit. Et inter alia mirabilia quae tunc temporis ad ostendendam huius Sancti gloriam et veritatem, Deus operatus est, unum fuit, quod quidam a daemone obsessus, hanc ingressus ecclesiam, Amandus episcopus Vigiliensis clam a manibus abbatis brachium sancti accipiens, et ei admotum, daemonis impetu facto ipsi obsesso, haec verba evomuit: cur me nunc Stephane crucias? cur mihi modo caput abscindis ac membra mutilas? statim liberatus est. Item quidam alius obsessus in maiori ecclesia Tarenti ante imaginem protomartyris Stephani in muro depictam adductus, interim daemon sic effatus est: nunc autem ante tuam imaginem, o prothomartyr Stephane, torqueor, laceror, confundor graviter et affligor; nam ab hoc mihi homine, quasi pro carcere deputato, in quo tamen per affectum malitiae delectabar, quem cum hilariter vexabam, in huius cruciatibus sedulis mihi erat quies et gaudium, non precum tuarum instantia nec tua nunc sanctitate poscente excludor, imo precibus et meritis b. Stephani papae et martyris, qui in monasterio sanctae gloriosae genitricis Dei et perpetuae virginis Mariae insulae Coloniae prope Tranum sitae, ad salutem Tranensium mansionem accepit, manu forti expellor, totamque maritimam oram fugiens, ad solitudinem vapulans abscondo. Quo dicto, obsessus liber evasit.*

LXXII. *Cum postea illis temporibus, urgentibus in Apulia bellis, ss. corpora in tuto loco absconderentur, etiam hoc sanctum corpus fuit reservatum. Per traditionem habebant (nescio quo modo) descendentes a familia de Barachia nobiles Tranenses, ita ut unus in mortis articulo sub sigillo secreti iuramento firmati, alteri revelabat eiusdem familiae, sub dicto altari maiori praedictum corpus sanctum extare. Unus ex his Ioannes Iacobus nomine, disponente Deo, secretum dicto Ioanni Lucae Staffa propalavit, qui una cum ipso Ioanne Iacobo et Petro Campitello*

Digitized by Google

nobili (ut vocant del Seggio di s. Marco) guardiano et fratribus conventus effossa terra in praedicto loco, quamdam velut capsam ex calce et calculis compactam, intra quam aliam ligneam, et in hac quamdam manticam de panno, in qua s. Corporis ossa, praeter caput involuta erant, invenerunt; quae mantica et capsa lignea, statim ex aere evanuerunt. Adveniente postea Didaco Alvarez Tranensi archiepiscopo, viro religiosissimo admirandae virtutis et scientiae, reliquias adoravit, et in alia capsa crystallinis speculis ornata, in eodem loco decenter prius disposito, cum cratis ferreis sub scabello dicti altaris, ut in posterum a populo conspici posset, honorifice reponere fecit die XXVII. *Decembris praedicti anni* MDCXI.

Ann. min. ad ann. 1222. n. 41.

LXXIII. Exuviae b. Zachariae s. p. Francisci discipuli, quae ab anno MCCXXII. iacuerant in pavimento maioris sacelli conventus s. Francisci Alanguerii provinciae Portugalliae, illatae fuerunt ad dextrum latus eiusdem arae maioris, novo sarcophago occlusae cum aliis duobus sociis Beati. Scribit Waddingus ibidem conditum fuisse virum Dei cum altero dumtaxat socio suo. Extat de hac re memoria sepulcro incisa: *sepulcrum b. Zachariae socii b. p. Francisci et duorum sociorum erectum* XI. *Aprilis* MDCXI. Anno insequenti viri Dei corporis pars missa fuit ab Antonio ab Ascensione illius provinciae custode ad magnum Hetruriae ducem.

Agiolog. Lusit. ad die 11. Aprilis. De Esperansa tom. 1. pag. 34.

Ann. min. ad ann. 1315. num. 5.

LXXIV. Die v. Decembris adstantibus optimatibus, senatu urbis Maioricensis aliisque principalioribus de sacro praedicatorum, augustinianorum, minorum, carmelitarum, ac societatis Iesu instituto, extractum fuit ex marmoreo mausoleo corpus Raymundi Lulli franciscani de tertio ordine, anno MCCCXV. martyrio affecti. Inspecto capite, in eo visa sunt quatuor magna vulnera, duo incisiones gladii, alterum in superiori parte ossi petrosi satis profundum; postremum in ipso vertice capitis; alia duo contusiones lapidum, unum in supercilio sinistro; in occipite alterum apparuere.

LXXV. Tanti viri acta ac ab eo scripta opera longa oratione complexus est Waddingus ad annos MCCLXXV. n. IX. MCCLXXXVII. n. II. et seq. MCCXC. n. XVIII. MCCXCIII. n. II. et seq. MCCCVIII. n. XXXVIII. MCCCXII. n. VIII. et MCCCXV. n. II. et seq. Post eum collectores Bollandii agunt ad diem XXX. Iunii tom. V. una cum catalogo suorum operum, de quibus Sbaralea lit. R. Anno MDCCXIII. tribus tomis in folio Moguntiae castigata prodierunt cuncta eius opera. Impense coluit Deiparae virginis immaculatam conceptionem, cuius vindicias suscepit variis ab eo scriptis opellis. Eius est enim *liber de conceptu virginali* seu *disputatio* inter monachum dominicanum et duos laicos, editus Hispali anno MCDXCI. typis Pauli de Colonna. Item *liber de eremitarum disputatione super conceptu virginali et mariale magnum Matris vitae.* Utrumque opus anno MDXXXVII. lucem aspexit Parisiis.

LXXVI. Huius viri Dei cultum ratum habuit Pius papa IX. die IV. Februarii anno MDCCCLVIII. hoc lato decreto.

DECRETUM

Ordinis minorum sancti Francisci.

Permanet in benedictione apud alumnos ordinis minorum s. Francisci memoria b. Raymundi cognomento Lulli, qui regulam tertii ordinis

eiusdem s. Francisci professus, eximia doctrina praeditus immaculatum Deiparae conceptum operibus coelesti sapientia refertis asseruit, propugnavit ac alacri prorsus studio infidelium conversioni incubuit, donec post multos exantlatos labores vitam sanctissime exactam nobili martyrio consummavit. Haec animo repetens rmus p. fr. Bernardinus a Montefranco minister generalis totius ordinis seraphici a sanctissimo domino nostro Pio papa IX. *humillime expostulavit, ut liceat franciscalibus omnibus sibi subiectis die semel fixa a se designanda, b. Raymundi martyris festum agere sub ritu simplici cum suprascipta* IX. *lectione historica desumpta e tribus lectionibus a sancta sede anno* MDCCCXLVII. *die* XI. *Septembris concessis regno Maioricensi, adhibita praenotata oratione tunc pariter approbata, sanctitas sua, referente subscripto sacrorum rituum congregationis secretario, benigne in omnibus annuit, dummodo rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.*

Die IV. *Februarii* MDCCCLVIII.

E. episcopus Albanen. card. Patrizi s. r. c. praef.

Loco ✠ *Sigilli*

H. Capalti s. r. c. secretarius.



REGESTUM PONTIFICIUM

CLEMENTIS VIII.

CXXII.

Immittit fratres recollectos in conventum Fontaneti. Ex reg. secr. brev. in mense Martio pag. 279.

Venerabili fratri episcopo Malleacensi salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicut nobis nuper exponi fecisti in oppido seu loco Fontene le Conta nuncupato tunc dioecesis Malleacen. alias domus seu monasterium fratrum s. Francisci de observantia nuncupat. existeret, illudque in bellicis tumultibus quibus nobilissimum Franciae regnum diu agitatum fuit, desolatum fuerit, nuncque dilecti filii universitas et homines dicti oppidi seu loci de Fontene monasterium praedictum restaurare intendant, si in illud fratres reformati eiusdem ordinis s. Francisci vulgo recollecti nuncupati introducantur; ac propterea nobis humiliter supplicari fecerís, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui ecclesiarum et monasteriorum restaurationem ubique, sed in praedicto regno praecipue necnon religiosorum propagationem sincero desideramus affectu, de tuae fraternitatis fide, prudentia et integritate plurimum in Domino confisi ac huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem fraternitati tuae monasterium praefatum eiusque ecclesiam cum annexis et pertinentiis suis universis ex nunc prout ex tunc postquam restaurata extiterint ita, ut in ipso monasterio duodecim saltem religiosi commode valeant habitare, praefatis fratribus reformatis in perpetuum auctoritate nostra apostolica concedendi, ac ipsos fratres

reformatos in monasterium praedictum in locum primodictorum fratrum de observantia introducendi plenam et liberam facultatem auctoritate praedicta tenore praesentium concedimus et impartimur. Decernentes fratres reformatos huiusmodi, si et postquam, ut praefertur, in dictum monasterium introducti fuerint, exinde per fratres de observantia et quoscumque illorum superiores, seu quosvis alios quavis auctoritate fungentes elici, vel removeri aut alias quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari nullo modo posse, praesentesque literas etiam ex eo quod praedicti fratres de observantia, aut quicumque alii interesse habentes seu praetendentes vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari aut alias quomodolibet infringi, retractari, revocari, in ius vel controversiam vocari, aut contra illas quodcumque gratiae vel iustitiae remedium impetrari nullatenus posse, sed semper validas et efficaces existere et fore, ac dictis fratribus reformatis plenissime suffragari; sicque et non aliter per quoscumque iudices etc. Et nihilominus tibi per easdam praesentes committimus et mandamus, ut eisdem fratribus reformatis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, illos auctoritate nostra in possessione dicti monasterii defendas et manuteneas, ac aliorum praemissorum effectu pacifice frui et gaudere facias, non permittens eos desuper per quoscumque quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet etc. Non obstant. etc. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die xxix. Martii pontificatus nostri anno x.

CXXIII.

Ratam habet cessionem conventus Insulae Liparae. Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 244.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quae ad sacrarum religionum propagationem pertinent, ea nos libenter confirmamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Expositum siquidem nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis et fratrum provinciae Septem Martyrum Calabriae Inferioris ordinis minorum s. Francisci de observantia, quod cum alias fratres congregationis capucinorum s. Francisci quamdam domum, quam habebant in civitate Liparen. ob tunc expressas causas dimisissent, dilecti filii communitas et homines eiusdem civitatis de ordinarii consensu eamdem domum et ecclesiam contiguam cum ornamentis et paramentis in ea ad cultum divinum existentibus pro construenda ibi uno dictorum fratrum s. Francisci de observantia domo dictis ministro provinciali et fratribus perpetuo concesserunt et assignarunt, ipsique minister et fratres eamdem domum et ecclesiam receperunt, prout publico desuper celebrato instrumento dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, concessio huiusmodi ut firma et valida sit, per apostolicam sedem approbari seu de novo fieri debeat, propterea eorumdem ministri provincialis et fratrum dictae provinciae nominibus humiliter nobis supplicatum fuerit, ut

nostrum in praemissis auctoritatem interponere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dicti ordinis seraphici propagationem in Domino desideramus, eosdem ministrum provincialem et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto venerab. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, eisdem ministro et fratribus ecclesiam et domum olim capucinorum civitatis Lipareo. ut ibi unum conventum fratrum eiusdem ordinis et provinciae, in quo duodecim saltem religiosi permaneant constituere, seu iam constitutum continuare valeant, auctoritate apost. ten. praesentium concedimus et assignamus. Ac eidem conventui erecto seu erigendo eiusque guardiano et fratribus nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus gratiis, exemptionibus, libertatibus, favoribus, privilegiis, indultis et indulgentiis, quibus alii conventus guardiani et fratres eiusdem ordinis fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua differentia frui, potiri ac gaudere possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xix. Iulii pontificatus nostri anno x.

CXXIV.

Ut fratres reformati aedem recipiant in oppido Soleti. Ex reg. secr. brev. in mense Decembri pag. 360.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quae ad religiosorum reformatorum praesertim propagationem pertinent, ea libenter concedimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque sicut accepimus, dilecti filii universitas et homines terrae Soleti in Hydruntin. dioecesi singulari erga b. Franciscum et illius ordinem fratrum reformatorum de observantia nuncupat. devotionis affectu ducti, unam eiusdem ordinis domum apud ecclesiam b. Mariae Gratiarum eiusdem terrae Soleti de ordinarii licentia erigendam curaverint, ac in illam fratres dicti ordinis min. reformatorum s. Francisci introduci desiderent, ac propterea eorumdem universitatis et hominum necnon custodis et fratrum provinciae s. Nicolai praedicti ordinis nominibus nobis humiliter supplicatum fuerit, ut opportunam ad hoc licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui dictorum fratrum reformatorum propagationi libenter favemus, eosdem custodem et fratres ac universitatem et homines spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati eisdem custodi et fratribus, ut domum praedictam in dicta terra Soleti simul cum ecclesia, companili, hortis et hortaliciis, officinis ac aliis iuribus et pertinentiis suis universis recipere, ac ibidem unum eorum ordinis conventum, in quo duodecim saltem eiusdem ordinis fratres commorentur, constituere libere et licite possint et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et impartimur; ac custodi et fratribus pro tempore in domo praedicta existentibus in perpetuum, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, con-

cessionibus et indulgentiis, quibus aliarum eiusdem ordinis domorum custodes et fratres frui, potiri et gaudere solent et possunt; ac poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua differentia frui, potiri et gaudere possint et valeant, auctoritate et tenore praesentis concedimus et indulgemus.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxix. Decembris pontificatus nostri anno x.

CXXV.

Pro eisdem fratribus incolentibus coenobium in oppido Farae. Ex reg. secr. brev. in mense Iunio pag. 156.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quae ad sacrarum religionum propagationem et religiosorum commoditatem pertinent, ea libenter concedimus, prout piorum christifidelium vota exposcunt ac alias in Domino salubriter conspicimus expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas et homines terrae Farae nullius dioecesis spiritualis iurisdictionis monasterii Farfen. ordinis s. Benedicti congregationis Cassinen. quod cum alias fratres ordinis minorum conventualium s. Francisci qui in domo eiusdem ordinis dictae Terrae aderant, inde discessissent, et domum praedictam cum ecclesia reliquissent, ipsi universitas et homines pro eorum devotione novissime domum praedictam cum ecclesia fratribus reformatis ordinis s. Francisci de observantia, ex quibus duodecim ibi permanent, et eleemosynis dictorum exponentium aluntur, de licentia ordinarii ac congregationis nostrae super bono regimine civitatum ac terrarum et locorum status nostri ecclesiastici concesserunt et assignarunt, seu concedi et assignari curarunt, cupiantque huiusmodi concessionem apostolica auctoritate confirmari, ac alias ut infra per nos indulgeri, et ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur honestis eorumdem universitatis et hominum petitionibus benigne annuere, ac tam eos quam dilectos filios guardianum et conventum eiusdem domus specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et quemlibet eorum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem dictae domus et ecclesiae fratribus reformatis s. Francisci de observantia praedictis cum omnibus inde secutis, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque apostolicae ac inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Decernentes concessionem huiusmodi validam fore et esse, ac praedictos fratres reformatos in eadem domo perpetuo manuteneri debere, nec exinde sine speciali nostra et sedis apostolicae expressa licentia a quoquam quavis auctoritate fungente, removeri posse, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Insuper guardiano et fratribus conventus praedicti nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, favoribus, concessionibus, gratiis, indultis et indulgentiis, quibus alii eiusdem ordinis conventus et fra-

Digitized by Google

tres uti, frui et gaudere solent et possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum, siue aliqua differentia uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die IX. Iunii pontificatus nostri anno X.

CXXVI.

Fit episcopus Caprulen. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 501.

Romae apud s. Petrum die mercurii 24. Ianuarii fuit consistorium secretum, in quo

S. d. noster, referente reverendissimo d. cardinali Veronen. providit ecclesiae Caprularum vacan. per obitum bon. mem. Angeli episcopi, de persona fratris Ludovici de Grillis ordinis fratrum minorum de observantia absolvens etc. cum clausulis etc.

CXXVII.

Fit episcopus Pacten. Ex eisdem actibus pag. 158.

Romae in monte quirinali die lunae ultima Aprilis fuit consistorium secretum, in quo

S. d. noster providit ecclesiae Pactensi ad nominationem regis catholici vacan. per obitum bon. mem. Gilberti illius episcopi in romana curia defuncti, de persona r. p. Bonaventurae patriarchae Constantinopolitan. cum retentione patriarchatus eiusque denominatione, ac salvis pensionibus antiquis, et cum reservatione novarum pensionum usque ad summam scutorum 7000. monetae in illis partibus cursum haben. quae simul cum antiquis tertiam fructuum partem non excedant.

CXXVIII.

Fit episcopus ecclesiae de Paraguaia. Torrubia pag. XVIII.

Romae apud s. Petrum die 19. Novembris fuit consistorium, in quo

Proponente card. Abulensi electus est episcopus de Paraguaia sive Rio de la Plata sub archiepiscopatu de Carcas, Martinus Ignatius de Loyola.

Digitized by Google

CXXIX.

Iubet episcopis Insulae Corsicae, ne regularibus utantur absque sedis apostolicae licentia. Coequelines tom. 5. part. 2. pag. 384.

Ven. fratribus episcopis Insulae Corsicae ac dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam ab observantia regulari alienum est, ut regulares cuiusvis ordinis extra claustra suorum monasteriorum et domorum regularium vagantes permaneant, nos fraternitatibus vestris fratres episcopi ac discretioni vestrae filii vicarii et cuilibet vestrum per praesentes committimus et mandamus, ut nullus vestrum regularibus ipsis, quavis de causa etiam praetextu curae animarum exercendae, aut vestria servitiis insistendi, extra claustra suorum monasteriorum et regularium locorum permanendi sine speciali sedis apostolicae licentia, occasionem praebeatis aut eorumdem regularium extra claustra degentium opera utamini; quinimo unusquisque vestrum in sua civitate et dioecesi huiusmodi regulares sic extra claustra vagantes aut quovis praetextu permanentes, ad sua monasteria et loca regularia redire etiam per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia cogatis et compellatis, super quo vobis opportunam facultatem concedimus et impertimur. Non obstantibus. etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die v. Septembris pontificatus nostri anno x.

CXXX.

Statuit quosdam limites pro aedificatione coenobiorum in provincia Carthagenae. Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 138.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet romanum pontificem ad ea suae mentis aciem dirigere, per quae religiosorum quieti opportune prospicitur. Sane pro parte dilecti filii Ioannis de Rada ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia procuratoris generalis nobis nuper expositum fuit, quod provincia Carthagenae eiusdem ordinis quae brevissimis terminis cingitur, triginta tres conventus habet, intra quos sunt octo fratrum recollectorum in quibus purissime regula observatur a fratribus, qui summa pace inter se gaudentes cum aliis eiusdem provinciae fratribus, Altissimo famulantur. Crescente vero recollectorum numero, eis plures assignantur conventus quos alii fratres non recollecti inhabitant; fratres autem provinciae s. Ioannis Baptistae et s. Ioseph inter eosdem terminos septem habent conventus, aliosque de novo erigunt; quo fit, ut fidelibus graves admodum sint nec eleemosynis quotidianis vivere queant etiam recollecti, ac proinde coguntur a puritate regulae discedere, quaerentes et congregantes eleemosynas ad vitae sustentationem, et quod peius est, tot multiplicatis conventibus coguntur novitios ex omni genere accipere, ut eos inhabitent. Quare cum religio s. Francisci, benedicente Domino, satis propagata sit et fratrum

multitudo eius puritati obstet, idem Ioannes procurator nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes eiusdem Ioannis procuratoris petitiones iustas ac rationabiles existere, ac propterea illis benigne annuere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, harum serie perpetuo statuimus et ordinamus, quatenus intra quinque aut quatuor saltem leucas a conventibus eiusdem ordinis saltem recollectorum praedictae provinciae nunc iam aedificatis et inhabitatis, vel inhabitandis deinceps in perpetuum nullum eiusdem ordinis etiam recollectorum et discalceatorum conventus aedificari possit, irritum et inane decernentes quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis nostro et apostolicae sedis in regnis Hispaniarum nuntio et causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac decano ecclesiae Carthagenen. per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium; seu alios praesentes et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte guardianorum et fratrum conventuum nunc existentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, faciant auctoritate nostra praemissa perpetuo inviolata observari. Contradictores quoscumque etc. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Marcum die XI. Iulii pontificatus nostri anno X.

CXXXI.

Aliqua statuit pro associatione corporum defunctorum. Ibid. in mense Augusto pag. 78.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD romani pontificis providentiam spectare dignoscitur dubia, ex quibus lites et scandala oriuntur, suae declarationis oraculo terminare. Nuper siquidem accepimus quod ecclesia olim parochialis s. Nicolai oppidi civitatis nuncupat. de Alicant. Orioien. dioecesis in collegiatam ecclesiam erecta, dilecti filii ipsius collegiatae ecclesiae canonici et capitulum forsan etiam per modum perpetuae suae ordinationis seu, ut iactare se dicuntur, etiam in vim statuti in synodo dioecesana facti ordinarunt, ne in futurum fratres quatuor ordinum mendicantium, videlicet s. Dominici, s. Francisci, e. Augustini et Carmelitarum in eodem oppido commorantes, etiam si ex dispositione testatorum vel curatorum funerum voluntate et beneplacito vocati fuerint, audeant associare corpora defunctorum ad aliquas sepulturas sive corpora huiusmodi in ecclesiis fratrum, sive in aliis sepelienda fuerint, nisi etiam ipsi canonici et capitulum sepulturis huiusmodi interfuerint, tametsi, ut supra, non vocentur: nec etiam audeant confessiones infirmorum sive in articulo mortis constitutorum audire, quamvis ab ordinario approbati sint, nec minus morientibus assistere eosque consolari et adiuvare, et occurrentibus casibus praedictis eosdem fratres in praemissis saepius de facto perturbarunt et perturbant. Cum autem praemissa omnia manifeste sint contra libertatem et privilegia apostolica dictorum fratrum

et consuetudinem eiusdem oppidi, ac in grave praedictorum fratrum praeiudicium et suffragii animarum detrimentum vergaot: pro parte dictorum fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus opportunum huic tanto malo remedium afferre, et pront infra decernere et declarare aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apost. dignaremur. Nos fratres praedictos ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac quascumque lites et causas desuper motas et indecisas pendentes, quarum statum et merita nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, eorumque iura et titulos ac praetensiones praesentibus haberi volumus pro expressis, ad nos harum serie advocantes illasque penitus et omnino extinguentes, ac perpetuum silentium canonicis et capitulo praedictis desuper imponentes, ex sententia ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium decretorum concilii Trid. interpretum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, et coram quibus dilectus filius Vincentius Ferrer Estevae magister in theologia ac procurator dictorum canonicorum et capituli ad instantiam dilecti filii Ioannis Vencal ordinis praedicatorum professoris et procuratoris dictorum fratrum vocatus et auditus fuit, harum serie censemus decernimus et declaramus decreto sive statuto synodi dioecesanae Orioleu. vel alterius inferioris nullatenus potuisse neque posse fratres dictorum quatuor ordinum mendicantium dicti oppidi, utpote exemptis, impediri, quominus vocati ex speciali dispensatione testatorum, vel funerum curatorum voluntate et beneplacito, associent corpora defunctorum in suis vel aliis ecclesiis sepelienda, etiam si canonici dictae collegiatae ecclesiae sepulturis, ubi ut supra, non vocati minime interfuerint; vel quominus infirmorum seu in articulo mortis constitutorum confessiones audiant, si alias dicti fratres ad confessiones audiendas ab ordinario Oriolen. approbati fuerint, morientibusque assistant eosque consolentur et adiuvent. Ac praesentes literas nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vel intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel in controversiam revocari posse. Sicque per quoscumque indices et commissarios etc. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori ac rectori collegii s. Mariae de Succursu et s. Ioseph Oriolen. dicti ordinis praedicatorum, atque priori ecclesiae del Temple Valentin. militiae Montesiae per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum fratrum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa observari, nec permittant fratres praedictos eorumque conventus, seu eorum aliquem et tam coniunctim quam divisim desuper ab ipsis canonicis et capitulo, seu quibusvis aliis molestari; contradictores quoslibet ac rebelles etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die IX. Augusti pontificatus nostri anno X.

CCXXXII.

Confirmat statuta edita ab executoribus testamentariis Catharinae reginae Portugalliae. Cocquelines tom. 5. part. 2. pag. 345.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet romanum pontificem pias institutiones a christianis pietate illustribus reginis factas, et statuta seu ordinationes pro earum exequutione edita libenter confirmare, cum praesertim catholicorum regum vota id exposcunt ac alias in Domino salubriter conspicitur expedire.

§. 1. Nuper siquidem charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici nomine nobis expositum fuit, clar. mem. Catharinam Portugalliae et Algarbiorum reginam in eius testamento, inter alia reditum annuum mille et quingentorum scutorum legasse in favorem viginti puellarum quae moniales fieri vellent, ut in diversis monasteriis sustentarentur, et huius piae institutiones protectorem et patronum Portugalliae et Algarbiorum regem pro tempore existentem deputasse, ac nonnullis exequutoribus ab ea in testamento nominatis ordinasse, ut statuta et ordinationes pro felici exequutione dictae piae institutionis conderent, quae postea ab apostolica sede confirmarentur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, capitula et ordinationes huiusmodi ita condita fuerint, tam circa qualitates monialium quam circa modum illas nominandi, eumque idem Philippus rex cupiat eadem statuta et ordinationes, quae nobis examinanda et corrigenda proponi fecit, apostolicae firmitatis robore perpetuo communiri, nobis propterea humiliter supplicare fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eiusdem Philippi regis piis votis annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eadem statuta et ordinationes quae a dilectis filiis nostris Camillo sanctorum Ioannis et Pauli Burghesio, et Pompeio s. Balbinae titulorum presbyteris Arigonio nuncupatis s. r. e. cardinalibus examinari et nobis referri, quae inferius ad verbum inseri voluimus, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, eademque statuta et ordinationes perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

§. 4. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Volumus autem ut viginti cruciati annui qui iuxta quintum caput dictorum statutorum unicuique ex dictis monialibus pro earum indumento dari debent, de manibus suae superioris a quolibet ex eisdem monialibus capiantur: praecipientes in virtute s. obedientiae dilectis in Christo filiabus abbatissis, priorissis et aliis praelatis ac monialibus et conventibus monasteriorum in quibus dictae viginti moniales sunt receptae, ac sub excommunicationis latae sententiae ac privationis officiorum, vocisque activae et passivae ipso facto incurrendis poenis, quatenus omnia et

singula in dictis capitulis et ordinationibus contenta observent: praecipue vero eum aliqua loca earumdem monialium vacaverint intra tempus in dictis capitulis praefixum, praedicto regi significare teneantur.

§. 5. Quocirca dilectis filiis decano Ulyssiponen., ac decano cappellae regiae etiam Ulyssiponen. per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum praesentes literas et in eis contenta quaecumque ubi, quando et quoties opus fuerit, solemniter publicantes, faciant auctoritate nostra capitula et ordinationes praedictas ab iis ad quos spectat et in futurum spectabit, perpetuo observari. Contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Tenor autem capitulorum et ordinationum huiusmodi est qui sequitur, videlicet

CAPUT I.

De annuis reditibus seu de censibus perpetuis, quos quodlibet ex monasteriis in quibus moniales recipiendae erunt, habere debebit.

Primo monasteria in quibus viginti moniales huius institutionis receptae forent, habebunt suos annuos reditus sive census perpetuos unicuique applicatos secundum numerum monialium in eo recipiendarum ad rationem triginta millium *reis* annuorum (triginta millium *reis* constituunt septuaginta quinque scuta monetae) pro qualibet ex praedictis monialibus, cum conditionibus in hoc compromisso et contractu cum praedictis monasteriis ineundo, declarandis, et conservatio seu administratio dictorum annuorum perpetuorum censuum spectabit ad praedicta monasteria, et ad praelatas et officiales illorum, quae sunt et pro tempore fuerint, et ad quas spectat administratio et cura bonorum praedictorum monasteriorum, et pro praemissorum effectuatione unumquodque ex praedictis monasteriis penes se habebit in arca communi titulum census sibi pro rata accommodati dictorum annuorum censuum cum praesenti compromisso, qui census annuus est perpetuus sine pacto de retrovendendo, et fundatus super gabella carnium civitatis Ulyssiponen.

CAPUT II.

Quod reges istorum regnorum sint patroni istius institutionis ad quos spectet provisio monialium.

Secundum ordinationem relictam a sua celsitudine, reges qui pro tempore fuerint istorum regnorum, erunt protectores et patroni huius institutionis, et ad eos in solidum pertineat provisio locorum dictarum religiosarum, ut possint hoc medio consulere aliquibus filiabus personarum de eis benemeritarum, servando ordinem in huiusmodi statutis declaratum, et cum eorum provisione admittentur illae quae admittendae erunt in praedictum numerum, ut superiores et praelati praedictorum monasteriorum videant atque examinent, si ita

praesentatae habeant partes et qualitates iuxta huiusmodi institutionem, et eorum respective institutiones et ordinationes necessarias.

CAPUT III.

De qualitatibus et conditionibus quas habere debent admittendae ad dicta monasteria.

Nulla admitti possit ad numerum dictarum viginti monialium nisi nata fuerit ex legitimo matrimonio, super quo nunquam dispensatio petatur neque obtenta suffragetur, et erunt christianae veteres, omni penitus iudaica ac maurica stirpe exemptae et alienae; hoc enim necessarium est pro maiori istorum monasteriorum institutionis auctoritate, aetatis duodecim annorum adimpletorum, et non excedent aetatem quadraginta annorum, et erunt bonae vitae et famae, et bona corporali valetudine fruentes, necnon scientia, iudicio atque discretione requisitis ad profitendam vitam religiosam, cum caeteris aliis qualitatibus, quae in ordine in quo admittendae erunt, requiruntur. Et quia huiusmodi institutionis intentio ad aliud non tendit, quam opitulandis pauperibus puellis indotatis ac omni alio auxilio destitutis, animadvertendum erit, si in caeteris erunt aequales, quod pauperiores praeferantur, et inter aequaliter pauperes praeferantur magis nobiles et melioris stirpis.

CAPUT IV.

Quod non admittantur ad computum sexcentorum millium *reis* plusquam viginti moniales ad rationem triginta millium *reis* pro qualibet.

Item cum magnae sit importantiae et plurimum intersit religiosis, quod provideantur de omnibus sibi necessariis, ne indagatio remedii suarum indigentiarum eis occasionem praebeat distractionis, nullo modo, licet pium esse videatur, augendus erit numerus viginti ad computum dictorum sexcentorum millium *reis*, quia, ut dictum est, unicuique moniali saltem, et ad minus triginta mille *reis* erunt applicandi anno quolibet.

CAPUT V.

Quod unicuique ex viginti monialibus dentur viginti cruciati anno quolibet pro earum indumento.

Item, sicut eis dantur triginta mille *reis* pro qualibet, loco portionis victus, singulis earum assignotae, dabuntur viginti cruciati annui, (constituunt viginti scuta monetae) unicuique ex dictis monialibus pro earum indumento et calceamento; nam circa alia necessaria pro earum sustentatione et aliis indigentiis occurrentibus tam in valetudine quam in infirmitate fiet provisio ex ordine communitatis.

CAPUT VI.

De haereditatibus futuris et quid moniales admittendae in earum admissione afferre debebunt.

Cum istius institutionis intentio sit favere illis quae ita pauperes sunt, ut non habeant unde possint dare dotes monasteriis, si religiosae esse vellent, neque commode alium vivendi modum habere, si aliqua habebit bona non quidem sufficientia ad aliquid ex supradictis, ad monasterium spectabunt in quo recipietur; et si postquam professionem emiserit, aliqua bona ex testamento sive donatione, aut alias ad eam pervenient, monasterio eidem pariter acquirentur; quia licet peti ab eis non possit maior dos quam datur iure istius institutionis, neque sint obligatae afferre, nihilominus monasterium non amittet ius, quod in haereditatibus legitimis seu aliis bonis quovis modo religiosae praedictae habere poterunt; et, ut observetur mos et consuetudo monasteriorum et solemnitates fieri solitae in ingressibus religiosarum, et pro illarum consolatione, illae quae recipiendae erunt, adducent duo cubilia solita in dormitorio et infirmaria, et decem mille reis pro ientaculo (constituunt viginti quinque scuta monetae), et quinque pro cera, ultra suum indumentum, quia videtur nulla fore adeo miserabilis et destituta, ut praedicta afferre non valeat.

CAPUT VII.

Quod nemini detur caedula seu fiat permissio, priusquam vacet locus in quo admitti debeat.

Ad evitanda igitur nonnulla inconvenientia quae procul dubio succedere possent, si contrarium fiet, nulla persona providebitur neque nominabitur in aliquo ex dictis locis, antequam vacet locus in quo admitti debeat, eique nulla dabitur caedula, neque fiet promissio aut expectativa aut memoria, unde certitudo aliqua haberi possit de futura admissione ante vacantiam, et tales caedulae, promissiones, expectativae et assignationes erunt nullae, et persona cui dabuntur, remanebit inhabilis et incapax in futurum ad quaecumque loca quae vacare contingent.

CAPUT VIII.

De modo qui observandus erit circa provisionem locorum vacantium.

Quando aliqua ex praedictis monialibus ex hac vita discedet, abbatissa seu priorissa monasterii ubi obierit, erit obligata intra trium dierum spatium primo sequentium, illud notificare cappellano maiori regis istorum regnorum, qui pro tempore fuerit: et in absentia cappellani maioris, decano suae cappellae, qui illico suae celsitudini nuntiabit unum locum vacare per obitum unius monialis, de quo est facienda provisio in tali monasterio; et statim intra decem dies dictus locus providebitur, praesentando ad illum personam quae sibi servitio magis idonea et apta videbitur, iuxta ista statuta, et obtinebitur desuper provisio; qua provisione data et obtenta, post alios decem dies a data dictae provisionis computanda, persona praesentata erit obligata certiorare abbatissam

seu priorissam praedicti monasterii de sua praesentatione, ut se informent et sciant, an in ea concurrant partes et qualitates requisitae iuxta istum compromissum et constitutiones suae religionis, et reperto eam illas habere, illico et incontanenter admittetur in praedicto loco; et postquam admissa fuerit, erit obligata ingredi monasterium in spatio triginta dierum primo sequentium, et illa quae intra decem dies non certioravit monasterium post praesentationem suam, ut dictum est, vel si postquam fuerit admissa intra dictos triginta dies non fuerit ingressa monasterium, praesentatio facta per regem et admissio per conventum, ei minime suffragentur, et talis persona do illo loco non poterit provideri, et habebitur pro vacante, et poterit provideri alteri, quao ad unguem observanda erunt, ne praebeatur occasio dilationis et discursus temporis, et ne numerus dictarum viginti monialium contra institutionis istius et institutricis intentionem atque voluntatem plenus non sit.

CAPUT IX.

Quod non adsit divisio inter viginti moniales et alias monasteriorum, quinimo in omnibus aequales omnino sint et conformes.

Ad conservandum igitur pacis vinculum necnon ad quamcumque discordiae occasionem tollendam, praedictae viginti moniales seu quaevis illarum pars, in monasterio in quo eas degere contigerit, in nihilo ab aliis discrepabunt vel differentes erunt, neque in choro, neque in refectorio, neque in dormitorio, imo in omnibus istis locis et in aliis communitatibus, et in officiis et ministeriis religionis observabitur inter illas et alias ordo, qui servari solet generaliter in monasterio, ita quod nullus locus sit pro illis separatus, et praelati et praelatae et confessarii habebunt particularem curam, ut inter moniales evitentur omnes occasiones divisionum et discordiarum, imo quod unio et conformitas religionis conservetur.

CAPUT X.

Quod particulariter commendare debent Deo domino nostro reginam dominam nostram, et quod teneantur diebus singulis recitare tertiam partem rosarii beatae Mariae.

Praedictae religiosae particularem curam habebunt commendandi Deo animam reginae dominae Catharinae dominae nostrae, quae ordinavit istam institutionem, et regis don. Ioannis tertii mariti sui, et regis don. Sebastiani sui nepotis qui in coelis maneant, et principum filiorum suorum et regum et reginarum istorum regnorum, et salutem prosperitatemque regis domini nostri ac regum et reginarum qui postea venerint, necnon bonam conservationem et augmentum istorum regnorum; et propter particularem devotionem quam celsitudo sua habebat erga rosarium beatae Mariae, quolibet die recitabit quaevis ex istis monialibus tertiam partem praedicti rosarii, videlicet quinquaginta *Ave Maria* et quinque *Pater noster* pro praedicta intentione.

CAPUT XI.

Quod scribatur in aliquo lapide in claustro posito substantia istius institutionis.

Et ut de huiusmodi institutione imposterum memoria habeatur. et oblivioni minime tradatur, apponetur lapis in pariete claustri uniuscuiuslibet monasterii, in quo aliquae ex praedictis monialibus receptae erunt, in quo scribetur illius substantia cum brevibus verbis, et numerus monialium quae in singulis monasteriis recipientur.

CAPUT XII.

Quod obtineatur confirmatio apostolica istius institutionis.

Et ut institutio ista firma sit et valida, et nullo unquam tempore immutari valeat, petenda erit a s. sede apostolica confirmatio eum omnibus et singulis clausulis et censuris necessariis ad obligandas monasteriorum praelatas pro observatione contentorum in isto compromisso, tam quoad tangentia provisionem necessariam praedictarum religiosarum, quam alias obligationes quae in eo declarantur, et in contractu inito cum praedictis monasteriis.

Monasteria autem in quibus praefatae viginti moniales sunt assignatae et acceptatae, sunt sequentia.

In monasterio de Odivillas cistercien. ordinis sito extra muros civitatis Ulysiponen. sunt assignatae tres moniales.

In monasterio do Sperança ordinis s. Clarae civitatis Ulyssiponen. tres moniales.

In monasterio s. Annae civitatis Ulyssiponen. duae moniales.

In monasterio das Chagas ordinis s. Francisci oppidi de Villa Viçosa Elboren. dioecesis una monialis.

In monasterio s. Monicae civitatis Elborae ordinis s. Augustini una monialis.

In monasterio Dominae nostrae de Graca ordinis s. Dominici oppidi de Abrantes Egitanien. dioecesis decem moniales.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXIII. Ianuarii pontificatus nostri anno IX.

CXXXIII.

Aliqua statuit contra eos qui ad presbyteratus ordinem non promoti missas celebrant et sacramentum poenitentiae ministrant. Cherub. in bullar. tom. 3. pag. 128.

Ad perpetuam rei memoriam.

Etsi alias fel. rec. Paulus papa IV. praedecessor noster, ad nefariam et sacrilegam quorumdam hominum temeritatem coercendam, qui cum ad sacrum presbyteratus ordinem minime promoti sint, sacerdotis tamen auctoritatem sibi temere assumentes, missarum celebrationem usurpare et sacramentum poe-

Digitized by Google

nitentiae ministrare praesumunt, decreverit huiusmodi delinquentes a s. inquisitionis iudicibus tradi debere curiae saeculari debita animadversione puniendos.

§. 1. Et postea rec. mem. Sixtus papa v. etiam praedecessor noster praedictum Pauli iv. decretum innovari ac serio observari mandaverit, aa tamen dictorum hominum prorupit audacia, ut praetextu ignorationis huiusmodi decretorum ac poenarum contra ipsos, ut praefertur, inflictarum, illis se minime subiacere et obnoxios esse putent, ac propterea ab eisdem liberari et absolvi posse praetendant.

§. 2. Nos igitur animadvertentes, huiusmodi perditos ac nefarios homines ad sacrum presbyteratus ordinem non promotos, missarum celebrationem usurpare praesumentes, non solum actus idololatriae saltem extrinsece seu per externa et visibilia religionis et pietatis signa exercere, sed etiam quantum in ipsis est efficere, ut christifideles qui credunt eos ordinatos esse et rite conficere sacramentum eucharistiae, idololatriae crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem et vinum tamquam verum Christi domini nostri corpus et sanguinem eisdem adorandum proponentes. Confessiones autem audientes, non solum sacramenti poenitentiae dignitatem contemnere, verum etiam christifideles decipere; dum scilicet inique sibi assumunt gradum sacerdotalem et auctoritatem absolvendi a peccatis magno cum periculo et scandalo plurimorum.

§. 3. Propterea, ut gravissima haec scelera committentes, posthac debito supplicio puniantur, motu proprio et ex certa nostra scientia ac matura deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine, s. inquisitionis iudicium conscientiae consulere et ne in futurum de poena hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, providere volentes, supradictorum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, hac perpetuo valitura constitutione decernimus ac statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum presbyteratus ordinem repertus fuerit missarum celebrationem usurpasse vel sacramentalem confessionem audivisse, a iudicibus s. inquisitionis vel locorum ordinariis tamquam ecclesiae misericordia indignus, a foro ecclesiastico abiiciatur, et ab ordinibus ecclesiasticis, si quos habuerit, rite degradatus, statim curiae saeculari tradatur, per iudices saeculares debitis poenis plectendus.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die i. Decembris pontificatus nostri anno x.

CXXXIV.

Committit episcopo Eugubino, ut dissolvat commendam ss. Mauritii et Lazari fundatam in ecclesia s. Francisci terrae Fractae. Ex reg. secr. brev. in mense Ianuario pag. 111.

Venerabili fratri episcopo Eugubino seu dilecto filio eius in spiritualibus vicario generali salutem et apostolicam benedictionem.

Alias, sicut accepimus, quondam Ioannes Paulus de Solis Perusin. miles militiae ss. Mauritii et Lazari devotionis zelo ductus, cupiens in ecclesia domus s. Francisci terrae Fractae Eugubin. dioecesis ordinis fratrum minorum eiusdem s. Francisci unam cappellam sub invocatione ss. Mauritii et Lazari

exstruere, ac ibidem unam commendam militiae ss. Mauritii et Lazari cum reservatione iuris patronatus in eius familia de Solis a tunc existentibus guardiano et conventu dictae domus locum pro dicta cappella construenda obtinuit sub diversis obligationibus tam occasione constructionis et manutentionis, quam ornamentorum eiusdem cappellae, prout latius in instrumento sub die septima mensis Februarii an. MDLXXV. celebrato, ad quod plenior habeatur relatio, atque ibidem cum interventu et approbatione dumtaxat tunc existentis episcopi Eugubin. in dicta terra Fractae vicarii foranei in vim quarumdam literarum eiusdem tunc existentis episcopi, qui dictum vicarium ad hunc actum specialiter delegavit, unam commendam dictae militiae fundavit, ac illi pro eius dote quoddam praedium arativum, arboratum et pergolatum cum domibus et columbario in eo existentibus mensurae viginti trium eminarum ad perticam et mensuram communis Perusiae sub pluribus petiis terrarum situm in pertinentiis dicti castri Fractae in vocabulo Boterii, et iuxta sua notissima latera et confinia, valoris trium millium circiter scutorum assignavit, reservato suae familiae iure praesentandi ac nominandi ad dictam commendam, et cum expressa conditione, quod ipsemet Ioannes Paulus fundator eius vita durante esset et esse deberet dictae commendae commendatarius et usufructuarius, et post illius obitum unus ex eius filiis legitimis et naturalibus, si habuisset; et si non habuisset, unus ex familia de Solis ab aliis praesentandus et nominandus, qui omnes essent habiles et idonei, et habitum religionis praedictae susciperent et essent in infinitum, donec praedicta familia de Solis perduraret; et si nullus de familia de Solis superfuisset masculus, sit et esse deberet aliquis maritus alicuius mulieris de familia praedicta; et casu quo familia praedicta extincta foret, tunc et eo casu magnus magister dictae militiae pro tempore existens posset eamdem commendam, cui sibi placuisset, militi dictae militiae libere conferre et de illa etiam providere; ac alias prout in instrumento desuper celebrato latius dicitur contineri. Cum autem praemissa nullo praecedente sedis apostolicae consensu, nec eius confirmatione vel approbatione subsequente facta fuerint, nos ex rationabilibus causis animum nostrum moventibus, fraternitati tuae frater episcope seu discretioni tuae fili vicarie per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et si ita esse compereris, fundationem et dotationem dictae commendae ac instrumentum desuper celebratum, et inde secuta quaecumque, auctoritate nostra apostolica perpetuo dissolvas et annulles, ac omnia in pristinum et eum in quo ante praemissa quomodolibet erant statum, restituas, reponas et plenarie reintegres ita, ut perpetuis futuris temporibus fratribus et conventui praedictis, necnon eidem ss. Mauritii et Lazari religioni, seu eius magno magistro, vel cuiusvis administratori, seu cuicumque alteri ad praedicta bona occasione praedicti instrumenti, ac si nunquam celebratum foret ius aliquod nullatenus remaneat vel supersit. Cappellam tamen cum paramentis et ornamentis in ea per praedictum Ioannem Paulum factis eidem guardiano et conventui liberam remanere declares. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die IX. Ianuarii pontificatus nostri anno IX.

CXXXV.

Pro Maria regina degente in monasterio oppidi Matriten. Ex reg. secr. brev. in mense Novembri pag. 293.

Charissimae in Christo filiae nostrae Mariae Romanorum reginae illustri in imperatricem electae salutem et apostolicam benedictionem.

Maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, te in ingravescente aetate iam constitutam in monasterio monialium ordinis s. Francisci discalceatarum oppidi Matriti Toletan. dioecesis pro tua spirituali consolatione pro maiori diei parte moram trahere; et quia pro tuis servitiis diversarum utriusque sexus personarum saecularium opera indiges, cupere, ut personae praedictae intra ipsius monasterii claustra licite ingredi valeant, et propterea eiusdem maiestatis tuae nomine humiliter supplicatum fuit, ut super hoc tibi indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur maiestatem tuam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium praepositorum, eiusdem maiestatis tuae conscientiae remittimus, ut illae utriusque sexus personae tantum, quas tu inseris, et sub ea lege quam maiestas tua pro monialium honestate et securitate apponendam duxerit, intra ipsius monasterii claustra sine alicuius clausurae ecclesiasticae incursu ingredi libere et licite valeant, quibus opportunam ad hoc licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impartimur. Non obstantibus etc. Volumus autem, ut viri intra claustra dicti monasterii, ut praefertur, ingressuri, semotis semper monialibus, ingrediantur atque ibidem pernoctare minime possint.

Datum Romae apud s. Petrum die XVII Novembris pontificatus nostri anno X.

CXXXVI.

Quaedam largitur Petro de Bosnia pro christifidelibus Serviae. Ex reg. secr. brev. in mense Aprili pag. 244.

Dilecto filio fratri Petro de Bosnia Argentina ordinis minorum de observantia professori salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut nobis exponi fecisti, in provincia seu regno Serviae et finitimis regionibus turcarum tyrannidi subiectis reperiantur plurimae plebes et christifideles latino ritu viventes, qui inter alias ingentes calamitates quibus assidue in tyrannica infidelium servitute premuntur, carent sacerdotibus, clericis et religiosis personis, a quibus doctrinam christianam edoceantur, ecclesiastica sacramenta percipiant, et Dei verbum, sacras missas et alia divina officia audiant. Ac propterea tu christianae fidei iuvandae et conservandae et pietatis studio permotus, atque animarum christifidelium illic commorantium salutis zelo accensus, ad eas partes cum aliquibus presbyteris et clericis saecularibus et regularibus de tuorum illorumque superiorum licentia, et cum

nostra benedictione te conferre desideres, ut una cum illis valeas eisdem fidelibus divinum verbum praedicare, sacramenta ministrare, divina officia et alia ecclesiastica munia praestare, socios autem huiusmodi sine nostra licentia aut mandato facile habere non possis, idcirco nos salutare hoc tuum propositum et devotionem in Domino commendantes, in primis tibi et sociis qui tecum venient paternam nostram benedictionem impertimur: deinde piis tuis in hac parte votis libenter annuentes, ut commodius praemissa ad omnipotentis Dei gloriam et honorem implere et exequi possis, quo maiori fueris facultate suffultus, tibi ut aliquot presbyteros viros idoneos et probatos tam saeculares quam tui fratrum minorum de observantia, et cuiusvis alterius ordinis regulares, de suorum tamen licentia superiorum in socios ad huiusmodi munus exequendum assumere et tecum adducere.

Ac ut tu et socii tui presbyteri praedicti missas et alia divina officia in partibus illis, tam in ecclesiis et cappellis quam etiam in oratoriis et aedibus privatis, ubi vobis propter periculum aut aliam necessariam vel rationabilem causam visum fuerit expedire, in loco tamen honesto et decenti celebrare.

Necnon ut tam tu quam socii tui presbyteri in locis praedictis, si parochus non adfuerit, quoscumque fidelium natos infantes et filios aut alios quoscumque ad veritatem fidei venire cupientes, recipere et baptizare.

Tu quoque et socii tui presbyteri in baptismo ministrando, sacro chrismate et oleo catechumenorum veteribus seu eo anno non benedictis, si nova commode habere non poteritis, respective uti.

Insuper et vos utriusque sexus christifidelium etiam presbyterorum peccatorum confessiones audire, eosque ab omnibus peccatis, criminibus, excessibus, casibus, sententiis et censuris tam episcopis et locorum ordinariis, quam sedi apostolicae etiam in bulla in die coenae Domini legi consueta, aut aliis nobis et eidem sedi quomodolibet reservatis, praeterquam homicidii vel mutilationis membrorum personae episcopi vel praelati, iniuncta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari et aliis quae de iure fuerint iniungenda, absolvere.

Ac quoscumque a fide catholica aberrantes, apostatas, haereticos et schismaticos ad gremium s. r. ecclesiae humiliter redire volentes, postquam errores suos publice vel secreto, prout vobis magis expedire visum fuerit, abiuraverint, ab apostasia, haeresi, schismate et erroribus suis et censuris, in quas praemissorum occasione incurrerint, in foro dumtaxat conscientiae absolvere et liberare ac eidem gremio et unitati fidelium reconciliare et aggregare, iniuncta eis pro modo excessuum poenitentia salutari.

Atque ut praedictis christifidelibus sacrosanctae eucharistiae et alia sacramenta ministrare, quae sacerdotes parochi conferre possunt, et nuptiis per eos legitime contrahendis, in locis in quibus copia proprii parochi commode haberi non possit, tamquam proprii parochi interesse, ac illis sacerdotalem benedictionem impendere libere et licite possitis et valeatis.

Praeterea saluti fidelium illarum partium consulere volentes, ut omnibus et singulis christifidelibus in praedictis partibus commorantibus vere poenitentibus, qui vobis aut aliis sacerdotibus saecularibus vel regularibus, ab eorum ordinariis seu superioribus approbatis seu alias quomodolibet deputatis peccata sua confessi fuerint, et sacram, si poterunt, eucharistiam susceperint, et iuxta ordinationem per vos desuper faciendam, aliquod ieiunium aut pietatis opus praestiterint, ac pro fidei catholicae exaltatione, et populi christiani salute pias ad Deum preces effuderint, semel plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, auctoritate nostra concedere et impartiri similiter

libere et licite possitis et valeatis, auct. apost. ten. praesentium concedimus, committimus et indulgemus, ac plenam et liberam desuper facultatem et potestatem damus et impartimur. Non obstantibus etc.

Decernimus autem, volumus et declaramus huiusmodi facultates in praesentibus nostris literis contentas, tibi tuisque sociis coniunctim concessas, in solidum tibi et eis ac cuilibet vestrum esse concessas, atque ad triennium tantum duraturas, ac vobis in praedictis dumtaxat partibus turcarum tyrannidi seu temporali dominio subiectis et non alibi commorantibus, necnon etiam ad alios Illyricos etiam ethnicos et haereticos pro eorum conversione, et ibi ad hunc effectum commorantibus suffragari, nisi a nobis aliud expresse mandari contigerit in futurum.

Datum Romae apud s. Petrum die xvi. Aprilis pontificatus nostri anno x.

CXXXVII.

Antonius Marzer quarumdam provinciarum visitator apostolicus. Ex eodem reg. in mense Octobri pag 77.

Dilecto filio Antonio Marzer fratri ordinis min. s. Francisci de observantia commissario nostro salutem et apost. benedictionem.

Cum sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus nuper, quod fr. Antonius Gandinus visitator ordinis fratrum reformatorum s. Francisci de observantia in actu visitationis interfectus fuerit, nos ne tam grave delictum impunitum remaneat, opportune providere volentes, ac de tua fide et integritate plurimum in Domino confisi, te in provinciis Mediolani, s. Didaci et Brixiensis et in quibuscumque aliis, ubi opus fuerit, tam ordinis fr. minorum de observantia quam reformatorum nuncupat. eiusdem ordinis nostrum et apostolicae sedis commissarium ad infrascripta peragenda, auctoritate apostolica tenore praesentium facimus et deputamus. Dantes tibi plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem super huiusmodi delicto contra quoscumque de illo suspectos, vel inditiatos inquirendi, ac processus fabricandi, ac ipsos suspectos vel inditiatos carceri mancipandi, testes quoscumque examinandi illosque ad veritatis testimonium perhibendum, etiam per censuras et poenas ecclesiasticas cogendi et compellendi, ipsosque quoque huiusmodi criminis viros examinandi ac datis vel denegatis, prout negotii qualitas exegerit, defensionibus rigoroso examini subiiciendi, ac alias in huiusmodi causa, prout canonicae sanctiones et regularia eiusdem ordinis instituta requirunt, procedendi, quos et quibus opus fuerit, etiam per edictum publicum constituto de non tuto ad illos accessu, ac sub censuris et poenis ecclesiasticis citandi et inhibendi, auxiliumque brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi, ac omnia denique et singula faciendi, gerendi et exequendi, quae usque ad sententiam exclusive necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna. Mandantes in virtute s. obedientiae et sub indignationis nostrae, necnon ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis per te contra inobedientes infligendis ministris provincialibus, ac aliis superioribus et fratribus praenominatarum et aliarum quarumcumque provinciarum eiusdem ordinis, ad quas te pro huiusmodi causa declinare contigerit, ut tibi in omnibus faveant et assistant, ac opportunum auxilium, opem et favorem, prout opus fuerit et a te fuerint requisiti, prompte, et efficaciter prae-

stent et obediant. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis earum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi die VIII. Octobris pontificatus nostri anno X.

CXXXVIII.

In Insulam Candiae deputat visitatorem apostolicum Petrum a s. Sosso. Ibid. in mense Augusto pag. 35.

Dilecto filio Petro a s. Sosso fratri ordinis min. s. Francisci de observantia magistro in theologia visitatori et commissario apostolico salutem et apostolicam benedictionem.

Pastoralis nostra solicitudo nos admonet, ut de personarum ecclesiasticarum praesertim regularium statu reformando et prospere dirigendo assidue cogitemus, ac propterea cupientes, ut in monasteriis et domibus ordinis fratrum minorum s. Francisci Insulae Candiae regularis disciplina et divini cultus observantia illaesa conservetur et nullo modo labefactetur, et si humani generis adversario instigante aliquo pacto labefactata fuerit, quamprimum restituatur, de tua pietate, prudentia, integritate ac religionis zelo plurimum in Domino confisi, te qui ordinem praedictum expresse professus existis, in Insula praedicta et illius provinciis universis ordinis praedicti, ac singulorum illius monasteriorum, domorum et conventuum visitatorem, reformatorem et commissarium apostolicum, auctoritate apost. ten. praes. facimus, constituimus et deputamus. Dantes tibi plenam, amplam et universam facultatem et auctoritatem omnes et singulas ecclesias, monasteria, conventus et loca regularia praedicti ordinis in praedictis provinciis et Insulis consisten. eorumque sacraria sive sacristias visitandi, acta eorumque praelatos, superiores et fratres ac religiosos quoscumque tam in capite quam in membris iuxta tamen regularia dicti ordinis instituta reformandi et corrigendi, disciplinae regularis observantiam si alicubi excidisse compereris, modis congruis restituendi, ipsosque ad debitum et honestum vitae modum reducendi, quaecumque ad morum reformationem et divini cultus augmentum pertinere cognoveris, constituendi et ordinandi, eaque necnon concilii Trid. decreta custodiri et observari mandandi, abusus quoscumque tollendi et abrogandi, contra quoscumque tam superiores quam subditos et etiam confessarios in aliqua delinquentes repertos, aut alias inobedientes et contumaces procedendi, aliaque omnia et singula quae tibi dilectos filios visitationis nostrae apostolicae praefectos in instructione particulari tibi tradenda praescribentur; quaeque ad visitationem et reformationem huiusmodi necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna faciendi, mandandi et exequendi. Mandantes propterea in virtute s. obedientiae universis et singulis praelatis et fratribus ac conventibus Insulae et provinciarum huiusmodi, ut tibi in praemissis omnibus et singulis prompte pareant et obediant, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque, ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Marcum die IV. Augusti pontificatus nostri anno X.

Digitized by Google

CXXXIX.

Provinciam Dalmatiae tertii ordinis claustralium subiicit regimini vicariorum generalium eiusdem instituti. Cherubinus in bullar. tom. 3. pag. 139.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pro nostri pastoralis muneris debito, ad ea libenter intendimus, per quae religiosorum prospero regimini et gubernio opportune consulitur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus, dilecti filii provinciales et fratres tertii ordinis s. Francisci provinciae Dalmatiae et Iustinopolitan. nulli alteri superiori obediant, sed dicti fratres eorum provinciali per vota secreta pro tempore electo tantummodo subsint, nec alium superiorem agnoscant.

§. 2. Nos prospero regimini et gubernio dictorum fratrum valde expedire considerantes, ut ipsi eorumque provincialis, vicario et visitatoribus generalibus ordinis praedicti provinciae Italiae subiiciantur, ac eorum superioritati, visitationi et correctioni, prout alii fratres Italiae praedicti ordinis de caetero subiaceant, ac praedictis fratribus Italiae sub eisdem generalibus superioribus uniantur, ac propterea in praemissis opportune providere volentes, supplicationibus etiam pro parte dilecti filii Bernardi Sabbiae fratris et procuratoris generalis eiusdem ordinis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

§. 3. Provincialem et fratres tertii ordinis s. Francisci provinciae Dalmatiae et Iustinopolitan. praedictos vicario et visitatori generali tertii ordinis s. Francisci huiusmodi Italiae, auctoritate apostolica ten. praesentium perpetuo subiicimus, illosque sub huiusmodi vicarii et visitatoris generalis obedientia fratribus eiusdem ordinis Italiae unimus.

§. 4. Ac eisdem provinciali et fratribus Dalmatiae et Iustinipolitan. ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indultis, favoribus, concessionibus, praerogativis et indulgentiis, necnon voce activa et passiva in capitulis generalibus et in electione vicarii, et visitatoris generalis huiusmodi ad instar provincialium et fratrum Italiae eiusdem ordinis, sine aliqua prorsus differentia respective uti, potiri et gaudere possint, et valeant ac debeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

§. 5. Mandantes propterea in virtute s. obedientiae vicario et visitatori generali praedicto, ut provincialem et fratres praedictos provinciae Dalmatiae et Iustinipolitan. sub eius curam et gubernium benigne recipiat, et ea qua decet charitate prosequatur.

§. 6. Illis vero provinciali et fratribus, ut praedicto vicario et visitatori generali obedientiam et reverentiam debitas et devotas prompte praestent et exhibeant, illumque debita honorificentia prosequantur; alioquin sententiam sive poenam, quam ipse vicarius et visitator generalis rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§. 7. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die II. Septembris pontificatus nostri anno XI.

Digitized by Google

CXL.

Ut iidem fratres recipere valeant domum in civitate Messanae. Ex archivo secr. brev. in mense Novembri pag. 156.

Dilectis filiis visitatori generali et provinciali provinciae Siciliae fratrum tertii ordinis s. Francisci seu de poenitentia nuncupatis salutem et apostolicam benedictionem.

Pio dilectorum filiorum iuratorum et civium civitatis Messanen. desiderio ac singulari quem erga ordinem vestrum gerunt devotionis affectum, quantum cum Domino possumus, gratiose annuere cupientes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis seu alteri vestrum, ut in dicta civitate quamcumque ecclesiam vobis concedendam recipere, ac apud illam aut alio in loco vobis pariter concedendo, unam vestri ordinis domum erigere et fundare, ac in illam fratres eiusdem ordinis usque ad numerum saltem duodecim, qui in eadem vobis concedenda aut de novo fundanda ecclesia, divina officia iuxta regularia eiusdem ordinis instituta celebrent et ecclesiastica sacramenta ministrent, introducere, sine cuiusvis praeiudicio, libere et licite valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et indulgemus, ac eidem domui si et postquam erecta fuerit, illiusque priori conventus et fratribus ac aliis personis, rebus et bonis quibuscumque illi concedendis et largiendis, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, praerogativis, gratiis, indultis et indulgentiis, quibus aliae vestri ordinis domus, illarumque priores conventus et fratres ac personae, res et bona de iure, usu et consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere solent et possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua differentia uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, auctoritate et tenore praesentis concedimus pariter et indulgemus; vosque ac priorem et fratres domus erigendi huiusmodi per loci ordinarium aut quoscumque alios, quavis auctoritate fungentes super praemissis molestari, perturbari vel inquietari minime posse, ac irritum et inane decernimus etc. Quocirca dilectis filiis archimandritae Messanen. ac inquisitori contra haereticam pravitatem in civitate Messanen. residenti, necnon causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte vestra, aut futurorum prioris et fratrum dictae domus fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque et illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra vos et illos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes vos aut illos desuper a quoquam quavis auctoritate indebite molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoscumque etc.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die vi. Novembris pontificatus nostri anno xi.

CXLI.

Philippus Gesualdi minister generalis conventualium fit episcopus Geruntinen. et Cariaten. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 329.

Romae apud s. Petrum die lunae 15. *Aprilis fuit consistorium secretum, in quo*

SAnctissimus d. n., sanctitate sua proponente, providit ecclesiae Cariaten. vacan. per obitum bon. mem. Propertii illius ultimi episcopi, de persona r. fratris Philippi Gesualdi ordinis fratrum conventualium s. Francisci ac dicti ordinis ministri generalis, ipsum dictae ecclesiae Cariaten. in episcopum praefecit et pastorem, curam etc. committen. etc. cum retentione dicti ministerii generalis usque ad futurum capitulum, absolvens etc. cum clausulis opportunis etc.

CXLII.

Franciscus Ottinati minorita de observantia fit episcopus Milen. Ex eisdem actibus pag. 325.

Romae apud s. Petrum die mercurii 23. *Ianuarii fuit consistorium secretum, in quo*

SAnctissimus d. n. referente reverendissimo d. cardinali s. Severinae, providit ecclesiae Milensi vacan. per obitum bon. mem. Bartholomaei episcopi, de persona fratris Francisci Ottinati ordinis minorum de observantia nuncupat. absolvens etc. cum clausulis opportunis etc.

CXLIII.

Ioannes Portocarrero eiusdem instituti fit episcopus Almarien. Ex eisdem actibus pag. 340.

Romae in monte quirinali die lunae 26. *Augusti fuit consistorium secretum, in quo*

SAnctissimus d. n. referente r. d. cardinali Abolen. ad praesentationem regis catholici providit ecclesiae Almarien. vacan. per obitum Ioannis episcopi, de persona fratris Ioannis Portocarrero ordinis minorum de observantia cum decreto, quod antequam munus consecrationis suscipiat et possessionem adipiscatur, professionem emittat et instrumentum desuper conficiendum ad curiam quamprimum transmittat, et cum clausulis etc.

CXLIV.

Pro ministro provinciali minorum observantium Peruviani regni. Ex reg. secr. brev. in mense Maio pag. 73.

Dilecto filio ministro provinciali seu guardiano vel alteri superiori fratrum discalceatorum aut minorum de observantia s. Francisci in Civitate Regum, aut alibi in partibus Indiarum occidentalium commoranti salutem et apostolicam benedictionem.

CUm ad messem illam quam misericordiarum Pater in partibus del Sur novissime per dilectum filium ducem Petrum Fernandez de Quiros et alios, opera cl. mem. Philippi II. Hispaniarum et Indiarum regis recognitis, aliisque illarum partium regionibus antea non notis, ad quas perveniri posse, speratur, colligendam ostendit, operarios fideles et prudentes qui catholicae fidei propagandae zelo in primis accensi, non solum doctrina verbi Dei, sed exemplo boni operis gentes illas falso idolorum cultui misere inservientes, et variis erroribus implicatas ad Christi Domini veri Dei agnitionem et cultum inducere valeant, diligendos statuerimus, ad ordinem istum s. Francisci oculos nostrae mentis convertimus, in quo, cum ex sanctissimi eius institutoris Francisci mandato paupertatem, humilitatem et charitatem in primis eius religiosi ac nominatim profiteantur, tales operarios inveniri speramus, qui huiusmodi virtutibus ac pietate, doctrina et salutis animarum zelo praediti, desiderio nostro, divina illis assistente gratia, sint cumulate satisfacturi. Proindè tibi per praesentes mandamus, ut aliquos ex tuo ordine religiosos quos ad hoc idoneos et ad omnia pro Christi gloria et christianae fidei propagatione pericula subeunda promptos, et doctrina et pietate praeditos esse cognoveris, quique ad regiones illas ad praedicandum Dei evangelium et ecclesiastica sacramenta ministranda cum praedicto capitaneo Petro, aut alio quocumque pro servitio etiam charissimi in Christo filii nostri Philippi III. Hispaniarum et Indiarum regis catholici, qui in dicta navigatione succedet, proficisci voluerit, transmittere cures. Nos enim religiosis ipsis qui ad eas partes pro tempore proficiscentur, nostram et apostolicam benedictionem deferimus; utque in illis partibus evangelium praedicare et baptismatis et alia ecclesiastica sacramenta ministrare, et sacerdotalia munia adimplere libere et licite valeant, licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die IX. Maii pontificatus nostri anno XI.

CXLV.

Moderatur constitutiones Sixti V. circa receptionem et professionem regularium personarum. Cocquelines tom. 5. part. 2. pag. 409.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN suprema ecclesiae catholicae specula, meritis licet imparibus, divina providentia disponente constituti, omnibus incommodis quae in eadem ecclesia, non sine fidelium animarum periculo et detrimento oriri possunt, ob variam

et sinistram constitutionum romanorum pontificum praedecessorum nostrorum, quas iustis de causis ediderunt, interpretationem, pro nostri pastoralis officii munere conamur providere, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

§. 1. Cum igitur fel. rec. Sixtus papa v. praedecessor noster ad integritatem et candorem in regularibus et religiosis ordinibus in ecclesia sancta instituendis retinendum et conservandum, quadam sua const. quae incipit: *Cum de omnibus ecclesiasticis ordinibus* sub dat. vi. calendas Decembris pontificatus sui anno iii. nonnulla circa modum, formam et qualitates admittendi religiosos ad quosvis regulares ordines decreverit. Et deinde alia simili quae incipit: *Ad romanum spectat pontificem* sub dat. xii. calendas Novembris pontificatus sui anno iii. quaedam dubia super dicta priori constitutione exorta declaraverit.

§. 2. Et praeterea piae mem. Gregorius papa xiv. etiam praedecessor noster alia sua perpetuo valitura constitutione quae incipit: *Circumspecta romani pontificis providentia* sub dato idibus Martii pontificatus sui anno i. respective editis, constitutiones Sixti praedecessoris supradictas quoad illegitimos moderatus fuerit, prout in eisdem constitutionibus plenius continetur.

§. 3. Tamen quia longo usu et experientia compertum est, ex nimia facilitate et multitudine casuum, in quibus professio a suscipientibus habitum alicuius regularis ordinis a dicto Sixto praedecessore nulla declaratur, ex quo nonnulli eorum regulares ordines et instituta sub hoc praetextu deseruerunt. Et idcirco plerisque in locis maxima incommoda et scandala exorta fuerunt, nos ea scandala et incommoda, quantum in Domino possumus removere et ne imposterum alia eiusmodi hac de causa oriantur, opportuna ratione providere cupientes, singularum constitutionum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, matura super his cum ven. fratribus nostris s. r. e. cardinalibus super negotiis episcoporum et regularium deputatis consultatione praehabita, ex illorum sententia et voto constitutiones praedictas Sixti praedecessoris, quoad eam partem per quam eorum, qui formam in eiusdem constitutionibus praescriptam de caetero non servaverint, et quoad alios etiam casus ibidem expressos, in quibus receptorum in quibuscumque etiam mendicantium ordinibus professio nulla declaratur, ad terminos iuris et sacrorum canonum, perinde ac si praedictae constitutiones in illa parte editae non fuissent, auctoritate apostolica tenore praesentium reducimus.

§. 4. Caeterum poenas contra superiores quorumcumque ordinum etiam mendicantium huiusmodi, qui in admittendis regularibus ad habitum et professionem earumdem constitutionum formam non servaverint, aut aliter quovis modo contrafecerint, in ipsis constitutionibus inflictas salvas esse volumus et statuimus.

§. 5. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etc.

§. 6. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die ii. Aprilis pontificatus nostri anno xi.

CXLVI.

Declarat fratres reformatos instar aliorum fratrum franciscalium mendicantium ordinis regulam observare. Ex bullar. Cherubini tom. 3. pag. 140.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quae regularis observantiae professorum reformatorum statui et conscientiae securitati opportune consulatur, ut et ipsi professores uberiores in ecclesia militanti fructus afferant, et eorum religio maiora in Domino suscipiant incrementa.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus a nonnullis aliquando oppositum fuerit, dilectos filios professores ordinis fratrum minorum s. Francisci de strictiori observantia, reformatos nuncupatos, qui iuxta constitutiones romanorum pontificum praedecessorum nostrorum ac etiam nostram sub dat. Tusculi die xii. Octobris pontificatus nostri anno v. novissime editam, sub obedientia custodum degunt, eorumque superiores, custodes et non ministros appellant, propterea non satisfacere regulae a b. Francisco editae et per sedem apostolicam saepius confirmatae et approbatae, iuxta cuius literam sub obedientia ministrorum vivere, videntur obligari. Cumque etiam asseratur, dictos fratres reformatos contra dictam regulam agere ac graviter et contra votum professionis praesertim obedientiae delinquere ac exinde perturbationes et incommoda patiantur.

§. 2. Nos eorumdem fratrum reformatorum quieti, tranquillitati et indemnitati prospicere, atque eosdem adversus huiusmodi molestias et calumnias tueri, ac omnem super praemissis ambiguitatem e medio tollere volentes, quarumcumque constitutionum et praesertim nostrae supradictae, super reformatione dicti ordinis editarum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, harum serie decernimus et declaramus supra dictos fratres reformatos, qui non novam sed eamdem regulam quam b. Franciscus condidit et fel. rec. Honorius papa iii. praedecessor noster confirmavit, quamque etiam fratres de familia nuncupati ordinis minorum de observantia observant, licet ipsi reformati purius et iuxta ipsius regulae literam declaratam per recolendae memoriae Nicolaum iii. et Clementem v. romanos pontifices etiam praedecessores nostros, observant, sub obedientia custodum, quibus per supradictas romanorum pontificum et praesertim nostram, constitutiones, subiecti fuerunt praedictae regulae s. Francisci, et praecipue in ea parte ubi sunt illa verba: *praecipio firmiter fratribus universis, ut obediant suis ministris*, plene, pure et integre et absque ulla dispensatione in voto obedientiae ita satisfacere, sicut faciunt dicti fratres de familia sub obedientia eorum ministrorum degentes, qui a custodibus solo nomine differunt, et ipsis fratribus reformatis ministrorum loco praesunt, ipsosque reformatos veros filios et indubitatos fratres ordinis s. Francisci et in conscientia tutos existere.

§. 3. Necnon in omnibus eorum monasteriis, locis, domibus, oratoriis et ecclesiis, quas nunc obtinent et in posterum quovis modo vel titulo obtinebunt tam in Italia quam extra ubique locorum, praesertim in Gallia omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis tam spiritualibus quam temporalibus,

ac praecedentiis in processionibus, in funeralibus ac in concursu cum aliis religionibus, in concionibus, certis tempore et loco vicissim habendis, et in omnibus aliis actibus publicis et privatis, quibus dicti fratres de familia in eorum monasteriis, ecclesiis, domibus et locis ac rebus, tam de iure quam ex consuetudine, vel alias frui, potiri et gaudere solent et possunt ac poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua differentia frui, potiri et gaudere posse ac debere, dummodo tamen strictiori observantiae dictorum fratrum reformatorum, prout in nostris literis praedictis disponitur, non adversentur.

§. 4. Mandantes insuper in virtute s. obedientiae omnibus et singulis cuiuscumque qualitatis, dignitatis seu conditionis existant, ad quorum notitiam praesentes nostrae pervenerint, ut nullus in posterum praedictos fratres reformatos appellare audeant seu praesumant novos religiosos, aut novae regulae professores. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etc.

§. 5. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis per praesentes committimus et mandamus, quatenus quicumque illorum per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte dictorum fratrum reformatorum fuerint requisiti solemniter publicantes, ipsisque fratribus reformatis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoscumque etc.

§. 6. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die VII. Septembris pontificatus nostri anno XI.

CXLVII.

Iterum restituit breviarium romanum. Ibidem pag. 154.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum in ecclesia catholica a Christo domino nostro sub uno capite eius in terris vicario instituta, unio et earum rerum quae ad Dei gloriam et debitum ecclesiasticarum personarum officium spectant, conformatio semper conservanda sit, tum praecipue illa communio uni Deo una et eadem formula preces adhibendi, quae romano breviario continetur, perpetuo retinenda est, ut Deus in ecclesia per universum orbem diffusa, uno et eodem orandi et psallendi ordine a christifidelibus semper laudetur et invocetur.

§. 1. Quamobrem ex decreto concilii Trid. fel. rec. Pius papa V. praedecessor noster pie ac sapienter admodum varietatem illam breviariorum, quae in singulis ecclesiis fere diversa habebantur, nonnullis tantum exceptis, sustulit ac ipsum breviarium restituit, et Romae accuratissime imprimi et promulgari curavit. Quod ut integrum inviolatumque ab omnibus haberetur, debita provisione adhibita, inter alia statuit, ne ullo unquam tempore totum vel ex parte mutaretur, aut illi aliquid adderetur vel omnino detraheretur sub poenis in eiusdem constitutione contentis.

Digitized by Google

§. 2. Cum vero progressu temporis typographorum negligentia et incuria, et nimia aliorum etiem, ea quae ad ipsos non pertinent, temere sibi assumentium, audacia ac licentia multi errores in illud irrepserint, ac tum in sacra scriptura et lectienibus patrum, tum in vitis sanctorum et rubricis aliisque locis sine nostra et romanorum pontificum praedecessorum nostrorum auctorite pro cuiusque arbitrio pleraque addita et immutata fuerint ita, ut nulla iam reperiantur breviaria quae a prima editione eiusdem Pii in multis non discrepent atque dissentiant, et aliqua recognitione indigeant.

§. 3. Nos qui pastorali nostra solicitudine in eam curam praecipue incumbimus, ut ea quae a praedecessoribus nostris ac pie instituta sunt, perpetue integra et inviolata conserventur; quae vero hominum culpa immutata sunt atque corrupta et quae recognitionem exigunt, in pristinum statum restituantur et reformentur, mandavimus nonnullis piis et eruditis viris, quorum consultatiene et epera in huiusmodi rebus frequenter utimur, ut idem breviarium nova adhibita diligentia accuratius inspicerent atque examinarent, et ea quae depravata esse et recognitiene indigere animadverterent. Quod cum ab iis exacte ac profecte non mediocri cum emolumento praestitum sit ita, ut ex superiori ille incommodo per occasionem non parum utilitatis provenerit. Nos illud in nostra typographia vaticana quam emendatissime imprimi ac devulgari iussimus.

§. 4. Ut autem illius usus in omnibus christiani orbis partibus perpetuis futuris temporibus conservetur, ipsum breviarium in alma Urbe nostra in eadem typogrephia tantum et non alibi imprimi posse decernimus; extra Urbem vero iuxta exemplar in dicta typographia nunc editum et non aliter, hac lege imprimi posse permittimus, ut nimirum typographis quibuscumque illud imprimere volentibus, id facere liceat, requisita tamen prius et in scriptis obtenta, dilecterum filiorum inquisitorum haereticae pravitatis in iis locis in quibus fuerint; ubi vero non fuerint ordinarierum locorum licentia.

§. 5. Alioquin si absque huiusmodi licentia dictum breviarium sub quacumque ferma de caetero ipsi imprimere aut bibliopolae vendere praesumpserint, typographi, bibliopolae extra statum nostrum ecclesiasticum existentes excommunicationis latae sententiae, a qua nisi a romane pentifice, praeterquam in mertis articulo constituti, absolvi nequeant; in alma vere Urbe ac reliquo statu ecclesiastico cemmorantes, quingentorum ducatorum auri de camera ac amissionis librorum et typorum emnium camerae praedictae applicandorum poenas absque alia declaratione irremisibile incurrant ee ipse. Et nihilominus eorumdem breviariorum per eos de caetero absque huiusmodi licentia imprimendorum aut vendendorum usum ubique locorum et gentium, sub eisdem poenis perpetue interdicimus et prohibemus.

§. 6. Ipsi autem inquisitores seu ordinarii locorum antequam huiusmodi licentiam concedant breviaria ab ipsis typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint, cum hoc breviario auctoritate nostra recognito et nunc impresso, diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi vel detrahi permittant. Et in ipsa licentia eriginali de collatione facta et quod omnino concordent, manu propria attestentur, cuius licentiae copia initie vel in calce cuiusque breviarii semper imprimatur; quod si secus fecerint, inquisitores videlicet privationis suorum officiorum ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda; antistites vero et ordinarii locorum suspensionis a divinis ac interdicti ab ingressu ecclesiae; eorum vere privationis similiter officierum et beneficiorum

suorum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac praeterea excommunicationis, absque alia declaratione, ut praefertur, poenas incurrant eo ipso.

§. 7. Caeterum pauperum clericorum et aliarum personarum ecclesiasticarum ac typographorum et bibliopolarum, quorum, cum indemnitatis ex benignitate apostolica rationem habentes, eisdem breviaria hactenus impressa penes se habentibus, ut ea retinere et illis uti, eaque vendere respective possint, similiter permittimus et indulgemus.

§. 8. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die x. Maii pontificatus nostri anno xi.

CXLVIII.

Aliqua statuit pro capucinis circa administrationem sacramenti poenitentiae. Ibidem pag. 129.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel. rec. Gregorius papa xiv. praedecessor noster ex causis tunc expressis motu eius proprio suo perpetuo valitura constitutione statuit et ordinavit, quod nullus congregationis capucinorum ordinis fratrum minorum nuncupatorum s. Francisci in laicorum utrinsque sexus et clericorum saecularium quacumque dignitate, praeeminentia, auctoritate et facultate suffulti essent, confessionibus occupari vel confessiones eorum audire, etiamsi ad id faciendum a superioribus ordinis, aut protectore, aut etiam ab apostolica sede quomodolibet et sub quacumque verborum forma licentias eatenus obtinuissent, prout in eiusdem Gregorii praedecessoris literis in forma brevis sub data die i. Iunii mdxci. expeditis plenius continetur.

§. 1. Cum autem diversi utriusque sexus christifideles pro eorum erga dictum ordinem seu congregationem capucinorum devotione cupiant religiosis eiusdem congregationis confiteri posse.

§. 2. Nos illorum pio desiderio benigne annuentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefatas Gregorii praedecessoris literas quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, ita moderamur, ut minister generalis eiusdem congregationis capucinorum et definitores in capitulo generali congregati et in eodem capitulo tantum, quibusvis eiusdem congregationis religiosis ad confessiones audiendas approbatis, prout ipsis ministro generali et definitoribus videbitur, licentiam audiendi saecularium utriusque sexus confessiones usque ad novi capituli generalis celebrationem et non ultra, et sic de capitulo generali in capitulum generale concedere respective possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur.

§. 3. Et quascumque licentias audiendi saecularium huiusmodi confessiones, quibusvis eiusdem congregationis fratribus ab illius protectore aut quocumque alio, etiam de expresso nostro mandato in perpetuum concessas, harum serie revocamus et annullamus. Decernentes irritum et inane quidquid secus etc.

§. 4. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die iii. Februarii pontificatus nostri anno xi.

CXLIX.

Ut Martinus Ignatius a Loyola episcopus de Paraguaia aliquot socios sibi assumat ex discalceatorum ordine. Ex reg. secr. brev. in mense Ianuario pag. 164.

Venerabili fr. Martino Ignatio episcopo de Paraguaia in partibus Indiarum occidentalium salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicut nobis exposui fecisti, tu qui ordinem fratrum min. de observantia discalceatorum s. Francisci professus existis, considerans in partibus Indiarum occidentalium in quibus ecclesiae tuae de Paraguaia consistit, messem esse multam, operarios autem paucos, copias tres tui ordinis religiosos, qui in illis partibus tibi ad christianam fidem propagandam cooperatores sint, tecum ducere et apud te retinere licite posse; propterea nobis humiliter supplicari fecisti, ut opportunam ad hoc licentiam tibi concedere de benignitate apost. dignaremur. Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi ac piis votis tuis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, ut tres praedicti ordinis min. discalceatorum s. Francisci professos vitae et morum integritate, ac doctrina conspicuos assumere, ac tecum ad ecclesiam tuam conducere, et apud te etiam extra claustra monasteriorum dicti ordinis, quamdiu ecclesiae praedictae praefueris retinere; et si aliquem ex illis decedere contigerit, alium eiusdem ordinis religiosum in locum deficientis, quoties casus venerit, subrogare libere et licite possis et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur, ac eisdem ab te pro tempore ad hunc effectum accitis religiosis dicti ordinis, ut tecum ad partes praedictas accedere et etiam morari, commorari ac apud te etiam extra claustra monasteriorum sui ordinis permanere licite et libere possint et valeant, auctoritate et tenore praesentis licentiam pariter impartimur. Mandantes propterea dilectis filiis eiusdem ordinis superioribus, ad quos spectat et spectabit, ut quandocumque a te fuerint requisiti, religiosos praedictos tibi libere concedant. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xiv. Ianuarii pontificatus nostri anno x.

CL.

Applicat pium legatum pro perficienda fabrica coenobii s. Francisci Transtyberim. Ex eodem reg. in mense Octobri pag. 339.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm sicut accepimus alias quondam Ortentia Antonii Bonanni dum vixit, almae Urbis nostrae incola suum ultimum condens testamentum sub cuius dispositione ab humanis decessit, inter alia dilecta in Christo filia Catharina eius matre omnium et singulorum eius bonorum universali haerede per eam instituta, et dilecto filio Iulio eius fratre germano ei substituto voluit et mandavit, suum corpus in ecclesia s. Francisci regionis Transtyberim de eadem Urbe sepeliri, dictaeque ecclesiae quingenta scuta monetae ex ter mille scutis,

quae super domo dilecti filii Michaelis Bonelli ad censum posita erant, ita tamen quod dicta domus regularis fratres pro tempore existentes unam missam singulis diebus in perpetuum et in infinitum pro ipsius testatricis animae salute et refrigerio celebrarent; et casu quo dictus census redimeretur, quod dicta quingenta scuta illico ad hunc effectum reinvestirentur, dictaque redemptio semper in commodum dictorum fratrum, quatenus huiusmodi legati capaces essent, fieret; quatenus vero illius incapaces essent, quod dicta eius haeres et eius successores pro tempore existentes, fructus dictorum quingentorum scutorum dictae domui illiusque fratribus et pro tempore existentibus pro dictis missis celebrandis et in perpetuum et in infinitum assignarent, reliquit, et alias prout in dicto testamento plenius dicitur contineri. Cumque dicti fratres iuxta eorum regularia instituta legati et oneris praedictorum incapaces existant, et sicut accepimus, ipsi pro ampliatione dictae domus regularis quasdam stantias et habitationes in ea construi facere inceperint, illas tamen perficiendi modum minime habeant, nisi de aliquo subventionis auxilio provideatur; nos igitur pro nostri pastoralis officii debito praedictae fabricae felici successui et alias in praemissis opportune providere cupientes, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dicta quingenta scuta eidem fabricae et ad illius usum, ita quod dictae domus regularis fratres per eorum procuratorem seu praedictae fabricae deputatos illa percipere, exigere et levare, et in dictam fabricam ac illius usum convertere, dummodo tamen dictae domus fratres quinquaginta missas infra tres menses pro dictae testatricis animae salute et refrigerio celebrent, perpetuo concedimus et assignamus, dictaeque domus regularis fratres pro tempore existentes ad praedictam missam quotidianam celebrandam propterea minime teneri, nec ad id a quoquam cogi aut compelli, nec desuper molestari, perturbari aut inquietari, sed per celebrationem quinquaginta missarum huiusmodi celebrationi dictae missae quotidianae mentique et voluntati dictae testatricis satisfacere et satisfecisse dici et censeri posse, irritumque et inane quidquid secus etc. Quocirca dilectis filiis curiae causarum camerae apostolicae generali auditori ac almae Urbis nostrae vicario per praesentes committimus et mandamus, ut ipsi vel duo etc. Contradictores etc. Non obstante voluntate dictae testatricis etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XXVI. Novembris pontificatus nostri anno XI.

CLI.

Ut in Gallia fratres recollecti novitios recipiant extra custodiale capitulum. De Gubernatis tom. 2. pag. 407.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ordinis vestri in istis partibus propagationi prospicere ac vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis ut in Gallia tantum quoscumque novitios habitum vestri ordinis suscipere volentes, ad habitum huiusmodi extra capitulum custodiale, dummodo tamen a tribus superioribus conventuum vestri

ordinis istius regul, custode scilicet vel commissario custodiae, guardiano ac vicario simul congregatis, una cum capitulo illius conventus, in qua dicti novitii erunt recipiendi, ipsi novitii recipiendi prius examinati et approbati fuerint, servatis in reliquis constitutionibus fel. rec. Sixti papae v. praedecessoris nostri, per nos ad formam iuris circa nullitatem professionum nuper reductis recipere, et eosdem postea ad professionem regularem admittere, ac eodem modo extra capitulum custodiale fratres de familia nuncupat. ordinis min. de observantia ad reformationem transire volentes, praecedenti approbatione, ut expresse dicitur in bulla reformationis, recipere et admittere valeatis, ac insuper vobis, ut capitulum custodiale non singulis annis, sed de triennio in triennium tantum celebrare teneamini, sed loco aliorum capitulorum possitis, si opus fuerit, congregationem custodum et discretorum custodialium facere, quae quidem congregatio vim capituli habeat; utque decreto de mandato nostro a dilectis filiis praelatis visitationis et reformationis apostolicae edito, per quod prohibetur fratribus reformatis, ne conventus o fratribus praedictis de familia petere et accipere sine speciali eorumdem praelatorum licentia possint, minime subiecti sitis, sed liceat vobis etiam sine huiusmodi licentia (servata tamen forma per nos in constitutione nostra quae incipit: *Pro iniuncti etc. sub datum Tusculi die* xii. *Octob. pontificatus nostri anno* iii. pro fratribus reformatis Italiae edita, ac deinde per alias nostras literas ad vos extensa) huiusmodi conventus a fratribus de familia in eodem regno Galliae petere et accipere, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, ac facultatem et licentiam impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub anulo piscatoris die v. Septembris pontificatus nostri anno xi.

CLII.

Confirmat privilegia congregationis tertii ordinis Bogardorum in Belgio
Ex reg. secr brev. in mense Iunio pag. 70.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet romanum pontificem privilegia et indulta a praedecessoribus suis et apostolica sede regularibus ordinibus concessa, ut firmius subsistant et religiosi viri illorum suffulti praesidio, sub suavi religionis iugo magis gratum Altissimo praebeant famulatum, apostolicae confirmationis robore communire, prout eorumdem religiosorum vota exposcunt ac alias in Domino salubriter conspicitur expedire. Nos igitur dilectos filios ministrum et fratres universos congregationis Zepperen. nuncupat. in Belgio ordinis tertiae regulae s. Francisci, vulgo Bogardorum nuncupat. specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ex sententia ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super negotiis et consultationibus regularium deputatorum omnia et singula privilegia, exemptiones, libertates, concessiones, gratias et indulta eidem ordini, ac praedictae congregationi per quoscumque romanos pontifices praedecessores nostros, ac nos et apostolicam sedem concessa, confirmata et approbata, quatenus sint in usu et non sint revocata, seu ab aliquibus revocationibus comprehensa ac Trid. concilii decretis, sacrisque

canonibus et eiusdem ordinis regularibus institutis, ac romanorum pontificum praedecessorum nostrorum ac nostris constitutionibus non adversentur, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae ac inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, eaque omnia et singula perpetuo valida, firma et efficacia fore, illisque supradictos ministrum et fratres eorumque congregationem, ac monasteria ac loca regularia frui et gaudere debere, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos et causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane etc. Quocirca ven. fratribus archiepiscopo Cameracen. et episcopo Leodinen. ac dilecto filio nostro et apostolicae sedis in Belgicis partibus nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte ministri et fratrum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra illos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate molestari, perturbari vel inquietari. Contradictores quoscumque etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XV. Iunii pontificatus nostri anno XI.

CLIII.

Eligit Franciscum a Montegrino commissarium apostolicum provinciarum Germaniae. Ex eodem reg. in mense Iunio pag. 381.

Dilecto filio Francisco a Montegrino provinciae Mediolanen. fratri ordinis minorum s. Francisci de observantia in provinciis Germaniae eiusdem ordinis commissario et visitatori salutem et apostolicam benedictionem.

Ut munus commissarii et visitatoris domorum, monasteriorum et locorum regularium ordinis minorum s. Francisci de observantia per universam Germaniam tibi delatum facilius obire, ac visitationem domorum, monasteriorum et locorum regularium praedictorum, ac etiam provinciarum Hungariae et Transylvaniae ad Dei laudem et ad dicti ordinis decorem, religiosorumque reformationem atque ad christifidelium omnium aedificationem liberius perficere valeas. Nos qui de eorumdem monasteriorum, domorum et regularium ac personarum regularium quarumcumque statu prospere dirigendo pro nostro pastorali munere soliciti sumus, te auctoritate nostra apostolica ad praemissa exequenda opportune duximus fulciendum. De tua igitur fide, prudentia, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio et ex certa nostra scientia ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine tibi omnia et singula eiusdem ordinis monasteria, domus et loca regularia tam virorum quam mulierum in quibuscumque civitatibus, terris et locis universae Germaniae, ac Hungariae et Transylvaniae, etiam exempta ac nobis et apostolicae sedi immediate subiecta, eorumque superiores et personas auctoritate etiam nostra apostolica visitandi et reformandi, ac in singulorum vitam, ritus, mores et disciplinam diligenter inquirendi, necnon evangelicae et apostolicae

doctrinae, sacrorumque canonum et conciliorum generalium decretis, ss. patrum traditionibus, et regularibus eiusdem ordinis institutis inhaerendo, quaecumque mutatione, correctione, reformatione, emendatione, revocatione, renovatione ac etiam ex integro editione indigere cognoveris, mutandi, corrigendi, reformandi, emendandi, revocandi, renovandi et de novo constituendi, condita sacris canonibus et conc. Tridentini decretis non repugnantia confirmandi, abusus quoscumque tollendi, bonas et laudabiles institutiones, ac in primis divinum cultum, monasticam disciplinam et observantiam regularem, ubicumque exciderint, modis congruis restituendi, sanctimoniales quascumque ad regularis clausurae formam ac omnes et singulas utriusque sexus personas regulares ad habitum, et honestum vitae modum reducendi; si aliquos in aliquos delinquentes repereris, eos iuxta canonicas sanctiones et eorum regularia instituta puniendi et castigandi; quaecumque vero graviora repereris, ea in scriptis redacta ad nos diligenter deferri faciendi, contradictores quoslibet et rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio praestantes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et conditionis fuerint, per privationis bonorum ecclesiasticorum, dignitatum et officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac etiam sequestrationis quorumcumque bonorum suorum ubicumque existentium, necnon pecuniarias et quascumque alias arbitrio tuo imponendas et infligendas poenas, ac demum per censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, quibuscumque exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, appellationibus, reclamationibus, protestationibus et aliis subterfugiis prorsus cessantibus et postpositis compescendi, ac legitimis super his habendis, servatis processibus poenas et censuras ipsas, etiam iteratis vicibus aggravandi, interdictum ecclesiasticum apponendi ac etiam, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocandi, omniaque alia quae visitationem et reformationem concernunt, pro monasteriorum, domorum et locorum regularium huiusmodi prospero statu dirigendo necessaria et opportuna faciendi et exequendi, auctoritate apostolica tenore praesentium liberam et amplam facultatem et potestatem, durante officio commissarii et visitatoris huiusmodi, concedimus et impartimur. Non obstante deputatione per nos facta de persona dilecti filii Martini Iulani ministri provincialis provinciae Hungariae in ministrum et commissarium in eisdem provinciis Hungariae et Transylvaniae quam per praesentem revocamus, ac quibusvis apostolicis necnon in provincialibus, universalibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac monasteriorum, domorum et regularium locorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eiusdem monasteriis, domibus et locis regularibus huiusmodi, illorumque abbatibus, decanis, praepositis, canonicis, abbatissis, magistris, beneficiatis, clericis, et regularibus huiusmodi, et quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis literis in genere et in specie ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus. Contrariis quibuscumque; seu si praedictis vel aliis quibusvis personis communiter

vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quad interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud s. Marcum die xxvii. Iunii pontificatus nostri anno xi.

CLIV.

Iosephum Novariensem mittit ad perlustrandas quasdam reformatorum custodias. Ibidem in mense Augusto pag. 391.

Dilecto filio Iosepho Novariensi fratri ordinis minorum s. Francisci de observantia reformatorum nuncupat. visitatori apostolico salutem et apostolicam benedictionem.

Cupientes omni studio, cura et diligentia reformationem secundum regulam s. Francisci quam nuper in eius ordine fratrum minorum de observantia per nostras literas sub datum Romae apud s. Petrum die iii. Iunii mdxcvii. Deo adiuvante, plantavimus, in pura et simplici observantia permanere, ac maiora in dies suscipere incrementa, de tua pietate, prudentia, fide, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, te commissarium et visitatorem apostolicum custodiarum et conventuum fratrum reformatorum dicti ordinis Bononiae, s. Antonii, Genuae, Mediolani, Brixiae et s. Didaci, auctoritate apostolica tenore praesentium ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum facimus, constituimus et deputamus. Dantes tibi plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem custodes et conventus praedictos visitandi, reformandi, et tam in capite quam in membris corrigendi et castigandi, capitula custodialia seu congregationes custodiales, ubi et quando opus fuerit, convocandi, in eisque (nisi generalis personaliter, ut in aliis nostris literis disponitur, interesse voluerit) praesidendi, atque custodes canonice electos confirmandi, ac omnia et singula quae ad huiusmodi reformationem perpetuo stabiliendam et firmandam, atque ad prosperum statum et felix gubernium eorumdem fratrum reformatorum pertinere cognoveris, faciendi, gerendi, mandandi et exequendi, necnon contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendi, atque eosdem si veniam petierint, absolvendi et liberandi, ac demum illamet potestatem easdem gratias, etiam in foro conscientiae ac praerogativas quas per alias nostras literas in forma brevis sub datum Tusculi sub annulo piscatoris die xii. Octobris mdxcvi. pontificatus nostri anno v. dilectis filiis custodibus fratrum reformatorum memorati ordinis dedimus ac concessimus, tibi etiam per praesentes super eosdem custodes et fratres, ut praefertur, tribuimus et elargimur. Mandantes insuper in virtute s. obedientiae dilectis filiis custodibus et fratribus praedictis, caeterisque ad quos spectat, ut tibi in praemissis pareant et obediant, ac tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, alioquin censuras ac poenas quas in eos rite tuleris, ratas habebimus et faciemus, Deo auctore, usque ad condignam satisfactionem observari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxx. Augusti pontificatus nostri anno xi.

CLV.

Erigit provinciam s. Francisci de Zacathecas. Ex reg. secr. brev. in mense Aprili pag. 310.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito ad ea libentor intendimus, per quae regularium ordinum propagationi et commodo opportuno prospicitur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque sicut accepimus, domus seu monasteria ord. fratrum minorum s. Francisci de observantia provinciae de los Zacathecas, quae nunc viginti circiter existunt, tam longa itineris intervallo a provincia Mexicana distent, ut ab uno ministro provinciali visitari, gubernari et regi commode non possint, et propterea eisdem monasteriis seu domibus et religiosis in illis degentibus valde commodum et utile futurum sit, ut a dicta provincia Mexicana separentur, et ex illis omnibus una nova provincia eiusdem ordinis de los Zacathecas nuncupanda erigatur. Nos tunc eorumdem monasteriorum seu domorum ac religiosorum in illis degentium prospero statui, tum christifidelium spirituali consolationi et profectui, quantum cum Domino possumus, opportuno prospicere volentes, supplicationibus etiam pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum et Indiarum regis catholici nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, monasteria seu domos praedicti ordinis s. Francisci sitas in provincia de los Zacathecas a provincia dicti ordinis s. Francisci Mexican. et ab eiusdem provinciae Mexican. ministri provincialis subiectione, cura, gubernio, visitatione et correctione, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo separamus et segregamus, ac ex eisdem monasteriis seu domibus in provincia de los Zacathecas existentibus sic separatis et segregatis, unam novam provinciam praedicti ordinis de los Zacathecas nuncupandam similiter perpetuo erigimus et instituimus, ipsique novae provinciae sic erectae ipsiusque ministro provinciali iuxta regularia eiusdem ordinis instituta eligendo, et pro tempore existentium, ac monasteriis seu domibus et fratribus universis, ac omnibus et singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, praeeminentiis, indultis et indulgentiis quibus aliae eiusdem ordinis provinciae illarumque monasteria seu domos et fratres utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praesentis concedimus et indulgemus. Quocirca ven. fratri archiepiscopo Mexican. seu eius officiali, ac dilecto filio decano ecclesiae Mexicanae per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium, seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte ministri provincialis et fratrum dictae provinciae de los Zacathecas, ut praefertur, erectae, fuerint requisiti sententiam publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos praemissarum omnium et singularum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quocumque quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die x. Aprilis pontificatus nostri anno xii.

CLVI.

Culmense coenobium instauratur, et coenobium Torunen. conceditur provinciae Poloniae Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 188.

Ad perpetuam rei memoriam.

Religiosorum quorumcumque propagationi ac prospero statui et gubernio libenter consulimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Georgii Conopazki castellani Culmen. et nobilitatis illarum partium nobis expositum fuit, quod cum domus ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia Civitatis Novae propter bella et haereses quae in illis partibus viguerunt, a fratribus dicti ordinis derelictam reperiretur, ipsi exponentes pro eorum erga dictum ordinem et b. Franciscum devotionis affectu cupiunt, ut fratres dicti ordinis provinciae Poloniae domum praedictam reassumere, et in ea conventum eiusdem ordinis iterum instituere valerent; et quia domus praedicta Civitatis Novae ac alia domus eiusdem ordinis civitatis Torunen. quae dictae provinciae Poloniae proximiores existunt, olim non ad provinciam Poloniae sed ad provinciam Saxoniae pertinuisse dicuntur, nunc vero provincia Saxoniae cuius conventus omnes derelicti, et ab haereticis eorum domus et bona occupata fuerunt, non extet, cupiunt pariter Georgius et nobilitas praedicti, ut ambae domus et conventus Civitatis Novae et Torunen. praefatae provinciae Poloniae apostolica auctoritate incorporentur et uniantur. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos piis eorum votis benigne annuere ac dictorum conventuum prospero statui prospicere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, utramque domum et conventum Civitatis Novae huiusmodi cum omnibus iuribus ac pertinentiis earum provinciae Poloniae eiusdem ordinis, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo unimus, aggregamus et incorporamus, ac dilectis filiis ministro provinciali et fratribus eiusdem provinciae Poloniae, ut praedictam domum Civitatis Novae reassumere, et ibi conventum de novo erigere ac utramque domum ad instar aliarum eiusdem provinciae domorum iuxta regularia eiusdem ordinis instituta regere et gubernare, ipsisque vero domibus Civitatis Novae et Torunen. et illarum ministris et conventibus nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indultis et indulgentiis quibus aliae domus et illarum ministri, et conventus Poloniae praedictae utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua differentia uti, potiri et gaudere possint et valeant, auctoritate tenore praesentis concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XII. Iulii pontificatus nostri anno XII.

CLVII.

Conventus Rocchae Gloriosae excitatur. Ex eodem regest. In mense Iunio pag. 311.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto etc. Expositum nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Antonii de Afflictis Carafae domini in temporalibus baroniae Rocchae Gloriosae Policasten. dioecesis, quod ipse tam pro eo, quam erga ordinem s. Francisci gerit devotionis affectum, tum ut voto suo satisfaciat simulque saluti animarum incolarum dictae terrae Gloriosae prospiciat, in praedicta terra unam domum ord. fratrum minorum eiusdem s. Francisci de observantia nuncupat. apud ecclesiam olim monasterii monialium ordinis cisterciensis intra moenia dictae terrae iussu Sixti papae IV. praedecessoris nostri translatarum quae ecclesia s. Mercurii Veteris nuncupatur prope et extra muros eiusdem terrae sita, in qua dictus Sixtus IV. unum eiusdem ordinis conventum erigendum concessit, erigere intendat, iamque dilecti filii generalis ac provinciae Basilicatae provincialis ministri ecclesiam praedictam et domum ibi erigendam acceptare promiserunt, si nostra et sedis apostolicae licentia ad hoc eis opportune suffragetur. Propterea dictus Antonius nobis humiliter supplicari fecit, ut huiusmodi licentiam concedere ac alias, ut infra, ipsi Antonio et dictae terrae habitatoribus indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eiusdem Antonii pium desiderium summopere commendantes et eius piis votis annuere, ipsumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et tam ipsum Antonium quam ministros praedictos et singulos fratres dictae provinciae a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tam ipsi Antonio domum ordinis praedicti apud ecclesiam praedictam s. Mercurii Veteris prope et extra muros dictae terrae cum hortis, officinis et aliis necessariis fundandi, quam ipsis generali et provinciali ministris et fratribus domum et ecclesiam praedictas recipiendi et apud illas unum eorum ordinis conventum, in quo duodecim saltem eiusdem ordinis fratres inhabitent, erigendi licentiam, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impartimur. Necnon conventui erigendo huiusmodi, si et postquam erectus fuerit, illiusque futuro guardiano et fratribus, ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus et indulgentiis, quibus alii eiusdem ordinis conventus et fratres utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia uti, frui et gaudere possint et valeant; ipsi vero Antonio fundatori eiusque uxori, filiis et successoribus in perpetuum, ut omnium gratiarum, indulgentiarum, orationum, disciplinarum, ieiuniorum et aliorum piorum operum, quae in eodem ordine fiunt, et pro tempore respective concessae sunt et concedentur, participes existant, auctoritate et tenore praesentis concedimus et indulgemus. Praeterea pro maiori eiusdem Antonii eiusque familiae et subditorum spirituali consolatione eidem Antonio eiusque uxori, filiis, familiaribus, vassallis et incolis eiusdem baroniae, eorumque bonis et territoriis apostolicam nostram benedictionem deferimus et impartimur; quam benedictionem per aliquem catholicum antistitem in solemni processione in plantatione crucis pro aedificatione dicti conventus faciendae, eis universis pontificali more impartiri

posse concedimus. Quocirca ven. fratri episcopo Caputaquen. ac dilectis filiis nostro et apostolicae sedis in regno Neapolis nuncio et causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut nons eorum per se vel alium seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte dictorum Antonii, necnon et guardiani et fratrum dicti conventus erigendi, fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxiii. Iunii pontificatus nostri anno xii.

CLVIII.

Ut aedes construatur pro reformatis in oppido Cryptarum. **Ex eodem reg. in mense Martio pag. 86.**

Dilectis filiis custodi et fratribus ordinis minorum de observantia s. Francisci reformatorum nuncupat. custodiae Marchiae salutem et apostolicam benedictionem.

Vestri ordinis propagationi consulere et christifidelium piis votis annuere cupientes, ea vobis libenter concedimus, quae ad huiusmodi propagationem divinique cultus augmentum et eorumdem christifidelium spiritualem consolationem conducere arbitramur. Sane pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum terrae nostrae Chryptarum ad Mare Firmano. dioecesis nobis nuper expositum fuit, quod ipsi pro eo, quem erga b. Franciscum gerunt devotionis affectum maxime cuperent in eadem terra unam vestri ordinis fratrum reformatorum s. Francisci domum erigi, nobisque propterea humiliter supplicari fecerint, ut eorum pio desiderio in praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur vos ac praedictos universitatem et homines spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, vosque et illorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, ut de ordinarii loci consensu in dicta terra domum et ecclesiam, in quibus iuxta regularia vestra instituta, saltem usque ad numerum duodecim vestri ordinis fratres inhabitare ac divina officia celebrare respective possint et valeant, recipere, ac ibidem eiusdem vestri ordinis conventum erigere libere et licite possitis et valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et impartimur, ac eidem conventui, si et postquam erectus fuerit, necnon futuris illius custodi et fratribus, ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis indultis, exemptionibus, libertatibus et indulgentiis quibus alii eiusdem ordinis conventus et fratres utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia, uti, frui et gaudere possint et valeant, auctoritate et tenore praesentis concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xx. Martii pontificatus nostri anno xii.

CLIX.

Mittit Federicum cardinalem Borromaeum ad visitandum conventum Varalli Montis. Ex regest. secr brev. in mense Maio pag. 218.

Dilecto filio nostro Federico titulo s. Mariae ad Thermas Diocletianas card. Borromaeo nuncupat. ecclesiae Mediolanen. praesuli salutem et apostolicam benedictionem.

CUm, sicut accepimus, devotio erga pium locum Montis Varalli Novarien. dioecesis, ad quem plurimi christifideles dominicam passionem in eo pie admodum expressam venerabundi consueverunt adire, non parum imminuta sit, tum mela vivendi ratione et administratione dilectorum filiorum s. Francisci de observantia qui eius loci curam gerunt, tum aliis de causis nobis expositis, cupientesque antequam sacri illius montis venerationem non solum restitui sed in dies magis augeri, et ut impedimenta omnia tollantur, pro nostro pastorali munere opportune providere, ac de tuae circumspectionis prudentia, fide, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, te nostrum et apostolicae sedis visitatorem et reformetorem apostolicum, auctoritate apostolica tenore praesentium constituimus et deputamus, tibique per te vel alium seu alios a te eligendum seu eligendos ecclesiasticas personas pietate, prudentia, doctrina et religionis zelo praestantes conventum fratrum et montis supradictorum ac monasterium ipsum, guardianum, vicarium, fratres, ecclesiam seu ecclesias eorum, oratoria et loca omnia, et etiam alios administratores fabricariosve quoscumque tam laicos quam ecclesiasticos montis ipsius visitandi, ac tam in capite quam in membris corrigendi et reformandi, ac etiam si tibi expedire videbitur, ecclesiam, monasterium et montem huiusmodi, quorum administrationem nunc obtinent ipsi fretres de familia nuncupati, ab eis in reformatos eiusdem religionis transferendi ac in singulorum vitam, ritus, mores at disciplinem diligenter inquirendi, necnon evangelicae et apostolicae doctrinae, ss. patrum traditionibus ac regularibus institutis ipsius monasterii inhaerendo, quaecumque mutatione, correctione, reformatione, emendatione, revocatione, renovatione aut etiam ex integro editione indigere cognoveris, mutandi, corrigendi, reformandi, emendandi, revocandi, renovandi et de novo constituendi, condita sacris canonibus et conc. Tridentini decretis non repugnantia confirmandi, abusus quoscumque tollendi, bonas ac laudabiles institutiones, ac in primis divinum cultum, monasticam disciplinam et observantiam regularem ubicumque exciderint, modis congruis restituendi; si aliquos in aliquo delinquentes repereris, eos iuxta canonicas sanctiones, ac illius ordinis regularia instituta puniendi et castigandi; quaecumque vero graviora repereris, ea in scriptis reducta, ad nos diligenter deferri faciendi, contradictores quoslibet et rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, vel ingenio praestantes cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et conditionis fuerint, per privationis beneficiorum ecclesiasticorum, dignitatum et beneficiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, necnon pecuniarias et quascumque alias arbitrio tuo imponendas et infligendas poenas; ac demum per censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, quibuscumque exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, eppellationibus reclamationibus, protestationibus et aliis subterfugiis

prorsus cessantibus et postpositis compescendi, ac legitimis super his habendis servatis processibus, poenas et censuras ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, interdictum ecclesiasticum apponendi, ac etiam, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocandi, omniaque alia et singula quae ad praedictorum conventus, personarum, tam ecclesiasticorum regularium et saecularium, quam laicorum quorumcumque, ac montis felix gubernium, et propterea directionem, bonorumque, eleemosynarum, oblationum et fabricae rectam administrationem pertinere pro tua prudentia cognoveris, mandandi, gerendi, et exequendi auctoritate et tenore praesentis plenam, liberam et amplam facultatem et potestatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xv. Maii pontificatus nostri anno xii.

CLX.

Indulget ut erigatur coenobium recollectorum in civitate Parisien. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 242.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, dudum antequam infrascriptae literae a nobis emanassent, ven. frater episcopus Parisien. necnon Bonaventura patriarcha Constantinopolitan. tunc minister generalis ord. fratrum minorum de observantia, attento etiam pio charissimi in Christo filii nostri Henrici Francorum regis christianissimi desiderio, qui eius propensam erga fratres reformatos infrascriptos voluntatem, literis suis patentibus ac literis scriptis dilecto filio nostro Petro cardinali de Gondes et dicto episcopo Parisien. necnon assignatione pecuniarum in eorumdem fratrum favorem demonstravit, licentiam concesserint dilectis filiis fratribus ordinis minorum reformatorum s. Francisci provinciae Franciae Parisien. et in civitate Parisien. aut iuxta illam unum eorumdem fratrum reformatorum conventum erigere valerent; cumque nos nuper per nostras in forma brevis literas singulis locorum ordinariis prohibuerimus, ne religiosis mendicantibus novos conventus erigendi licentiam, nisi vocatis et auditis aliorum conventuum mendicantium in eisdem locis existentium prioribus seu procuratoribus concedere valerent, prout in eisdem literis sub datum die xxiii. Iulii praesentis anni mdcviii. expeditis plenius continetur. Nos ne propter huiusmodi prohibitionem nostram dictis fratribus reformatis super erectione praedicti conventus Parisien. aliquod impedimentum inferatur, opportune providere, ipsosque fratres reformatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, dictarum nostrarum literarum tenorem praesentibus pro expresse habentes, supplicationibus eorumdem fratrum reformatorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem fratribus reformatis, ut domum seu conventum eorum in civitate seu districtu Parisien. in eo situ, quem loci ordinarius probaverit, aedificare, in qua domo etiam fratres reformati aliarum etiam provinciarum regni Franciae illuc accedentes, hospitio vel pro studio recipi debeant, sine aliquo impedimento libere et licite valeant, licentiam concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die vii. Septembris pontificatus nostri anno xii.

CLXI.

Adprobat translationem proventus. Ibidem in mense Iulio pag. 222.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quae pro religiosorum commoditata facta fuisse dicuntur, ea, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robore libenter communimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Expositum siqnidem nobis fuit pro parte dilectorum filiorum ministri et fratrum domus beatae Mariae de Consolatione civitatis Hispalensis tertii ordinis s. Francisci de poenitentia nuncupat. quod alias de licentia ven. fratris archiepiscopi Hispalen. ac dilecti filii ministri generalis ordinis s. Francisci, domus sub invocatione s. Ioannis della Moranilla infra territorium loci do Bollullos situm fratrum dieti tertil ordinie s. Francisci de poenitentia nuncupat. cum certia reditibus, proventibus et emolumentis ad praedictam domum b. Mariae de Consolatione quae in dicta civitate Hispalen. fundata fuit, causa exercendi hospitalitatem aliis eiusdem ordinis fratribus ad dictam civitatem pro tempore accedentibus, translata extitit, iamque praedieta nova domus b. Mariae de Consolatione ad perfectionem perducta et omnibus necessariis instructa reperitur. Quare dicti ministri et fratres cupientes fundationem dictae novae domus et conventus alterius domus s. Ioannis cum dictis reditibus, proventibus et emolumentis ad praedictam novam domum translationem pro maiori validitate apostolica auctoritate confirmari, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eorum ministrum et fratres spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fundationem novae domus et conventus s. Ioannis cum dictis reditibus, proventibus et emolumentis ad illam translationem cum omnibus inde secutis, auctoritate apostolica ten. praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, et omnes et singulos tam iuris et facti defectus, si qui desuper in eis intervenerint, supplemus, ac eisdem ministro et fratribus, ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus et indulgentiis, quibus alii eiusdem ordinis conventus et fratres utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia uti, frui et gaudere possint et valeant, auctoritate et tenore praesentis concedimus et indulgemus. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori ac commondatario monasterii b. Mariae de Mercede Hispalen. ac priori domus s. Dominici de Porta Coeli extra muros Hispalen. per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo etc. auctoritate nostra dictos ministros et fratres praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes a quocumque etc.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxv. Iulii pontificatus nostri anno xii.

CLXII.

Ut in aede sua monasterium excitet debita clausura munitum. Ex reg. secr. brev. in mense Augusto pag. 216.

Dilectae in Christo filiae Mariae de Saavedra mulieri viduae Salamanticen. salutem et apostolicam benedictionem.

SPirituali consolationi tuae, quantum cum Domino possumus, benigne consulere teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, quae ut asseris, in propriis domibus tuae solitae habitationis monasterium s. Clarae discalceatarum nuncupat. cum reditu annuo mille et ducentorum ducatorum fundare intendis, ut dictum monasterium postque perfectum et ad debitam clausuram redactum fuerit, ab una vel duabus honestis mulieribus modesto habitu indutis, quae semel electae mutari amplius non possint, associata, quandocumque tibi placuerit, accedente tamen dicti monasterii superiorum consensu, ingredi et cum monialibus ipsis conversari, ac refectionem corporalem sumere, dummodo neque tu neque dictae mulieres ibidem pernoctetis, libere et licite valeas, ex voto ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XXII. Augusti pontificatus nostri anno XII.

CLXIII.

Fit episcopus Segniae. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 350.

Romae apud s. Petrum die veneris 24. Ianuarii fuit consistorium secretum, in quo

SAnctissimus d. n. referente reverendiss. d. cardinali Baronio, fuit provisum ecclesiae Segninae vacan. per obitum Iacobi episcopi, de persona fratris Antonii ordinis minorum conventualium s. Francisci, absolvens etc. cum clausulis etc.

CLXIV.

Fit episcopus Bituntinen. Ex eisdem actibus pag. 370.

Romae in monte quirinali die mercurii 10. Septembris fuit consistorium secretum, in quo

SAnctissimus d. n. sanctitate sua proponente, providit ecclesiae Bituntin. in regno Neapolitano vacan. per obitum bon. mem. Flaminii eius ultimi episcopi, de persona fratris Hieronymi Palanterii ordinis s. Francisci conven-

Digitized by Google

tualium cum reservatione pensionis quadringentorum scutorum monetae romanae super fructibus etc. dictae mensae episcopalis pro reverendiss. d. cardinali Tarnusio absolvens. etc. cum clausulis etc.

CLXV.

Inducit recollectorum familiam in Belgicas provincias. Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 417.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRo iniuncto nobis apostolici muneris ratione de statu religiosorum quorumcumque qui sub voluntariae paupertatis habitu militantes in habitu humilitatis et spiritu Deo vota reddere satagunt, paterna charitate soliciti, constitutiones et ordinationes summorum pontificum ad eorum prosperum regimen et gubernium provide factas, nonnullis mutatis seu adiectis pro locorum et temporum qualitate libenter confirmamus, prout in Domino salubriter conspimus expedire. Nunc vero agnoscentes pro felici statu et gubernio fratrum reformatorum minorum s. Francisci de observantia provinciarum Belgicarum, Flandriae videlicet s. Andreae et Brabantiae alias Inferioris Germaniae plurimum expedire, ut nos praeinsertas literas huiusmodi quas pridem in favorem fratrum reformatorum Italiae confirmavimus, deinde ad reformatos regni Franciae extendimus, prout in nostris desuper expeditis literis etiam plenius continetur, ad ipsas quoque provincias in omnibus et per omnia (salvis infrascriptis limitationibus) extendamus, et praedictis provinciis confirmemus et innovemus. Eapropter eorumdem fratrum reformatorum dictarum provinciarum id humiliter exposcentium petitionibus annuendum duximus. Propterea omnes et singulos dictarum provinciarum fratres reformatos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Gregorii XIII. literas ac omnia in eis contenta (salvis limitationibus infrascriptis) ad ipsos fratres reformatos provinciarum supradictarum, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo extendimus et ampliamus, ac confirmamus et approbamus, et pro maiori praemissorum firmitate, prioribus nostris literis praedictis, quatenus ab aliquo obstent, specialiter et expresse derogamus. Caeterum quoad caput circa receptionem novitiorum per custodem faciendam, volumus et apostolica auctoritate concedimus, ut in dictis provinciis tantum, quoscumque novitios habitum dicti ordinis suscipere volentes, ad habitum huiusmodi extra capitulum custodiale iuxta formam literarum a nobis editarum sub datum die v. Septembris MDCII. in favorem custodum et fratrum reformatorum dicti ordinis in regno Franciae existentium, quae incipiunt *Ordinis vestri*, recipere valeant. Quas quidem literas tam quoad praemissa, quam quoad reliqua in illis contenta in omnibus et per omnia ad eosdem reformatos dictarum provinciarum et cuiuslibet earum extendimus perinde, ac si in illarum favorem nominatim editae fuissent. Quoad monasteria ipsis reformatis concedenda volumus, ut sint apta ad duodecim saltem fratres recipiendos et retinendos. Circa reservationem casuum servetur decretum a nobis super hoc editum. Quoad statuta et ordinationes de caetero faciendas, ultra ea quae in praedictis Gregorii literis disponuntur, volumus, ut nullo modo decretis per nos in nostra visitatione Urbis editis, neque aliorum summorum pontificum

praedecessorum nostrorum constitutionibus adversentur. Volumus etiam ut in singulis capitulis custodialibus aliquot graves et periti viri ex fratribus cuiuscumque custodiae saltem tres, qui una cum custode admittendos ad praedicationem verbi Dei vel audiendas confessiones, etiam ipsorummet fratrum et lectores publicos simul examinent, neque autem ad huiusmodi ministeria exercenda ab aliquo probentur aut admittantur. Horum etiam cura sit examinare, probare tam quoad doctrinam quam quoad mores, promovendos ad quosque ecclesiasticos ordines. Qua in re servetur decretum congregationis interpretum sac. concilii Trid. nuper editum et promulgatum. Hi vero examinatores in huiusmodi officio confirmari nequaquam possint, sed in singulis capitulis custodialibus alii semper de novo ad hoc munus obeundum eligantur. Si quando autem praedictos reformatos accedere contigerit ad loca ubi proprias habent domos seu conventus, volumus et praecipimus, ut ad conventus et domos illorum de familia quae in eisdem locis erunt, divertere aut hospitari nullo modo possint. Decernentes praemissa omnia et singula perpetua, valida, firma et efficacia esse et fore, et per praedictos fratres reformatos perpetuo observari debere. Praesentes quoque literas nullo tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu notari seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas censeri. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et s. r. e. cardinales, sublata eis etc. Quocirca ven. fratribus Coloniensi, Cameracensi, Mechliniensi archiepiscopis et dilecto filio nostro et apostolicae sedis in Inferiori Germania nuncio, necnon universis et singulis archiepiscopis, episcopis et ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque in dignitate ecclesiastica constitutis, per praesentes mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum reformatorum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos praemissis omnibus et singulis iuxta praesentium continentiam et tenorem pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per ministrum generalem aliosque praedictos quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xi. Iulii pontificatus nostri anno xii.

CLXVI.

Tollit abusum recipiendi maiorem partem eleemosynarum ab iis qui sepeliuntur in ecclesiis franciscanis Indiarum occidentalium. Ex bullar. Cherubini tom. 3. pag. 144.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXpositum nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum Matthaei de Recalde vice commissarii necnon provincialium totius ordinis fratrum s. Francisci de observantia Indiarum occidentalium, quod rectores parochialium eccle-

siarum Indiarum partium iampridem hunc abusum introduxerunt, ut quod eleemosynas duplo maiores ab iis qui in ecclesiis domorum eiusdem ordinis s. Francisci de observantia quam qui in parochialibus sepeliuntur, exigere praesumpserint, et ut dicitur, in hoc ordinariorum suorum qui partem eleemosynarum huiusmodi percipiunt, consilio et assensu.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, plerique christifideles in dictarum domorum ecclesiis ob difficultatem ius adeo onerosum persolvendi, sepelire se facere non possint, quo fit ut ecclesiae huiusmodi mortuorum sepulturis, et consequenter eleemosynis in dies fieri consuetis propemodum priventur.

§. 2. Idcirco pro parte eorumdem Matthaei vicecommissarii et provincialium nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur huiusmodi abusus omnino tollere, atque dicti ordinis commoditatibus et propagationi, quantumcumque in Domino possumus, prospicere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, omnibus et singulis parochialium ecclesiarum universarum Indiarum occidentalium rectoribus nunc et pro tempore existentibus harum serie interdicimus et prohibemus, ne sub excommunicationis maioris latae sententiae poena, a qua nonnisi a nobis seu romano pontifice pro tempore existenti, praeterquam in mortis articulo absolvi possint, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, maiorem eleemosynam ab iis qui in dictarum domorum quam parochialibus ecclesiis huiusmodi sepeliuntur, quovis praetextu aut occasione, etiam de consilio, consensu seu mandato suorum ordinariorum exigere debeant seu praesumant.

§. 4. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xxviii. Ianuarii pontificatus nostri anno xii.

CLXVII.

Ne auferantur vel occultentur bona a conventibus concessis fratribus reformatis. Idem ibid. pag. 146.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet romanum pontificem, ea quae pro indemnitate et utilitate ordinum, illorumque monasteriorum seu conventuum per superiores provide facta sunt, ut inviolate observentur, apostolicae firmitatis robore communiri. Cum itaque, sicut accepimus dilectus filius noster Hieronymus titulo s. Pancratii presbyter cardinalis Matthaeius nuncupatus totius ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia protector, pro omnium fratrum reformatorum eiusdem ordinis nunc et pro tempore ubilibet existentium indemnitate, utilitate et prosperitate infrascriptum decretum ediderit tenoris sequentis videlicet. Nos Hieronymus miseratione divina titulo s. Pancratii s. r. e. presbyter cardinalis Matthaeius totius ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia protector, corrector et gubernator. Cupientes indemnitati, utilitati et

prosperitati omnium fratrum strictioris observantiae reformatorum nuncupat. dicti ordinis nunc et pro tempore ubilibet existentium, ac in primis animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere ac providere, praesentis decreti vigore omnibus et singulis ministris provincialibus aliisque tam praelatis quam subditis nostrae protectioni et gubernio concreditis, in virtute sanctae obedientiae praecipimus ac mandamus, ne deinceps quis illorum, cum contigerit monasterium seu conventum aliquem pro reformatione introducenda, fratribus reformatis, ut praefertur, de mandato superiorum effective concedi, tradi ac assignari, sive antequam effective assignetur, de huiusmodi assignatione facienda notitiam quoquomodo habuerit, audeat vel praesumat per se vel alium quomodolibet directe vel indirecte, sub quovis praetextu aut quaesito colore detinere, auferre, abscondere, aut aliis sive intra sive extra ordinem tradere, aut secum deferre quidquam attinens vel pertinens, quovis titulo, modo, aut forma, ad publicam utilitatem, commoditatem et communitatem dictorum conventuum seu monasteriorum reformatis concedendorum, eorumque ecclesias, choros, sacristias, dormitoria, valetudinaria, cellas, bibliothecas, refectoria, cellaria, coquinas, aliasve officinas, vel ad alicuius officii functionem, aut ad ipsorum conventuum seu monasteriorum supellectilem, eleemosynas, scripturas vel libros spectans, nec ad id efficiendum, consilium, auxilium vel favorem alicui, directe vel indirecte, ut praedicitur, ullo modo praebere. Qui secus fecerit, eo ipso omnibus officiis, dignitatibus et honoribus ordinis, ac utraque voce in perpetuum privatus existat, et pro qualitate delicti carceribus etiam mancipetur, ac in subsidium poena excommunicationis mulctetur. Et ut nullus de praemissis ignorantiam praetendere valeat, sub eisdem poenis omnibus et singulis provinciarum ministris seu commissariis expresse mandamus, ut cum primum de huiusmodi nostro decreto transumptum habuerint, teneantur per omnes suarum provinciarum conventus illud cum effectu legi et publicari facere ac de publicatione huiusmodi nos statim certiores reddere. Et ita decernimus, statuimus et ordinamus, non solum isto, sed et omni alio meliori modo etc. In quorum etc. Datum Romae in palatio nostro die ultima mensis Iulii MDCII. Propterea nos, ut decretum praedictum deinceps observetur, providere volentes, praeinsertum decretum cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, siqui in eo intervenerint, supplemus, ac ab omnibus et singulis ministris provincialibus aliisque tam praelatis quam subditis dictae protectioni subiectis, sub poenis in praeinserto decreto contentis perpetuo observari ac in singulis capitulis provincialibus publicari debere, praecipimus et mandamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xxv. Iulii pontificatus nostri anno xii.

Digitized by Google

CLXVIII.

Praescribit normam pro construendis coenobiis regularium. Idem ibidem pag. 146.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam ad institutam regularium locorum et personarum reformationem promovendam et conservandam maxime pertinet, ut in quibusque domibus et monasteriis is tantus numerus religiosorum qui commode ibidem ali possit, contineatur, ac eo pariter spectat, ut in quibusque civitatibus et locis novae domus et monasteria praesertim mendicantium non erigantur, nisi in eisdem civitatibus et locis, aliorum domorum et monasteriorum in eis existentium habita ratione, commode sustentari posse dignoscatur.

§. 1. Hac igitur nos consideratione ducti et in praemissis pro nostro pastorali munere opportune providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine, ex voto etiam ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium praepositorum, harum serie declaramus, locorum ordinarios non posse licentiam ad novos conventus cuiusque mendicantium ordinis in civitatibus et locis eorum ordinariae iurisdictioni subiectis erigendos impertiri, nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium conventuum prioribus, seu procuratoribus et aliis interesse habentibus, et causa, servatis servandis, cognita constiterit, in eisdem civitatibus et locis novos huiusmodi erigendos conventus sine aliorum detrimento commode sustentari posse.

§. 2. Si vero ab eorum in huiusmodi causis, sententiis, ad nos et apostolicam sedem provocari et appellari contigerit, ipsos ordinarios tandiu erectionem novorum conventuum suspendere debere, quousque a nobis et apostolica sede in eadem causa pronunciatum extiterit, irritum nihilominus et inane decernentes, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Quocirca universis ven. fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis per praesentes in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut praesentes nostras literas observent et observari curent et faciant.

§. 4. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xxiii. Iulii pontificatus nostri anno xii.

CLXIX.

Applicat quaedam bona in regnis Hispaniarum olim minorum conventualium et fratrum tertii ordinis monialibus clarissis. De Gubernatis tom. 2. pag. 534.

Venerabili fratri archiepiscopo Toletano salutem et apostolicam benedictionem.

Dudum fel. rec. Pius papa v. praedecessor noster ordinem fratrum minorum conventualium in Hispaniarum regnis et provinciis in perpetuum extinxit, ac eos ad regularem observantiam reduxit ac bona tam mobilia quam immobilia, necnon fructus, reditus, proventus aliaqua iuris et emolumenta domorum eorumdem conventualium et etiam fratrum tertii ordinis s. Francisci dictorum regnorum et provinciarum, quae propter observantiae regulam ab illis possideri non possent, ab eisdem domibus perpetuo dismembravit et separavit, eademque monasteriis monialium eiusdem et s. Clarae ordinum in ipsis regnis et provinciis existentibus, quae bon. mem. Didacus presbyter cardinalis Spinosa nuncupatus nominaret et specificaret, perpetuo applicavit et appropriavit, prout in literis eiusdem Pii praedecessoris desuper expeditis plenius continetur. Et deinde quia dictus Didacus card. morte praeventus nonnulla monialium ordinum praedictorum monasteria nominanda, specificanda et exprimenda reliquit, Gregorius papa xiii. etiam praedecessor noster bonae similiter mem. Gasparem presbyterum cardinalem Quirogam nuncupat. in loco dicti Didaci card. ad hoc, ut ea monasteria quae superessent nominare et specificare, ac caetera omnia quae dictus Didacus card. vigore dictarum literarum facere poterat, et si non discessisset, nominare et specificare ac facere potuisset, illis tamen ecclesiis, domibus, locis, proprietatibus, bonis, rebus et actionibus quibuscumque eorumdem fratrum conventualium, de quibus aliter et quomodocumque ab ipsis Pio et Gregorio praedecessoribus eo usque dispositum esset, penitus exceptis et exclusis subrogavit, illique ad haec liberam facultatem et auctoritatem concessit, prout in aliis dicti Gregorii praedecessoris etiam continetur. Cum autem sicut accepimus, defuncto etiam praedicto Gaspare cardinali nonnulla adhuc monasteria specificanda, et multa ex bonis, reditibus, proventibus, iuribus et actionibus praedictis applicanda remanserint, nos ut dicti Pii praedecessoris intentio suum consequatur effectum, opportune providere volentes, ac singularum literarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus pro parte dilecti filii procuratoris generalis eiusdem ordinis s. Francisci de observantia nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, te modernum ac pro tempore existentem archiepiscopum Toletanum in locum Didaci et Gasparis cardinalium praedictorum, ad ea omnia et singula exequenda, quae dicti Didacus et Gaspar cardinales vigore literarum supradictarum exequi, facere et ordinare poterant, auctoritate apostolica tenore praesentium substituimus et subrogamus. Tibique eamdem ad praedicta exequenda, facienda et ordinanda facultatem et auctoritatem eisdem Didaco et Gaspare cardinalibus attributam auctoritatem, et tenore praesentium concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Tusculi die vi. Octobris pontificatus nostri anno xii.

CLXX.

Subiicit ministro generali fratres tertii ordinis in regno Galliarum.
Cocquelines tom. 5. part. 3. pag. 31.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis pastoralis muneris debito religiosorum quorumcumque statui prospere dirigendo libenter prospicimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

§. 1. Volentes igitur prospero statui et felici regimini fratrum tertii ordinis s. Francisci in regno Franciae existentium, quantum in Domino possumus, opportune prospicere, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac mera deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine, universos fratres dicti tertii ordinis s. Francisci regni Franciae eorumque conventus, seu domos quascumque, dilecto filio ministro generali ordinis s. Francisci de observantia, ac commissario generali ultramontanae familiae praedicti ordinis, necnon commissario generali nationali Franciae, quem praedictus minister generalis vel commissarius generalis pro tempore deputaverit, qui, ut accepimus, in ipsorum ministri et commissarii generalis absentia septem provincias dicti ordinis minorum de observantia regni Franciae gubernare solet, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo subiicimus: ipsisque ministro ac commissario generalibus ultramontanae familiae, necnon commissario generali nationali Franciae respective, ut eorum singuli per se vel alios sui ordinis fratres ad hoc idoneos ab eis respective deputandos, domos et conventus ac fratres tertii ordinis s. Francisci supradictos tam in capite, quam in membris visitare, corrigere, reformare et castigare, necnon electionem ministri provincialis, ut infra, faciendam, servata forma decretorum concilii Trid. facere et confirmare possint, facultatem concedimus et impertimur.

§. 2. Praeterea cum modo praedicti tertii ordinis fratres ministrum provincialem non habeant, volumus et eadem auctoritate statuimus et ordinamus, quod fratres praedicti tertii ordinis seu eorum conventuum superiores et alii vocales in unum congregentur iussu dicti ministri generalis ord. s. Francisci de observantia seu commissarii nationalis Franciae, et ex ipsis unum ministrum provincialem per vota secreta eligant, qui sic electus ab eodem ministro generali vel commissario nationali Franciae, aut alio qui eorum nomine huiusmodi electioni praefuerit, confirmari debeat, ac omnibus privilegiis, facultatibus et auctoritate super omnes dicti tertii ordinis conventus et fratres regni Franciae, quibus alii ministri provinciales aliarum provinciarum tertii ordinis s. Francisci huiusmodi ubilibet existen. frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua differentia frui et gaudere possit et debeat, prout ei ad hoc nominatim facultatem concedimus et impertimur.

§. 3. Volumus etiam, quod singulis biennis seu trienniis iidem fratres vocales tertii ordinis praedicti capitulum provinciale celebrent, ante eius celebrationem tunc existens minister eorum provincialis teneatur a dicto generali ministro fratrum de observantia, vel a commissario generali ultramontanae familiae, seu a commissario generali nationali Franciae eiusdem ordinis de ob-

servantia visitatorem petere, qui eorum provinciam visitet et electionem novi ministri provincialis, ut supra, faciat et confirmet.

§. 4. Verum si huiusmodi visitator intra duos aut tres menses ad summum non accesserit, supradicti fratres tertii ordinis ad celebrationem capituli et electionem novi ministri provincialis absque interventu dicti visitatoris procedere valeant; de qua electione visitatorem postea accedentem, qui eam confirmare teneatur, certiorem facere debeant. Sed si post factam huiusmodi electionem et dictis superioribus notificatam, electio praedicta intra sex menses ab eis confirmata vel infirmata non fuerit, ipsa electio apostolica auctoritate censeatur confirmata eo ipso.

§. 5. Decernentes sic et non aliter perpetuo observari debere ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus etc.

Datum Tusculi sub annulo piscatoris die II. Octobris pontificatus nostri anno XII.

CLXXI.

Confirmat quaedam statuta edita a ministro generali pro fratribus discalceatis provinciae Arrabidorum. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 339.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet romanum pontificem ea, quae per superiores ordinum regularium provide statuta sunt, ut ab eorum subditis observentur, confirmationis suae patrocinio communire, prout in Domino salubriter conspicit expedire. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius minister generalis fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia in visitatione provinciae Arrabidorum in regno Portugalliae fratrum eiusdem ordinis reperto, quod missa conventualis quotidiana non dicebatur hora consueta, neque cum assistentia fratrum, qui domi reperiebantur, de quo maior pars provinciae conquesta erat, statuerit et ordinaverit, ut singulis diebus sacerdoti dicenti missam conventualem hora consueta, voce alta vel submissa, ut eis placeret, fratres in choro adstantes responderent, ibique convenirent omnes qui domi essent, nec aliquod impedimentum legitimum haberent. Praeterea cum fratres dictae provinciae deformiter habitus repetiarent, videlicet cum storis ac pellibus etiam ovium vel aliis petiis diversi coloris, adeout vix figura et color habitus discerneretur, statuerit, ne similibus petiis exterius habitus repetiaretur, sed conformibus colori habitus, intus vero iuxta necessitatem et regulae permissionem. Cumque deferrent chordas difformes et valde grossas et coloris diversi, ordinaverit et mandaverit, ut chordae essent conformes, licet ad nutum eorum grossae esse possent, ac alias, prout in eisdem statutis continetur. Licet autem huiusmodi statuta iusta et rationabilia existant, quia tamen dicti fratres sub praetextu observationis regulae et consuetudinis antiquae ac aedificationis populi ab eorum observantia recedere recusant, nos ut eorum statuta de caetero observari debeant opportune providere volentes, ex voto ven. fratrum nostrorum s. r. e.

cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, statuta praedicta auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Mandantes in virtute sanctae obedientiae et sub praecepto formali fratribus dictae provinciae Arrabidorum, ut statuta praedicta de caetero inviolate perpetuo observent, nec praemissorum, aut alio quovis praetextu ab eorum observatione recedere audeant seu praesumant.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xx. Septembris pontificatus nostri anno xii.

CLXXII.

Absolvit a regimine monasterii s. Mariae Magdalenae non vero s. Clarae Neapolis Marcum a Marcianesio dominicanum et illius curam committit fratribus reformatis. Ex eod. reg. in mense Novembri pag. 148.

Dilectis filiis custodi et fratribus domus s. Clarae Neapolitan. ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia reformatorum.

Alias ex rationabilibus causis animum nostrum moventibus, dilecto filio Marco a Marcianesio congregationis s. Mariae Sanitatis fratrum reformatorum ordinis praedicatorum provinciae regni Neapolitan. vicario commisimus, ut monialium in monasterio b. Mariae Magdalenae Neapolitan. tunc et pro tempore degentium curam spiritualem susciperet, unumque ex religiosis professoribus sui ordinis fratrum praedicatorum ex reformatis provinciae regni Neapolitan. provectae aetatis, exemplaris vitae, bonae famae atque etiam doctrinae, singulo saltem triennio, postquam ab ordinario pro tempore examinatus et approbatus foret, et non aliter ad audiendas ipsarum monialium confessiones, eisque alia sacramenta, ut opus esset, ministrandum, necnon cappellanos pariter religiosos eiusdem congregationis reformatorum, quot essent necessarii deputaret et assignaret, ac alia faceret, prout in nostris desuper in forma brevis sub datum Romae die xxx. Septembris anni mdc. pontificatus nostri anno ix. expeditis literis continetur. Nunc autem ex aliis rationabilibus causis animum nostrum pariter moventibus ac supplicationibus pro parte dilecti filii nobilis viri Ioannis comitis Beneventi regni Neapolis pro-regis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictum Marcum a Marcianesio a cura praedicti monasterii absolventes, literasque praedictas expirare decernentes, vobis de quorum pietate, religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut earumdem monialium monasterii s. Mariae Magdalenae praedicti curam spiritualem suscipiatis unumque ex religiosis professoribus vestri ordinis fratrum reformatorum istius domus provectae aetatis, exemplaris vitae, bonae famae atque etiam doctrinae, singulo saltem triennio mutandum, postquam ab ordinario pro tempore examinatus et approbatus fuerit et non aliter, ad audiendum ipsarum monialium confessiones, eisque alia sacramenta, ut opus esset, ministrandum, necnon cappellanos pariter religiosos eiusdem congregationis reformatorum, quot essent necessarii deputatis et assignatis, quod a vobis diligenter fieri cupimus ita, ut diligentiam et pietatem vestram cum

sincerae religionis zelo in hoc merito collaudare possimus. Monialibus vero praedictis, ut vobis pareant et obediant per easdem praesentes praecipimus et mandamus. Volumus autem ut archiepiscopo Neapolitan. pro tempore existenti salvum et reservatum sit omne ius tam ex iuris communis dispositione, quam ex s. concilii Trid. decretis et summorum pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus locorum ordinariis super huiusmodi monialium monasteriis regularium curae commissis, praesertim in his quae ad clausurae custodiam pertinent, competens ita, ut etiam facultas concedendi licentiam quibuscumque personis cuiusvis status et ordinis, etiam regularibus, praeterquam tibi, fili custos, ac confessario pro tempore designando, tam ingrediendi huiusmodi monasterii clausuram etiam ex causa urgenti et necessaria, quam accedendi ad locum collocutionum, exceptis etiam cappellanis, sic ut praemittitur, ad celebrationem missarum deputandis, quoad accessum ad ipsum ordinarium spectat; quibus sine licentiis, antequam executioni demandentur, tuus et filii custodis et successorum tuorum consensus accedat. Volumus etiam ut postquam confessarius earumdem monialium confessiones audierit, et cappellani praedicti missas celebraverint, ipsi ibi non pernoctent nec cibum capiant, sed ad propriam domum regularem civitatis Neapolitan. se recipere habeant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die x. Novembris pontificatus nostri anno xii.

CLXXIII.

Transfert ab ecclesiis monialium satisfactiones legatorum ad ecclesiam fratrum minorum de observantia. Ex bullar. Cherubini tom. 3. pag. 155.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii cui, disponente Domino, meritis licet imparibus praesidemus, ad ea libenter intendimus, quae ad regularium personarum statum et quietem ac spiritualem consolationem pertinere dignoscimus.

§. 1. Sane sicut accepimus, cum in totius Italiae caeterisque cismontanis regionibus et praesertim in Gallia Cisalpina plurima sanctimonialium monasteria sub cura, regimine et correctione dilectorum filiorum fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupat. reperiantur, quibus quamplurima missarum onera ex diversis piorum dispositionibus et legatis incumbunt, quae cum per fratres eiusdem ordinis in ecclesiis monialium celebrari soleant, hinc fit, ut non solum ecclesiae fratrum debito servitio destitutae saepius remaneant, sed fratres ipsi exinde per civitates cum saecularium scandalo vagandi, necnon cum eisdem sanctimonialibus magis frequenter et crebrius, quam deceat, conversandi occasionem sumant.

§. 2. Quibus omnibus quantum cum Domino possumus occurrere volentes, ex ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium congregationis episcoporum et regularium voto, onera huiusmodi missarum ab ecclesiis singulis monialium in ecclesiis fratrum eiusdem ordinis in locis eisdem respective existentibus, auctoritate apostolica tenore praesentium transferimus.

§. 3. Volumus tamen ut remaneant ipsis monasteriis monialium omnes annuae perpetuae seu temporales praestationes, legata, reditus ac bona quae-

cumque pro dictis oneribus data seu relicta, ant in posterum relinquenda ita, ut moniales non teneantur ullo unquam tempore solvere fratribus nec ipsi fratres recipere possint pro celebratione missarum, nisi id quod dari solet pro regionis et cuiusque loci more et consuetudine pro eleemosyna unius vel plurium respective missarum.

§. 4. Volumus etiam ut pro monialium servitio in monasteriis in quibus numerum octuaginta excedunt, missae duae in diebus feriatis, tres vero in diebus dominicis et festivis, et in monasteriis in quibus minor quinquaginta monialium numerus existat, missa una in diebus feriatis, duae vero dominicis et festivis per fratres eiusdem ordinis celebrari debent; reliquas vero missas dispositionibus et legatis praedictis, monialibus quomodolibet incumbentes, in ecclesiis fratrum in futurum perpetuis futuris temporibus, assignata et tradita, ut supra, ipsis fratribus debita eleemosyna, per eosdem celebrari volumus, non obstantibus testatorum legantium aut alias disponentium voluntatibus, quas ad hunc effectum specialiter commutamus.

§. 5. Praecipientes nihilominus eisdem fratribus sub privationis vocis activae et passivae, perpetuaeque inhabilitatis poena, ne ad monasteria monialium, praeterquam ad celebrandas missas praedictas de superiorum licentia, et in diebus festivitatum monasteriorum huiusmodi, vel tempore receptionis et professionis novitiarum, sive obitus alicuius monialis pro funere et officio, ut moris est, peragendo, ullo modo et sub quovis praetextu vel colore accedere audeant sive praesumant. Prohibentesque ministro generali et aliis eorum superioribus, ne huiusmodi licentias concedere possint, nisi ad effectum praedictum, et in caeteris firmo remanente decreto congregationis s. r. e. cardinalium super negotiis regularium praepositae, quo prohibetur ne regulares accedant ad monasteria monialium sine speciali licentia eiusdem congregationis; et eisdem etiam superioribus mandantes, ne ad missas celebrandas et alia praedicta adimplenda, nisi fratres provectae aetatis et probatae vitae mittant.

§. 6. Decernentes monasteria monialium praedicta occasione translationis huiusmodi missarum per locorum ordinarios aut alios quoscumque molestari vel perturbari nullatenus posse.

§. 7. Praesentesque literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu quovis alio defectu notari posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet etc.

§. 8. Quocirca dilectis filiis curiae causarum camerae apostolicae generali auditori et locorum ordinariis per praesentes districte praecipimus et mandamus, ut ipsi vel alter eorum, per se vel alium seu alios etc. Contradictores etc.

§. 9. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die viii. Novembris pontificatus nostri anno xii.

CLXXIV.

Tribuit facultatem episcopo Forolivien. transferendi imaginem et pium legatum. Ex reg. secr. brevium in mense Martio pag. 86.

Venerabili fratri episcopo Forolivien. seu dilecto filio eius in spiritualibus vicario generali salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii haeredes quondam Antonii a Cura, dum vixit, laici Faventin. nobis nuper exponi fecerunt, quod superioribus annis praedictus Antonius quoddam altare cum imagine et ornamentis s. Ioannis Baptistae in ecclesia s. Hieronymi ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia extra portam montanariam nuncupatam Faventio. fundavit, ac in eius ultimo testamento ordinavit, ut quolibet anno in perpetuum dictis fratribus octo staria frumenti et octo vigetus vini, ut una missa quotidiana pro anima ipsius testatoris in dicto altare celebraretur, a suis haeredibus tribuerentur, prout semper hactenus observatum fuit. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, nuper in conventu praedictae ecclesiae s. Hieronymi patres reformati eiusdem ordinis minorum s. Francisci de observantia ad habitandum venerint, ac omnia legata eiusdem ecclesiae relicta recusaverint et renunciaverint, et praeterea quaedam eiusdem ecclesiae altaria tamquam eorum regularibus institutis non conformia, et inter alia praedictum altare s. Ioannis Baptistae deleverint, ipsi exponentes, ut legatum praedicto Antonio relictum, effectum omnino sortiatur, cupiunt imaginem et alia ornamenta dicti altaris cum eodem legato et onere ad ecclesiam b. Mariae Paradisi nuncupatam fratrum tertii ordinis s. Francisci extra portam Imolen. eiusdem civitatis Faventin. transferre licite posse. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut opportunam ad hoc licentiam illis concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur certam de praemissis notitiam non habentes, ac eosdem exponentes a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, quia sedis episcopalis Faventin. ad praesens vacet, tibi ordinario viciniori per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi preces veritate niti repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, eisdem haeredibus imaginem praedictam et alia ornamenta dicti altaris cum eodem legato et onere ex praedicta ecclesia s. Hieronymi ad ecclesiam b. Mariae Paradisi praefatam, transferendi licentiam auctoritate nostra apostolica concedas.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die vi. Martii pontificatus nostri anno xii.

CLXXV.

Aliam similem facultatem ei attribuit. Ibidem in eodem mense Martio pag. 90.

Venerabili fratri episcopo Forolivien. seu dilecto filio eius in spiritualibus vicario generali salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecta in Christo filia Lucretia relicta quondam Dominici Calbetti, dum vixit, laici Faventin. et dilectus filius Ioannes Baptista Calbettus eiusdem Dominici natus nobis nuper exponi fecerunt, quod de anno MDXCIII. praedictus Dominicus quoddam altare cum imagine et ornamentis sub titulo Assumptionis b. Mariae in ecclesia fratrum minorum s. Francisci de observantia extra portam montanariam nuncupatam Faventin. fundavit, ac in eius ultimo testamento ordinavit, ut quolibet anno in perpetuum dictis fratribus una solma vini albi de Monte, et tantum olei quantum sufficeret ad unam lampadem continuo ante praedictum altare accensam retinendam, a suis haeredibus tribueretur, prout semper hactenus observatum fuit. Cum autem etc. (ut supra n. CLXXIV.) et inter alia praedictum altare Assumptionis deleverint, ipsi exponentes, ut legatum a praedicto Dominico relictum effectum omnino sortiatur etc. (ut supra ibid.) super quo tuam conscientiam oneramus, eisdem Lucretiae et Ioanni Baptistae imaginem praedictam Assumptionis, et alia ornamenta dicti altaris cum eodem legato et onere ex praedicta ecclesia s. Hieronymi ad ecclesiam b. Mariae Paradisi praefatam, transferendi licentiam auctoritate nostra apostolica concedas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die VII. Martii pontificatus nostri anno XII.

CLXXVI.

Ut Franciscus Agliata laicus Panormitanus duo mortuorum corpora transferat in ecclesiam minorum observantium Villaefranchae. Ex eodem reg. in mense Maio pag. 375.

Dilecto filio Francisco Agliatae laico Panormitan. salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi nobis nuper fecisti, quod quondam Emilia Agliata de anno MDXCVI. in eius ultimo testamento, in quo te eius nepotem haeredem universalem instituit, inter alia ordinavit, quod tu infra tres annos post eius obitum tenereris fabricari facere unam ecclesiam cum conventu pro fratribus ordinis minorum s. Francisci de observantia in baronia Villaefranchae, ad quam ecclesiam postea deberes transportari facere tuis impensis cadavera ipsius Emiliae testatricis quondam Hieronymi Lanze ipsius Emiliae, dum vixit, mariti, et in eventum in quem intra dictum tempus conventum praedictum fabricari non faceres, tenereris in ecclesia b. Mariae Angelorum Panormitan. unam cappellam marmoream cum duobus sepulcris marmoreis, alterum pro ipsius Emiliae et alterum pro dicti Hieronymi eius mariti cadaveribus fabricari facere, cui cappellae reditum annuum septuagintaquinque ducatorum perpetuorum pro missis

in ea quotidie celebrandis, et duas mensuras *cantara* nuncupatas olei pro lampade annuatim reliquit. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, tu praedictum conventum in baronia praedicta Villaefranchae intra tempus praefixum, quia licentiam a superioribus dicti ordinis obtinere nequivisti, fabricari facere non potueris, sed obtenta post unum annum a fine temporis praefixi dicta licentia, ecclesiam et conventum praedictos iam fabricari et de ornamentis aliisque necessariis provideri feceris, nuncque cupias pro implemento voluntatis dictae testatricis cadavera praedicta ad ecclesiam praedictam iam constitutam transferri facere, ideo nobis humiliter supplicari fecisti, ut opportunam ad hoc licentiam et facultatem tibi concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut cadavera praedicta ex dicta ecclesia s. Mariae Angelorum, in qua, ut asseris, deposita reperiuntur, ad praedictam ecclesiam per te in baronia praedicta Villaefranchae constitutam fratrum minorum de observantia, salvis tamen iuribus parochialibus, et de consensu parochi dictae ecclesiae s. Mariae Angelorum, et sine praeiudicio illius ecclesiae, transferri facere libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxvii. Maii pontificatus nostri anno xii.

CLXXVII.

Committit notam omnium legatorum existentium in ecclesiis fratrum reformatorum in regno Neapolis. Ex reg. secr. brev. in mense Iunio pag. 285.

Dilecto filio Simeoni de Diano fratri ordinis minorum s. Francisci reformatorum nuncupat. salutem et apostolicam benedictionem.

Cum tu qui secretarius reformationis ordinis fratrum minorum s. Francisci reformatorum nuncupat. in regno Neapolis existis, nobis nuper significaveris visitatorem locorum reformatorum dicti regni in visitatione per eum novissime facta comperisse, in ecclesiis domorum fratrum reformatorum quamplurimas cappellas seu altaria existere, ad quae sive piorum legatorum, sive alio iure diversi annui reditus partim in censibus, partim in bonis stabilibus consistentes pertinent, et quia fratres tui ordinis reformatorum, qui nunc dictas ecclesias possident, huiusmodi reditum et legatorum incapaces existunt, et propterea dictus reditus et legata expresse renunciarunt, reditus et bona praefata a patronis cappellarum, seu aliis personis laicis detinentur indebite occupata in eorum animarum perniciem et ecclesiarum detrimentum, nos quibus ex pastoralis nostri muneris debito ea cura praecipue incumbit, ut bona ecclesiastica illaesa conserventur, et christifidelium animarum saluti opportune consulatur, de tua fide, integritate et deligentia plurimum in Domino confisi, per praesentes committimus et mandamus, ut in prima visitatione conventuum eiusdem ordinis provinciarum Neapolis, Principatus, Basilicatae, Calabriae, Septem Martyrum, s. Nicolai, s. Angeli et s. Bernardini propediem facienda, singularum cappellarum et altarium in quibuslibet fratrum eiusdem ordinis ecclesiis existentium, ad quos et ad quae aliqui reditus annui in quibuscumque rebus consistentes quocumque modo pertineant, necnon quorumcumque etiam piorum legatorum cappellis et altaribus, seu ipsismet ecclesiis et conventibus quomo-

dolibet relictorum notam et descriptionem diligenter recipias, et in libellum particularem redigas, illumque accurate compilatum sub authentica forma ad nos postea transmittas, et ad hunc effectum quascumque personas tam ecclesiasticas quam regulares, quavis dignitate et auctoritate fungentes auctoritate nostra commoneas, eisque sub excommunicationis et aliis ecclesiasticis censuris et poenis praecipias, ut redituum et bonorum praedictorum, quorum notitiam quovis modo habuerint, notam tibi fideliter revelent. Quocirca ven. fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis, eorumque vicariis in spiritualibus generalibus per praesentes committimus et mandamus, ut quiquam eorum tibi in praemissis assistant et opportunum favorem et auxilium praestent et exhibeant, contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obst. etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XXI. Iunii pontificatus nostri anno XII.

CLXXVIII.

Mittit commissarium apostolicum visitatorem in provinciam Candiae Franciscum Belgioioso. Ex eodem reg. in mense Decembri pag. 98.

Dilecto filio Francisco Belgioioso commissario generali ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

De statu monasteriorum et locorum regularium tam virorum quam mulierum tui ordinis in provincia Candiae consistentium prospere dirigendo pro nostro pastorali munere soliciti, ac de tua prudentia, fide, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, tibi, ut per te vel alium, sive alios a te eligendum vel eligendos tui ordinis fratres pietate, prudentia et doctrina praestantes, tamquam nostrae et apostolicae sedis delegatus, quaecumque tam virorum quam mulierum monasteria, ecclesias, conventus et loca regularia dicti ordinis s. Francisci in dicta provincia consistentia, etiam exempta ac nobis et apostolicae sedis immediate subiecta, eorumque abbates, superiores, fratres, abbatissas et alias quascumque utriusque sexus personas regulares semel tantum visitare, ac tam in capite quam in membris corrigere et reformare, ac in singulorum vitam, ritus, mores et disciplinam diligenter inquirere, necnon evangelicae doctrinae sacrorumque canonum et conciliorum generalium decretis, ss. patrum traditionibus ac regularibus eiusdem ordinis institutis inhaerendo, quaecumque mutatione, correctione, reformatione, emendatione, revocatione, renovatione aut etiam ex integro editione indigere cognoveris, mutare, corrigere, reformare, emendare, revocare, renovare et de novo constituere, condita sacris canonibus, et concilii Trid. decretis non repugnantia confirmare, abusus quoscumque tollere, bonas et laudabiles institutiones ac in primis divinum cultum, monasticam disciplinam et observantiam regularem ubicumque exciderint, modis congruis restituere, sanctimoniales quascumque ad regularis clausurae formam, ac omnes et singulas utriusque sexus personas regulares ad debitum et honestum vitae modum reducere; si aliquos in aliquo delinquentes repereris, eos iuxta canonicas sanctiones et eorum regularia instituta punire et castigare; quaecumque vero graviora repereris, ea in scriptis redacta ad nos diligenter deferri facere; contradictores quoslibet et rebelles eisque auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio prae-

stantes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et conditionis fuerint per privationis dignitatum et officiorum per eos obtentorum ac inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, necnon pecuniarias et quascumque alias arbitrio tuo imponendas et infligendas poenas, ac demum per censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, quibuscumque exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, appellationibus, protestationibus et aliis subterfugiis prorsus cessantibus et postpositis compescere, ac legitimis super his habendis servatis processibus, poenas et censuras ipsas etiam iteratis vicibus aggravare, interdictum ecclesiasticum apponere, ac etiam si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocare, omniaque alia quae visitationem et reformationem concernunt, pro monasteriorum, ecclesiarum, conventuum et locorum regularium eiusdem ordinis in dicta provincia consistentium prospero statu dirigendo necessaria et opportuna facere et exequi possis et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium plenam, liberam et amplam facultatem et potestatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die III. Decembris pontificatus nostri anno XII.

CLXXIX.

Deputat commissarium visitatorem in provinciam Ragusiae Petrum ab Arcu ex minoritis reformatis. Ex eodem reg. in mense Octobri pag. 170.

Dilecto filio Petro ab Arcu fratri ordinis s. Francisci strictioris observantiae reformatorum nuncupat. in provinciam Ragusiae commissario et visitatori apostolico salutem et apostolicam benedictionem.

Cupientes, ut in domibus, monasteriis et conventibus fratrum ordinis s. Francisci de observantia in provincia Ragusiae existentibus, debita observantia iuxta puritatem regulae ipsius s. Francisci et constitutionem nostram in forma brevis, quae incipit *Pro iniuncti* sub datum Tusculi die XII. Octobris MDXCVI. quam ea de re edidimus ac in Italia primum promulgari et observari iussimus, ac deinde ad alias partes extendimus, cuius tenorem praesentibus pro expresso in omnibus et singulis in ea contentis haberi volumus, Deo dante introducatur, cum praecipue reformationem huiusmodi ac memoratae constitutionis extensionem ad dictam Ragusiae provinciam dilecti filii Georgius Gezzius et Marinus Gondio apud nos nomine reipublicae Ragusinae oratores humili supplicatione a nobis flagitaverint, oc de tua prudentia, fide, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, te in dicta provincia Ragusiae commissarium et visitatorem apostolicum ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum facimus, constituimus et deputamus, atque ut ad dictam provinciam una cum tui ordinis fratribus in auxilium dictae reformationis plantandae et introducendae, sive per dilectos filios praelatos visitationis nostrae apostolicae tibi assignandis, sive per te eligendis te conferas, quatenus in memoratae provinciae domibus, monasteriis et conventibus debitam observantiam, ut praefertur, ad praescriptum praedictae constitutionis nostrae, quam in omnibus et singulis in ea contentis ad dictam provinciam Ragusiae de verbo ad verbum extendimus, et iuxta ipsius literam et formam, prout iacet, observari volumus, introducere et introductam confovere auctoritate nostra cures, tam tibi quam ipsis cum sanctae obedientiae merito per praesentes iniungimus et mandamus. Et ut commodius hoc facere valeas, volumus et auctoritate apostolica tenore praesentium praecipimus, et cum pri-

54*

mum ad dictam provinciam et civitatem Ragusiae appuleris, conventus seu monasterium cum ecclesia sub titulo s. Francisci eiusdem ordinis dictorum fratrum in eadem civitate Ragusiae existens, una cum omnibus supellectilibus spectantibus ad ipsius monasterii ecclesiam, chorum, sacristiam, dormitorium, refectorium aliasque officinas eiusdem monasterii, prout in decreto a dilecto filio nostro Hieronyme cardinali Matthaeo dicti ordinis protectore edito, et a nobis per nostras literas in forma brevis nuper approbato plenius continetur, fideliter et effective, omni excusatione, tergiversatione et mora postpositis, tibi per ministrum provincialem seu commissarium, vel guardianum aut alios superiores eiusdem provinciae vel conventus, quocumque nomine nuncupatos ad supradictam reformationem introducendam relinquatur, detur, tradatur et assignetur. Deinde tu domui et conventui huiusmodi guardianum patrum reformatorum per te eligendorum maturitate, consilio et reformationis zelo praestantium accedente consensu instituas et perficias, qui custodis vices in omnibus et per omnia etiam in foro conscientiae gerat, donec, Deo favente, custos iuxta constitutionem nostram praelibatam ac aliarum custodiarum fratrum reformatorum usum per eosdem fratres reformatos cuiuscumque custodiae vel provinciae inibi, Ragusiae scilicet existentes, qui etiam dum ibidem permanebunt eiusdem provinciae alumni in omnibus censebuntur, canonice eligi possit. Quas quidem vices et facultates restringere atque aliis in toto vel in parte committere prout secundum Deum magis expedire videbitur, libere valeas. Dantes tibi insuper plenam, liberam et amplam potestatem et auctoritatem tam supradicta, quam alia omnia et singula, quae tibi ad dictam reformationem perpetuo stabiliendam atque firmandam, et ad prosperum statum et felix gubernium dictorum fratrum reformatorum spectare videbuntur, tam in capitulo seu congregatione capitulari, quam extra statuendi ac ordinandi, ac demum illamet potestatem et iurisdictionem etiam in fore conscientiae, easdem praerogativas et gratias, quas per supradictam nostram concessionem dilectis filiis custodibus reformatorum super easdem suas custodias et fratres dedimus et concessimus; contradictores et quoscumque vel inobedientes, aut alias executionem tuae commissionis et visitationis perturbantes, aut quomodolibet etiam directe vel indirecte impedientes, auctoritate nostra praedicta per excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliasque ecclesiasticas sententias, censuras et poenas, ac per alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita cogendi et compellendi, eosque censuris huiusmodi alligatos declarandi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, ac eosdem (si veniam humiliter petierint) a censuris et poenis eisdem in toto vel in parte, ac iniuncta illis poenitentia salutari, prout tibi videbitur, absolvendi, caeteraque in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria vel opportuna faciendi, gerendi, mandandi et exequendi. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae et privationis omnium officiorum ipso facto incurrenda, aliisque arbitrii nostri poenis, ministro provinciali seu commissario ac guardianis et fratribus, tam de familia quam reformatis dictae provinciae Ragusiae, quatenus tibi tamquam nostro et huius sanctae sedis commissario apostolico in praemissis omnibus et singulis prompte assistant, faveant et obediant, alioquin sententias et poenas, quas in eos rite tuleris, ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari. Non obstantibus etc.

Datum Tusculi die xii. Octobris pontificatus nostri anno xii.

CLXXX.

Ludovicus Benost fit episcopus. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 398.

Romae in monte quirinali die veneris 1. Octobris fuit consistorium secretum, in quo

SAnctissimus d. n. referente reverendiss. cardinali de Giury, ad nominationem christianissimi regis providit monasterio s. Carammi ordinis s. Augustini Carnoton. dioecesis vacan. per obitum bon. mem. Laurentii ultimi abbatis de persona r. p. Ludovici Benost fratris ordinis minorum observantium cum clausulis etc.

CLXXXI.

Ut transferantur quatuor moniales ad novum monasterium de Reole. Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 91.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, sicut accepimus, in oppido civitatis nuncupato de Reole Sarlaten. dioecesis in provincia Burdigalen. ex eleemosynis diversorum particularium piorum et catholicorum eiusdem oppidi erectum fuerit monasterium monialium ordinis s. Clarae, et eidem pro habitatione et sustentatione duodecim monialium commoda et honesta assignatio facta extiterit, in dicto tamen oppido aliae moniales non adsint, quae in praedictum novum monasterium vitam regularem et vitam monasticam introducere possint, et propterea nobis pro parte fundatorum ipsius monasterii humiliter supplicatum fuerit, ut licentiam educendi ad praedictum novum monasterium ex monasterio Annuntiationis b. Mariae Burdigalen. eiusdem ordinis tres moniales, quae id facere possint, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos eorum piis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et quemlibet eorum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto ven. fratrum nostrorum s. romanae e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, ut accedente consensu superioris ordinarii eiusdem monasterii, ex quo moniales extrahendae sunt, et abbatissae et conventus ipsarum monialium educendarum duae vel tres moniales ad introducendam in praedicto novo monasterio vitam et regulam monasticam idoneae educi, et ad ipsum novum monasterium honesto comitatu arbitrio ordinariorum locorum associatae educi valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die VIII. Iulii pontificatus nostri anno XIII.

Digitized by Google

CLXXXII.

Pro aedificatione conventus in oppido Bizesciae. Ex reg. secr. brev. lib. 9. divers. pag. 650.

Venerabili fratri archiepiscopo Gnesnen. salutem et apostolicam benedictionem.

EXponi nobis nuper fecit ven. frater Martinus Sisconius episcopus Luceorien. quod superioribus annis tempore eius antecessorum quondam Elisabetha de Ostrog olim palatina Vilnen. ecclesiam de Vegrovv Luceorien. dioecesis duo millia aureorum hungaricalium et octoginta florenos polonicales donavit, quae pecuniarum summa ab aliis hucusque detinetur. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, in oppido Bizescie, quod fere totum ex hominibus graecae fidei constat, tanta sit necessitas et utilitas erigendi monasterium fratrum minorum s. Francisci de observantia, ut si praedictae pecuniae in usu dictae ecclesiae de Vegrovv destinatae, quae cum in omnibus bene dotata et provisa sit, illis non indiget, in dicti monasterii extructionem converterentur, ex hoc profecto christifidelium dicti oppidi spirituali consolationi, commodo et animarum saluti, divinique cultus augmento plurimum consuleretur. Quare dictus Martinus episcopus nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ad ea, quae divini cultus augmentum et animarum salutem respiciunt, pro nostro pastorali munere favorabiliter attendentes, fraternitati tuae de cuius fide, prudentia et integritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut quascumque personas cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae tam ecclesiasticas quam saeculares huiusmodi pecunias indebite occupatas detinentes, ad earumdem pecuniarum restitutionem et assignationem per censuras et poenas ecclesiasticas arbitrio tuo imponendas, aliaque opportuna iuris et facti remedia auctoritate nostra apostolica cogas et compellas, illasque in extructionem et fabricam praedicti monasterii de novo faciendam per dictum episcopum converti cures et facias, super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam per praesentes facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur. Non obstantibus voluntatem dictae Elisabethae, quam ad hunc effectum specialiter commutamus, ac quibusvis constitutionibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xvi. Septembris pontificatus nostri anno xiii.

CLXXXIII.

Pro fratribus coenobii Pfreimbd. Ex Vigilio Greiderer tom. 2. pag. 291.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm alias, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Ludovicus Landravius de Leictenberg s. r. i. princeps pio zelo et affectu erga ordinem fratrum minorum de observantia in oppido Pfreimbd Ratisbonensis dioecesis, quod dominio eius temporali subest, unam domum sub invocatione sibi bene visa et

ad guardiani et competentis numeri religiosorum dicti ordinis, proprio sumptu suo construi curavisset, sicque constructum dicto ordini sub certis modis et forma tunc forsan expressis perpetuo dedisset et concessisset. Ex religiosorum vero ibidem degentium salutari disciplina et exemplari vita, ac spiritualibus ministeriis et exercitiis, praesertim in christifidelium confessionibus audiendis, ac verbi Dei praedicationibus habendis, dilectorum etiam filiorum universitatis et hominum praedicti oppidi spirituali consolationi et profectui, animarumque saluti non mediocriter consultum esset, facile vero evenire posset, ut ob annonae penuriam et temporum calamitates, vel etiam refrigescente fidelium charitate et devotione, ac finitimis circumvicinis populis haeretica pravitate pollutis et infectis, eleemosynae per fratres dictae domus, qui ex dicto ordinis instituto bona propria possidere prohibentur, in praedicto oppido et illius districtu colligendae ad eorum sustentationem non sufficere, ipsique rebus necessariis destituti ibidem permanere, et divino cultui et aliis fructuosis ministeriis et functionibus praedictis vacare nequirent; postmodum universitas et homines praedicti id pie perpendentes, ac necessitatibus et periculis huiusmodi tempestive occurrere desiderantes, unanimi consensu statuerunt et decreverunt, quod ex eorum propriis vel communis aerarii seu publicis reditibus provenientibus, fructibus, obventionibus et emolumentis inopiam et necessitatem pro tempore occurrentes dictae domus illiusque guardiani et fratrum pro tempore existentium sublevare, ac quaecumque pro eorum sustentatione et manutentione necessaria et in pane, farina, grano, vino, oleo, esculentis et poculentis, pecunia et aliis rebus ad vitae subsidium divinique cultus, necnon dictae domus illius ecclesiae, sacristiae et fabricae usum quomodolibet pertinentibus consistentia, ipsis charitative conferre et subministrare, ac de eisdem providere tenerentur, seque et sua necnon dicti communis aerarii bona, ac eorum fructus, reditus et proventus, iura, obventiones, emolumenta quaecumque ad id per suos syndicos et deputatos realiter et efficaciter obligarunt et hypothecarunt, prout in publicis confectis instrumentis plenius continetur. Cum autem aequum sit et pium, ut personis quibuslibet, et praesertim iis qui voluntaria paupertate suscepta sub suavi religionis iugo divinis obsequiis et laudibus se manciparunt, opportunae subventionis auxilia ad eorum necessitates sublevandas benigne subministrarentur, nos igitur volentes universitatem et homines praedictos in hoc pio et laudabili proposito confovere, simulque conscientiae dictorum religiosorum, ne eis scrupulus inde suboriatur, securitati providere, ac alias desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponere, motu proprio et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine statutum, et decretum huiusmodi ac desuper confectas scripturas ac in eis contenta quaecumque, cum omnibus et singulis inde sequutis et sequendis (absque eo tamen quod penes universitatem et homines praedictos ius aliquod in conventu vel regularibus personis resideat) auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti, ac solemnitatum de iure, usu, consuetudine aut alias quomodolibet requisitarum vel necessariarum, aut quosvis alios, et quantumvis substantiales defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint, supplemus, ac statutum et decretum et alia praemissa perpetuo valida et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos nunc quomodolibet spectat et spectare poterit quomodolibet in futurum, perpetuo, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri, ab illisque nullo unquam tempore recedi vel resiliri de-

bere et posse, sicque per quoscumque iudices etc. Et nihilominus guardiano et fratribus praedictis eleemosynas, oblationes et charitativa subsidia huiusmodi eis per dictos universitatem et homines sic pro tempore eroganda, absque ullo conscientiae scrupulo, aut alicuius poenae vel censurae ecclesiasticae incursu recipere ac in suos usus communes, necnon domus, ecclesiae, sacristiae et fabricae praedictorum usus et necessitates convertere, et tenore praesentis permittimus et indulgemus, plenamque et liberam licentiam et facultatem desuper tribuimus et elargimur, et praesentes literas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, moderationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos seu quoscumque alios romanos pontifices antecessores nostros, ac sedem apostolicam vel illius etiam de latere legatos seu nuntios pro tempore factis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo antea erant, statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac etiam sub quacumque posteriori data per guardianum et fratres praedictos quandocumque eligenda de novo concessas, ac semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere similiter decernimus. Quocirca ven. fratribus Ratisbonensibus, Olomucen. et Augustan. episcopis per praesentes committimus et mandamus, ut ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praesentes literas et in eis contenta, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte guardiani et fratrum praedictorum aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes etc. appellatione postposita etc. Invocato etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die I. Iulii pontificatus nostri anno XIII.

CLXXXIV.

Ut Erigatur coenobium in oppido Praesitii. Ex reg. secr. brev. in mense Iunio pag. 283.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto etc. Cum itaque, sicut accepimus, ven. Petrus episcopus Ugentinen. de consensu dilectorum filiorum capituli et canonicorum cathedralis ecclesiae Ugentinen. ecclesiam s. Mariae de Angelis in territorio Putei Magni nuncupato prope oppidum Praesitii Ugentin. dioecesis minime collativam, ac fructibus carentem fratribus ordinis minorum reformatorum s. Francisci pro erigendo ibidem uno eorum conventu per eius literas patentes, reservato nostro et apostolicae sedis beneplacito, concesserit, ut in praedictis literis contineri dicitur. Cumque dilecti filii custos et fratres provinciae s. Nicolai eiusdem ordinis intra quam praedictus conventus continebitur, cupiant pro maiori dictae ecclesiae concessionis validitate illam apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum quemlibet a qui-

Digitized by Google

bsvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem praedictam per dictum episcopum, ut praefertur, nobis factam ac eius literas patentes ac omnia et singula in illis contenta, dummodo forma concessionis nostrae super receptione monasteriorum nuper edita servata fuerit, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, et omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, ac concessionem praedictam validam, firmam et efficacem existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac vobis custodi et fratribus praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, illisque desuper a quoquam quavis auctoritate super huiusmodi concessione molestari, perturbari vel inquietari minime posse decernimus et declaramus, ac eisdem custodi et fratribus apud ecclesiam praedictam unum eorum ordinis conventum, in quo duodecim saltem fratres commorari debeant, erigendi licentiam et facultatem, auctoritate et tenore praesentis concedimus et impartimur, ac eidem conventui, si et postquam erectus fuerit, eiusque futuris custodi et fratribus, ut omnibus et singulis gratiis, indultis, concessionibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis et privilegiis, quibus aliae eiusdem ordinis domus et conventus ac fratres utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia frui, potiri et gaudere possint et valeant, auctoritate et tenore praesentis indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XIX. Iunii pontificatus nostri anno XIII.

CLXXXV.

Pro constructione conventus in oppido Pomarici. Ibidem in mense Maio pag. 201.

Venerabili fratri episcopo Acheruntinen. seu dilecto filio eius in spiritualibus vicario generali salutem et apostolicam benedictionem.

Exigit pietas ac singularis devotionis affectus, quod dilecti filii universitas et homines terrae seu loci Pomarici Acheruntin. dioecesis b. Franciscum confessorem eiusque religionem prosequuntur, ut eorum piis votis praedictae religionis incrementum respicientibus, quantum cum Domino possumus libenter annuamus. Cum itaque sicut pro parte eorumdem universitatis et hominum nobis nuper expositum fuit, ipsi pro spirituali civium et incolarum, ac aliorum christifidelium dictae terrae seu loci Pomarici profectu, consolatione et commodo et animarum salute divinique cultus augmento unam domum seu conventum ordinis fratrum s. Francisci reformatorum in dicta terra seu loco sive eius territorio, ubi nulli praedicti ordinis religiosi existunt, erigere cupiant, propterea nobis humiliter supplicari fecerunt, ut opportunam domum praedictam erigendi licentiam illis concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ad ea quae ad divini cultus augmentum, religionis propagationem et animarum salutem pertinent intendentes, attendentesque ex huiusmodi domus erectione civium, incolarum aliorumque christifidelium praedictorum aedificationi, ac animarum saluti, tum ex piis exercitiis tum ex divinorum officiorum frequentia plurimum consuli posse, ac propterea dictorum universitatis

et hominum pio desiderio benigne annuere volentes, ac singulares dictae universitatis personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae frater episcope seu discretioni tuae fili vicarie per praesentes committimus et mandamus, quod in dicta terra seu eius territorio, servata forma constitutionis nostrae super receptione novorum monasteriorum nuper editae unam domum et conventum fratrum dicti ordinis s. Francisci reformatorum cum claustro, dormitorio, refectorio aliisque officiis et officinis necessariis, auctoritate nostra erigere, ac fratribus eiusdem ordinis istuc eadem de causa cum suorum superiorum licentia introducendis pro eorum perpetuis usu et habitatione, ita tamen ut duodecim ad minus fratres dicti ordinis ibi pro divinis officiis peragendis continuo residere debeant, concedere et assignare possint, auctoritate nostra apostolica licentiam et facultatem concedas. Ac eidem domui postquam erecta fuerit, eiusque conventus futuris guardiano seu ministro et fratribus, ut omnibus et singulis gratiis, indultis, concessionibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis et privilegiis, quibus aliae eiusdem ordinis domus et conventus ac fratres utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia frui, potiri et gaudere possint et valeant, eadem auctoritate concedas et indulgeas.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xvii. Maii pontificatus nostri anno xiii.

CLXXXVI.

Ut recipiant domum in oppido Montellae. Ibid. in mense Maio pag. 160.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto etc. Cum itaque, sicut accepimus, ven. frater episcopus Nuscan. ad instantiam dilectorum filiorum baronis ac universitatis et hominum, necnon magistrorum Montis Pietatis terrae Montellae Nuscan. dioecesis Lininen. iuxta formam constitutionis nostrae super erectione novorum conventuum regularium editae concesserit erigendi in praedicta terra unum conventum ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia reformatorum apud ecclesiam s. Mariae Montis Pietatis dictae terrae, assignata dictis fratribus pro huiusmodi conventus erectione ecclesia praedicta cum habitatione illi contigua et commoda pro habitatione xii. fratrum cum dormitorio et officinis congruis et necessariis, prout in huiusmodi episcopi literis patentibus desuper expeditis plenius dicitur contineri. Cumque dilecti filii custos et fratres dicti ordinis custodiae Principatus antequam fratres illuc introducantur, cupiant nostram apostolicam auctoritatem ad hoc illis suffragari, nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos eosdem custodes et fratres ac baronem, universitatem et homines, et magistros Montis Pietatis praedictos spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem custodi et fratribus ecclesiam et habitationem praedictas, quatenus nostrae constitutionis forma, ut praefertur, servata fuerit, recipiendi, ibique unum eorum ordinis conventum, in quo duodecim saltem fratres commorari debeant, erigendi licentiam et facultatem auctoritate apostolica

lica tenore praesentium concedimus et impertimur, ac eidem conventui si et postquam erectus fuerit, eiusque futuris custodi et fratribus, ut omnibus et singulis privilegiis et indultis et indulgentiis quibus alii conventus, eiusque custodes et fratres dicti ordinis uti, frui, potiri et gaudere solent ac poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praesentis indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XII. Maii pontificatus nostri anno XIII.

CLXXXVII.

Restituit et adprobat missale romanum. Ex bullar Cherubini tom. 3. pag. 157.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sanctissimum eucharistiae sacramentum, quo nos Christus Dominus sacri sui corporis participes efficit, atque apud nos usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, maximum sit omnium sacramentorum illudque in sacra missa conficiatur, ac pro peccatis totius populi Deo Patri offeratur, sane omnino conveniens est, ut qui omnes unum sumus in uno corpore quod est ecclesia, et de uno corpore Christi participamus, una et eadem celebrandi ratione, uniusque officii et ritus observatione in hoc ineffabili et tremendo sacrificio utantur.

§. 1. Quod cum romani pontifices praedecessores nostri semper optarint atque in hoc diu multumque desudarint, tum in primis fel. rec. Pius papa v. missale romanum ex decreto s. concilii Trid. ad veterem et emendatiorem normam restitui Romaeque imprimi curavit.

§. 2. Qui etsi multis propositis poenis severissime caverit, ne quod illi vel adderetur vel ulla ratione demeretur, tamen progressu temporis sive typographorum sive aliorum temeritas et audacia effecit, ut multi in ea quae his proximis annis excusa sunt missalia, errores irrepserint, quibus vetustissima illa sacrorum bibliorum versio, quae etiam ante s. Hieronymi tempora celebris habita est in ecclesia, et ex qua omnes fere missarum introitus, et quae dicuntur gradualia et offertoria accepta sunt, omnino sublata est, epistolarum et evangeliorum textus, qui hucusque in missae solemnis perlectus est, multis in locis perturbatus ipsis evangeliis diversa et prorsus insolita, praefixa initia, plurima denique passim pro arbitrio immutata sint, eius rei praetextus fuisse videtur, ut omnia ad praescriptum sac. bibliorum vulgatae editionis revocarentur, quas id alicui propria auctoritate atque apostolica sede inconsulta facere licitum sit.

§. 3. Quod nos animadvertentes pro nostra pastorali sollicitudine, qua omnibus in rebus et praecipue in sacris ecclesiae ritibus optimam eamque veterem normam studemus tueri et conservare, primum praedicta missalia impressa sic depravata prohiberi et abrogari, eorumque usum in celebratione missarum interdici iussimus, nisi ad praescriptum exemplaris sub ipso Pio v. editi integre in omnibus emendarentur; deinde mandavimus nonnullis ven. fratribus nostris s. r. e. cardinalibus in sacris literis versatis et ecclesiasticae antiquitatis peritis, ut eorum, missale ad pristinam et quam maxime emendatam formam resti-

tuendi susciperent, qui pro sua erga nos fide et in romana ecclesia pietate et studio adhibitis etiam aliis rerum ecclesiasticarum peritis et eruditis viris, et veteribus missalibus aliisque praeterea libris, qui ad eam rem opportuni videbantur accurate perquisitis et diligenter inspectis, missale romanum suae integritati restituere, ac ipsius Pii v. et eorum qui ab eo delecti fuerant, laborem et diligentiam confirmare et comprobare curarunt. Verum in eo munere peragendo factum est, ut nonnulla ex diligenti librorum antiquorum collatione, in meliorem formam redacta, et in regulis et rubricis aliqua uberius et clarius expressa sint, quae tamen ex illorum principiis et fundamentis quasi deducta, illorum sensum imitari potius et supplere, quam aliquid novi afferre videantur.

§. 4. Missale itaque quod idem Pius v. ediderat sic recognitum in nostra typographia vaticana, quam emendatissime imprimi et ad communem utilitatem publicari iussimus.

§. 5. Ut autem illius usus in omnibus christiani orbis partibus perpetuis futuris temporibus conservetur, ipsum missale in alma Urbe nostra in eadem typographia tantum et non alibi imprimi posse decernimus. Extra Urbem vero iuxta exemplar in dicta typographia nunc editum et non aliter hac lege imprimi posse permittimus, ut nimirum typographis quibuscumque illud imprimere volentibus id facere liceat, requisita tamen prius et in scriptis obtenta dilectorum filiorum inquisitorum haereticae pravitatis in iis locis in quibus fuerint, ubi vero non fuerint, ordinariorum locorum licentia. Alioquin si absque huiusmodi licentia dictum missale quacumque forma de caetero ipsi imprimere, aut bibliopolae vendere praesumpserint, typographi et bibliopolae extra statum nostrum ecclesiasticum existentes, excommunicationis latae sententiae a qua nisi a romano pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant; in alma vero Urbe ac reliquo statu ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de camera ac amissionis librorum, et typorum omnium camerae praedictae applicandorum poenas, absque alia declaratione irremissibiliter incurrant eo ipso.

§. 6. Et nihilominus eorumdem missalium per eos de caetero absque huiusmodi licentia imprimendorum aut vendendorum usum ubique locorum et gentium, sub eisdem poenis perpetuo interdicimus et prohibemus.

§. 7. Ipsi autem inquisitores seu ordinarii locorum antequam huiusmodi licentiam concedant, missalia ab ipsis typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint, cum hoc missali, auctoritate nostra recognito et nunc impresso, diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi vel detrahi permittant, nec in praemissis praetextu incuriae typographorum, aut non factae per correctores vel alios ab ipsis forsan deputandos diligentiae, se aliquo modo excusare, quodque in infrascriptas poenas non incurrerint, allegare valeant, et in ipsa licentia originali de collatione facta, et quod omnino concordent, manu propria attestentur, cuius licentiae copia initio vel in calce cuiusque missalis semper imprimatur. Quod si secus fecerint, inquisitores videlicet privationis suorum officiorum ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda; antistites autem et ordinarii locorum suspensionis a divinis ac interdicti ab ingressu ecclesiae; eorum vero vicarii privationis similiter officiorum et beneficiorum suorum et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac praeterea excommunicationis absque alia declaratione, ut praefertur, poenas incurrant eo ipso.

Digitized by Google

§. 8. Caeterum pauperum ecclesiarum, clericorum et personarum ecclesiasticarum ac typographorum et bibliopolarum quorumcumque indemnitatis, ex benignitate apostolica rationem habentes, eisdem missalia hactenus impressa penes se habentibus (iis dumtaxat exceptis, quae auctoritate nostra, ut supra dictum est interdicta et abrogata fuerint) ut ea retinere, ac illis uti eaque vendere respective possint, similiter permittimus et indulgemus.

§. 9. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die vii. Iulii pontificatus nostri anno xiii.

CLXXXVIII.

Praescribit formam erigendi congregationes et confraternitates. Idem ibid, pag. 163.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quaecumque a sede apostolica ad promovendam christifidelium salutem aliquando concessa sunt, etsi maturo consilio magnaque prudentia et cautione sancita et decreta sint, tamen cum romanus pontifex de animarum salute sollicitus, progressu temporis animadvertit sensim aliquos abusus in eisdem statutis et decretis observandis pervenire, debet pro sui pastoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere, et quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio providere.

§. 1. Cum itaque a pluris romanis pontificibus praedecessoribus nostris, et forsan etiam a nobis nonnullis regularibus ordinibus, religionibus et institutis, ac etiam christifidelium saecularium archiconfraternitatibus et congregationibus diversarum nationum, nominum et institutorum tam in alma Urbe nostra, quam in aliis civitatibus et locis christiani orbis institutis, facultas erigendi et instituendi in eorum et aliis ecclesiis et collegiis, necnon etiam sibi aggregandi confraternitates et congregationes in eadem Urbe et in aliis locis existentes, eique privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta sibi concessa respective communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma vel ratio praescripta sit, quae in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus faciendis servari debeat; propterea sive negligentia superiorum ordinum, religionum et institutorum, vel officialium archiconfraternitatum et congregationum erigentium, instituentium, aggregantium et communicantium, quae confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum aliarumque gratiarum praedictarum fiunt, non servant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus servari debitam, neque praescribunt modum quo privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta praedicta consequi debeant, seu ipsarum confraternitatum et congregationum incuria, quae non inquirunt ea quae praestare oportet ut illa consequantur, nonnullae pravae consuetudines irrepserunt multaque incommoda inde provenerunt.

§. 2. Quibus nos pro commisso nobis apostolicae solicitudinis officio paternaque charitate ergo omnes christifideles prospicere volentes, hac nostra constitutione perpetuo valitura decernimus atque statuimus, ut in posterum tam huius al-

mae Urbis nostrae, quam aliarum civitatum et locorum totius christiani orbis regularium ordinum, religionum et institutorum, quibus in eorum et quibuscumque aliis ecclesiis et collegiis confraternitates saecularium erigendi et instituendi facultas concessa est, necnon etiam archiconfraternitatum et congregationum cuiusvis nationis, nominis ot instituti illae sint, et in quibuscumque ecclesiis, domibus et oratoriis tam saecularium quam, ut praefertur, quorumcumque etiam mendicantium ordinum, religionum et institutorum regularium, quavis tam ordinaria quam apostolica auctoritate erectae ac institutae existant, seu alias quovis modo introductae reperiantur, quibus alias confraternitates et congregationes instituendi, erigendi ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta praedicta, elargiendi et communicandi potestas a romanis pontificibus praedecessoribus nostris, vel a nobis et apostolica sede attributa fuit, magistri, priores, praepositi, rectores, gubernatores, praeceptores, primicerii, praelati, custodes, guardiani, praefecti, administratores et alii officiales seu superiores quovis modo nuncupati, regularium siquidem ordinum, religionum et institutorum, unam tantum confraternitatem et congregationem, de consensu tamen ordinarii loci et cum literis eius testimonialibus, quibus confraternitatis et congregationis erigendae et instituendae pietas, et christianae charitatis officia quae exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum et quibuscumque aliis ecclesiis et collegiis erigere et instituere.

§. 3. Caeterarum vero archiconfraternitatum et congregationum in singulis civitatibus, oppidis vel locis, unam otiam confraternitatem et congregationem dumtaxat, quae apostolica vel ordinaria auctoritate prius erecta ac nulli alteri ordini, religioni, instituto, archiconfraternitati et congregationi eiusdem vel alterius nationis, nominis et instituti aggregata sit, praevio similiter loci ordinarii consensu, et cum eius literis testimonialibus, quibus eiusdem confraternitatis et congregationis aggregandae institutum, pietas et christianae charitatis officia quae exercere consuevit apud eos commendentur, sibi adiungere et aggregare possint.

§. 4. Huic vero confraternitati et congregationi erigendae, instituendae seu aggregandae ea tantum privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta, quae ipsi ordini, religioni, instituto erigenti, instituenti ac communicanti, seu archiconfraternitati et congregationi aggreganti nominatim et in specie, non autem, quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et illa quidem non sub generali forma verborum vel ad instar, sed expresse et in specie communicare valeant.

§. 5. Statuta autem pro regimine ordinum, religionum et institutorum erigentium et instituentium ac communicantium, seu archiconfraternitatum et congregationum aggregantium edita, confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum et aliorum praedictorum fiunt, impartiri non possint, nisi ea prius ab episcopo dioecesano examinata et pro ratione loci approbata fuerint, quae nihilominus eiusdem episcopi decretis ac moderationi et correctioni in omnibus semper subiecta remaneant.

§. 6. Insuper volumus et ordinamus ut praedicti ordines, religiones, instituta erigentia, instituentia ac communicantia, necnon archiconfraternitates et congregationes aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi et communicandi formulam a nobis novissime approbatam diligenter observent, secundum quam privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta

ipsis ordinibus, religionibus, institutis erigentibus, instituentibus et communicantibus seu archiconfraternitatibus et congregationibus aggregantibus nominatim et expresse, non autem per communicationem, neque ad instar, ut supra, concessa, ipsis confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes fiunt, communicare possint.

§. 7. Quibus confraternitates et congregationes eiusdem dumtaxat nationis et nominis, ordinis, religionis et instituti, archiconfraternitatis et congregationis cui aggregantur, tam hactenus aggregatae quam in posterum aggregandae utantur, potiantur et gaudeant ita, ut dictarum confraternitatum et congregationum erectarum, institutarum et aggregatarum, ac quibus communicationes factae sunt, ministri et officiales et alii supradicti, privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta huiusmodi, praevia tamen recognitione ordinarii loci, qui adhibitis duobus de eiusdem ecclesiae capitulo, illa iuxta sacri concilii Trid. decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.

§. 8. Quibus etiam ministris, officialibus et aliis praedictis eleemosynas, et alia oblata christianae charitatis subsidia iuxta modum et formam per ordinarium loci praescribendam, remotis tamen mensis, pelvibus et capsis quae in ecclesiis et oratoriis dictarum confraternitatum et congregationum publice ad hoc exponi consueverunt, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum ordines, religiones, instituta erigentia, instituentia ac communicantia, seu archiconfraternitates et congregationes aggregantes, tam almae Urbis nostrae quam aliarum civitatum et locorum quorumcumque iuxta modum a vicario Urbis et ab ordinario locorum respective praescribendum observare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem et ornatum ecclesiarum tam ordinum, religionum, institutorum erigentium, instituentium et communicantium, ac archiconfraternitatum et congregationum erigendarum, instituendarum et aggregandarum, et quibus communicationes fient, aut in alios earum pios usus, arbitrio eiusdem vicarii nostri in Urbe, necnon ordinariorum locorum respective, fideliter exponere atque erogare procurent, ut omnes intelligant coelestes ecclesiae thesauros, non quaestus aut alicuius lucri causa, sed pietatis et charitatis excitandae gratia et apostolicae sedis benignitate christifidelibus aperiri.

§. 9. Praeterea volumus ut confessarii qui vigore privilegiorum ipsis ordinibus, religionibus, institutis erigentibus, instituentibus et communicantibus, seu archiconfraternitatibus et congregationibus aggregantibus concessorum, ac confraternitatibus et congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi possunt et poterunt saeculares, scilicet in alma Urbe a praedicto nostro vicario, extra Urbem vero a locorum ordinariis; regulares autem non solum a praedicto vicario nostro et a locorum ordinariis respective, sed etiam a suis superioribus approbati sint, utque confratres confitentes a criminibus, casibus et censuris, iuxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, et sacris concilii Trid. decretis, ac romanorum pontificum praedecessorum nostrorum et nostris constitutionibus non adversentur, nec revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam et tenorem dumtaxat absolvere valeant. Decernimus insuper, ut iidem confessarii praedictos confratres cuiuscumque gradus, status, conditionis et praeeminentiae, etiamsi speciali nota dignae fuerint, a casibus contentis in literis quae die coenae Domini legi consueverunt, necnon violationis immunitatis et libertatis ecclesiasticae et clausurae monasteriorum monialium, si videlicet sine necessaria et urgenti causa ac sine superiorum licentia, vel etiam si causa et licentia concessa abutentes, praedicta

monasterio ingressi fuerint, necnon violentae manus iniectionis in clericum, et singularia certaminis seu duelli, ac ab aliis etiam casibus tam a nobis quam a praedicto nostro in Urbe vicario, et locorum ordinariis respective reservatis et pro tempore reservandis, et etiam a quavis excommunicatione ab homine lata absolvere, et super irregularitatibus tam ex aliquo defectu provenientibus, quam occasione delicti contractis cum aliquo dispensare praetextu dictorum privilegiorum nullo modo possint.

§. 10. Demum statuimus et pariter ordinamus ut confratres et congregationes ubivis locorum, quavis auctoritate, ut praefertur, erectae et institutae, et quibus communicationes praedictae factae sunt ac cuicumque ex dictis ordinibus, religionibus, institutis, archiconfraternitatibus et congregationibus, novas erectionum, institutionum, communicationum et aggregotionum literas, iuxta formam a nobis novissime approbatam, infra annum, si in Europa sint, et si extra europam fuerint infra biennum a die publicationis praesentium in romana curia faciendae computandos impetrare teneantur, alioquin dicto tempore elapso, erectiones, institutiones et quaecumque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum aliarumque spiritualium gratiarum et indultorum et aggregationes illarum vigore ipsis concessae nullius sint roboris et momenti, ac revocatae et abolitae censeantur eo ipso.

§. 11. Erectionum autem, institutionum, communicationum et aggregationum tam hactenus factarum quam deinceps faciendarum literae ab ipsis ordinibus, religionibus, institutis seu archiconfraternitatibus et congregationibus gratis omnino, ac nulla prorsus mercede, etiam a sponte dantibus accepta expediri et concedi debeant.

§. 12. Quod si ministri aliqui, superiores vel officiales quocumque nomine nuncupati, ordinum, religionum, institutorum, seu archiconfraternitatum, congregationum et confraternitatum huiusmodi, quavis auctoritate vel privilegio et officio fungantur et praefulgeant, contra praemissa in aliquo venire vel facere praesumpserint, erectiones, institutiones et communicationes privilegiorum, indulgentiarum, facultatum spiritualiumque gratiarum et indultorum, aliorumque praemissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendae seu renovandae, nullius sint roboris et momenti, et quilibet eorumdem ministrorum, superiorum, officialium et aliorum praedictorum privationis officiorum, quae obtinet ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam, quae ab alio quam a nobis, vel a romano pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso.

§. 13. Decernentes praesentes literas perpetuo validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat inviolabiter observari debere, sicque nostrae mentis et intentionis existere, et ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac s. r. e. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere ac irritum et inane, quicquid super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 14. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die VII. Decembris pontificatus nostri anno XIII.

Digitized by Google

CLXXXIX.

Commutat voluntatem fundatricis monasterii de Constantina quoad aliqua onera. Ex reg. secr. brevium in mense Ianuario pag. 194.

Venerabili fratri archiepiscopo Hispalen. seu dilecto filio eius officiali salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi nobis nuper fecit dilecta in Christo filia Catharina de San Luis monialis monasterii ordinis s. Clarae loci de Constantina Hispalen. dioecesis, quod quondam Constantia Velasquez, quae dictum monasterium fundavit et dotavit, inter alia voluit, quod in illo in perpetuum reciperentur duae moniales de ipsius Constantiae fundatricis cognatione absque ulla dote, cum onere tamen quod dictae duae moniales qualibet hebdomada tenerentur recitare, ultra obligationem monasterii, officium defunctorum integraliter ac septem psalmos poenitentiales cum litaniis. Cum ipsa Catharina quae una ex duabus monialibus consanguineis fundatricis existit, valetudinaria sit ac monasterium praedictum ea paupertate praematur, ut moniales pro eorum sustentatione eorum manibus laborare cogantur, et propterea dictum officium defunctorum, ac psalmos et litanias recitare nequeat, cuperet huiusmodi obligationem sibi in recitationem rosarii b. Mariae v. commutari, aut quod unam missam pro anima dictae fundatricis singulis mensibus celebrare facere teneatur; et ideo nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eiusdem Catharinae votis, quantum cum Domino possumus annuere, ac ipsam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae frater archiepiscope seu discretioni tuae fili officialis per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi preces veritati niti repereris, eidem Catharinae obligationem dictum officium defunctorum, ac psalmos et litanias huiusmodi recitandi deinceps, quoad vixerit, in recitationem rosarii b. Mariae virginis, aut in obligationem celebrari faciendi unam missam singulis mensibus pro anima dictae fundatricis arbitrio tuo, auctoritate nostra apostolica commutes. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XIII. Ianuarii pontificatus nostri anno XII.

CXC.

Quosdam reditus concedit puellis orphanis civitatis Fani. Ex eodem reg. in mense Februario pag. 178.

Venerabili fratri Thomae episcopo Fanen. salutem et apostolicam benedictionem.

Expositum nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum deputatorum domus orphanarum civitatis Fanen. quod alias ven. fr. Philippus Gesualdi episcopus Venusinus tunc minister generalis ordinis fratrum minorum conventualium s. Francisci in visitatione conventus eiusdem ordinis civitatis Fanen. anno MDXCIV. per eum facta, habita relatione a nonnullis personis piis et fide

dignis, quod quatuor mulieres tertiariae s. Francisci, quae tunc vivebant insimul in quadam domo absque clausura nullius aedificationis et utilitatis circa Dei servitium existebant, ordinavit, quod deinceps non reciperentur nec induerentur habitu tertiariarum huiusmodi aliae mulieres, sed illae quae tunc existebant, successive supprimerentur, quod a dilecto filio magistro Vincentio Filateo ministro provinciali Marchiae et tunc commissario dicti conventus civitatis Fanen. executioni demandatum fuit. Et quia a praedicto conventu ministrabatur victus dictis quatuor tertiariis ex legatis personarum piarum in quibusdam antiquis testamentis relictis, idem Philippus episcopus tunc minister generalis seu magister Vincentius tunc commissarius cum bon. mem. Iulio episcopo Fanen. antecessore tuo egit, ut reditus qui successive per obitum dictarum tertiariarum superessent, alicui pio operi applicaret; et cum locus seu domus pauperum orphanarum praedictarum erectus seu erecta extitisset, de consensu dicti generalis ac totius conventus praedicti eiusque syndicorum anno MDXCV. celebratum fuit instrumentum, per quod reditus praedicti per obitum dictarum tertiariarum successive vacaturi dictae domui orphanarum applicati fuerunt, reservato nostro et sedis apostolicae beneplacito, super quo cum nobis supplex libellus porrectus fuisset, nosque illum ad congregationem ven. fratrum nostrorum s. romanae ecclesiae cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum remiserimus, in congregatione praedicta negotium huiusmodi mature discussum, approbatum fuit, ac vicario dicti episcopi ordinatum extitit, ut applicationem praedictam dictae domui orphanarum faceret, prout dictum vicarium fecisse asseritur. Cumque deinde una ex praedictis tertiariis ab humanis decessisset, domus praedicta orphanarum, et pro ea dicti deputati quasi possessionem exigendi portionem dictae tertiariae defunctae apprehenderunt et in ea adhuc existunt. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, dicti deputati cupiant applicationem eorumdem redituum pro alimentis dictarum quatuor tertiariarum a praedicto conventu s. Francisci praestari solitum eidem domui orphanarum, ut praefertur, facta, pro illius firmiori subsistentia, apostolicae confirmationis robore perpetuo communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur certam de praemissis notitiam non habentes, ac eosdem deputatos spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et si super informationem huiusmodi eadem praemissa veritati niti repereris, applicationem dictorum redituum pro alimentis quatuor tertiariarum praedictarum a dicto conventu s. Francisci praestari solitorum dictae domui orphanarum, ut praemittitur, factam, auctoritate nostra apostolica perpetuo confirmes et approbes, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, suppleas, ac guardianum et conventum praedictos ad praestandum deinceps in perpetuum tam portionem dictae tertiariae defunctae, quam aliarum pro tempore decedentium successive portiones iuxta applicationem praedictam dictae domui teneri et obligatas existere ac fore, sicque et non aliter per quoscumque indices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XIII. Februarii pontificatus nostri anno XIII.

CXCI.

Committit causam Claudii Besson ministri provinciae s. Bonaventurae episcopo Gratianopolitano. Ex reg. secr. brev. in mense Decembri pag. 607.

Venerabili fratri episcopo Gratianopolitano salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicut non sine animi nostri molestia accepimus, Claudius Besson minister provincialis provinciae s. Bonaventurae in regno Franciae ordinis fratrum minorum s. Fracisci de observantia non solum literas nostras super reformatione fratrum dictae provinciae editas recipere recusaverit, sed etiam quosdam fratres ex reformatis qui dictas literas praesentarunt, nudis carnibus verberari fecerit, nos eiusdem Claudii temerarios ausus conniventibus oculis praeterire nolentes, de tua fide, probitate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut contra dictum Claudium super praemissis diligenter inquiras et processum facias, illumque pro gravitate delicti, prout iuris fuerit, punias et castiges, causamque huiusmodi audias, cognoscas et iuris ordine servato, fine, debito, terminis, dantes tibi plenam, amplam et liberam facultatem et potestatem praedictum Claudium et quoscumque alios eiusdem ordinis fratres in praemissis delinquentes, ubicumque etiam penes ecclesias, monasteria et loca pia existentes capi et carcerari faciendi illosque et etiam quoscumque alios, testes examinandi et contra ipsos delinquentes in caetera huiusmodi usque ad integrum inclusive procedendi, ac omnia et singula in praemissis necessaria seu quomodolibet opportuna, omni et quacumque appellatione remota faciendi, gerendi et exequendi, auxiliumque brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xxix. Decembris pontificatus nostri anno xiii.

CXCII.

Pro fratribus infirmis in valetudinario s. Mariae Novae Neapolis. Ibidem in mense Aprili pag. 58.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm sicut accepimus, in domo s. Mariae della Nova nuncupat. civitatis Neapolitan. ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia infirmaria pro religiosis illius provinciae et ordinis pro tempore infirmis existat, et ex dicta domo convalescentes ex praedicta infirmaria exeuntes ad domum eiusdem ordinis loci Turris Octavae accedere soleant, ut ibi propter aeris salubritatem pristinam valetudinem et vires citius recuperare valeant; cumque expediat, ut pro convalescentium huiusmodi religiosorum commoditate, domus praedicta Turris Octavae ad hunc effectum domui s. Mariae della Nova unita et affecta existat, nos in praemissis opportune providere volentes, supplicationibus etiam pro parte superiorum et religiosorum dicti ordinis et eiusdem provinciae nobis

super hoc humiliter porrectis inclinati, domum praedictam eiusdem loci Turris Octavae domui s. Mariae della Nova Neapolitan. ad effectum, ut convalescentes ex dicta infirmaria discedentes ad eamdem domum Turris Octavae accedere libere possint et debeant, nec a fratribus pro tempore in praedicta domo Turris Octavae residentibus impediri valeant, sed ab illis absque contradictione recipiantur, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo unimus et assignamus. Mandantes eiusdem domus Turris Octavae guardiano et conventui, ut praesentes nostras literas perpetuo observent, neque praemissis aliquo modo se opponere audeant seu praesumant. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die v. Aprilis pontificatus nostri anno xiii.

CXCIII.

Quaedam indulget fratribus conventus Imolensis. Ibidem in mense Iulio pag. 460.

Ad futuram rei memoriam.

Expositum nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis nostrae Imolen. quod alias de anno Domini mdxliv. cum quondam Ioannes Philippus Mantuanus bona sua haereditaria valoris octo millium circiter scutorum domui fratrum minorum s. Francisci de observantia testamento vel alia eius ultima dispositione reliquisset, bon. mem. frater Clemens Monelia tunc minister generalis dicti ordinis, qui postea presbyter card. de Aracoeli fuit, quia fratres dicti ordinis bonorum temporalium incapaces existunt, haereditatem praedictam Montis Pietatis eiusdem civitatis Imolen. renunciavit; sed communitas et homines praedicti, ac officiales dicti Montis reditum annuum quinquaginta scutorum auri in auro singulis annis praedictae domui, et pro ea illius syndico seu procuratori pro vestimentis fratrum, et pro oleo lampadum ss. sacramenti per spatium quinquaginta annorum dare obtulerunt, quae renunciatio et promissio eleemosynae a fel. rec. Iulio papa iii. praedecessore nostro per eius literas in forma brevis sub datum die xix. Octobris eiusdem anni confirmata fuit, prout in dictis literis continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tempus quinquaginta annorum praedictorum praesenti anno expiret, et praedicti domus et fratres huiusmodi eleemosyna, quae ex fructibus praedicto Monti Pietatis provenientibus sine aliqua diminutione capitalis praestari solet hoc tempore magis indigeant, eo quod cum plura loca religiosa in eadem civitate erecta reperiantur, eleemosynae civium pro sustentatione domus et fratrum praedictorum sufficientes non suppeditantur; propterea communitas et homines ac officiales dicti Montis manutentioni dictorum fratrum prospicere cupientes, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut praestationem dictae eleemosynae, quinquaginta scutorum aureorum eisdem domui et fratribus ad aliquod tempus prorogare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur piis communitatis et hominum, ac officialium praedictorum votis annuere ac fratres dictae domus specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon literarum dicti Iulii praedecessoris tenorem praesentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tam communitati et hominibus ac officialibus praedicti Montis, ut annuam eleemosynam quinquaginta scutorum

aureorum praedictis domui et fratribus pro vestimentis fratrum et oleo lampadis, ut supra dictum est, praestare, quam ipsius domui, conventui et fratribus, eorumque syndico seu procuratori, ut eamdem eleemosynam recipere ac in praedictos usus convertere libere et licite valeant ad decem annos a fine dictorum quinquaginta eunorum computandos, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxxi. Iulii pontificatus nostri anno xiii.

CXCIV.

Ut instituat commissarium apostolicum in regno Poloniae. Ibidem in mense Novembri pag. 302.

Dilecto filio nostro et apostolicae sedis in regno Poloniae nuncio salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicut accepimus, dilectus filius minister generalis ordinis fratrum minorum de observantia alias in commissarium provinciae Poloniae eiusdem ordinis fratrem natione Germanum deputaverit, fratres vero dictae provinciae eamdem commissarium ob nonnullas causas dicto ministro generali per literas propositas recipere distulerint, ipse autem commissarius Germanus videns se non esse a Polonis receptum, commissionem suam cuidam fratri Polono subdelegaverit, huncque pariter fratres dictae provinciae eisdem ex causis, quibus praedictum fratrem Germanum aliisque pluribus acceptare recusaverint. Cumque interea fratres dictae provinciae animadvertentes multa mala ex illis commissionibus oriri posse, illis quamprimum obviari, a dilecto filio commissario generali cismontano postulassent, et dictus commissarius videns praedictam provinciam Poloniae talibus commissariis aggravatam, alterum fratrem Polonum virum probatum et eruditum in commissarium eiusdem provinciae deputaverit, qui a nobis confirmatus a fratribus dictae provinciae gratissime receptus fuit. Cum autem postea praedictus minister generalis supradictum fratrem Polonum a Germano subdelegatum in commissarium dictae provinciae iterum instituere, et alterum a dicto commissario generali deputatum et a nobis confirmatum officio privare intendat, ex quo non modica in eadem provincia perturbatio oriri formidatur, nos omnes supra praemissis difficultates, perturbationes et incommoda e medio tollere, ac quieti et prospero statui eiusdem provinciae prospicere cupientes, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine utrumque commissarium a ministro generali nimirum, et a commissario generali in dicta provincia constitutum, ac alium a praedicto commissario Germano subdelegatum, ab officio commissarii dictae provinciae, auctoritate apostolica tenore praesentium absolvimus, ac omnem auctoritatem et facultatem commissariis dictae provinciae illis adimimus et revocamus, illis et eorum cuilibet in virtute s. obedientiae districte praecipientes, ne in praedicto commissarii provinciae Poloniae officio sese ingerere praesumant. Praeterea tibi de cuius fide, prudentia, integritate ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, ut unum ex fratribus eiusdem provinciae Poloniae ad hoc munus idoneum et requisitis qualitatibus praeditum (exclusis aliis, ut supra dictum est, deputatis et substituto) ad commissarii dictae pro-

vinciae munus, hac vice tantum auctoritate nostra eligere et deputare possis et valeas, eadem auctoritate facultatem concedimus et impartimur; ipsique a te deputando commissario, ut omnibus facultatibus, auctoritate, honoribus et oneribus quibus alii eiusdem provinciae commissarii iuxta constitutiones eiusdem ordinis canonice electi de iure, usu, consuetudine, privilegio aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia possit et valeat concedimus et indulgemus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae ministro et commissario generalibus ac fratribus dictae provinciae, ut nostrae huiusmodi dispositioni respective acquiescant, ac commissarium a te deputandum recipiant et admittant, illique faveant, pareant et assistant. Non obstantibus etc.
Datum Romae apud s. Petrum die xvii. Novembris pontificatus nostri anno xiii.

CXCV.

Ut persolvant officium in honorem b. Coletae. Ibidem in mense Novembri pag. 494.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et monialibus monasterii s. Clarae ordinis eiusdem s. Clarae Gandaven. salutem et apostolicam benedictionem.

Piis ac devotis supplicationibus vestro nomine humiliter porrectis inclinati, vestrae spirituali consolationi et devotioni, quam erga b. Coletam olim vestri ordinis monialem, cuius corpus in ecclesia vestri monasterii requiescit, ac multis miraculis quae omnipotens Deus ad eiusdem b. Coletae intercessionem, ut pie creditur, operari dignatur, sicut ad nos fide dignorum virorum relatione perlatum est, clarere dignoscitur, gerere comprobamini, benigne prospicere volentes, ex voto ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super sacris ritibus et caeremoniis deputatorum, vobis ut officium in honorem eiusdem b. Coletae de communi unius virginis anniversario die eius obitus singulis annis recitare, et eodem die missam in vestra ecclesia in illius honorem pariter de communi unius virginis celebrari facere libere et licite valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, vobisque officium huiusmodi dicto die recitando, obligationi recitandi divini officii satisfacturas esse declaramus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxvii. Novembris pontificatus nostri anno xiii.

CXCVI.

Pro Antonio de Alzeça episcopo Venetiolae. Ibidem in mense Decembri pag. 173.

Dilecto filio Antonio de Alzeça fratri ordinis s. Francisci de Venezuela in partibus Indiarum Occidentalium salutem et apostolicam benedictionem.

Meritis tuae devotionis inducimur, ut petitionibus tuis, praesertim christifidelium animarum tuae curae commissarum salutem respicientibus, quantum cum Domino possumus, libenter annuimus. Supplicationibus igitur tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, tibi ut quatuor religiosos tui ordinis s. Francisci cuiusvis provinciae de suorum superiorum licentia tecum ad tuum episcopatum deducere, illorumque opera pro tuae civitatis et dioecesis christifidelium earumdem animarum salute uti libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die vi. Decembris pontificatus nostri anno xiii.

CXCVII.

Ut Henrica Catharina ducissa Montispenserii ingrediatur in conventum capucinorum ubi diversatur eius pater Angelus infirmus, iam capucinus. Ex reg. lib. ii. divers. pag. 374.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Henricae Catharinae de Gioiosa ducissa Montispenserii salutem et apostolicam benedictionem.

Spirituali consolationi ac pietati tuae, quantum cum Domino possumus, benigne consulere teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, tibi ut domum ordinis fratrum capucinorum, ubi dilectus filius Angelus de Gioiosa dicti ordinis frater, ex quo de legitimo matrimonio ante ingressum religionis ex dicto fr. Angelo nata existis, etiam moratur, quoties tamen is infirmitate laboraverit, de superiorum consensu et honesto virorum et mulierum provectae aetatis comitatu associata ad effectum illum iuvisendi, ingredi, et cum dicto Angelo et aliis religiosis colloqui et conversari, dummodo ibidem neque tu neque dictae mulieres pernoctetis, libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die v. Maii pontificatus nostri anno xiii.

CXCVIII.

Pro Angelo de Gioiosa capucino. Ex regest. lib. II. divers. pag. 376.

Dilecto filio Angelo de Gioiosa fratri ordinis capucinorum salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut nobis tuo nomine expositum fuit, dum tu ex permissione nostra gubernio provinciae Linguaedocae in Gallia, et bello quod tunc ibi gerebatur, incumberes, quaedam cohortes militum germanorum a cl. mem. Philippo II. Hispaniarum rege catholico ad bellum praedictum transmissae, quae stipendia a ministris dicti regis habere non poterant, non exiguam pecuniarum summam a communitatibus et universitatibus dictae provinciae et a diversis particularibus personis mutuo recipere coactae fuissent, illisque postea revocatis nec absque restitutione pecuniarum sibi mutuo datarum redire nequeuntibus, dilectus filius nobilis vir dux Maquedae tunc pro-rex Catalauniae cum non posset cum singulis communitatibus, universitatibus et particularibus personis agere, se obligaverit de solvendo tibi summam viginti duorum millium scutorum praedictis communitatibus, et particularibus personis et aliis qui huiusmodi pecunias tibi ad hunc effectum mutuo dederant, prout in publica desuper confecta scriptura seu documento plenius dicitur contineri. Cumque tu nunc absque speciali nostra licentia dictam pecuniarum summam exigere, et procuratorem seu procuratores ad illam exigendam constituere non possis, nobis tuo nomine fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi praefatam pecuniarum summam exigendi, seu unum vel plures procuratores speciales ad exigendum et recuperandum eamdem pecuniarum summam, illamque iis quibus debentur, distribuendum et ad quietantiam de receptis solventes, aliaque in praemissis necessaria seu quomodolibet opportuna faciendum constituendi, licentiam et facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die v. Maii pontificatus nostri anno XIII.

CXCIX.

Pro confessario monasterii s. Mariae Magdalenae Neapolis. Ex reg. secr. brev. in mense Maio pag. 225.

Dilectis filiis custodi et fratribus domus s. Clarae Neapolitan. ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia reformatorum salutem et apostolicam benedictionem.

Quamvis in nostris literis in forma brevis sub datum. die x. Novembris MDCIII. pontificatus nostri anno XII. expeditis, per quas vobis commisimus et mandavimus, ut dilectarum in Christo filiarum monialium in monasterio s. Mariae Magdalenae Neapolitan. curam spiritualem susciperetis, ac unum ex religiosis professoribus vestri ordinis fratrum reformatorum istius do-

mus provectae aetatis, exemplaris vitae, bonae famae atque etiam doctrinae, singulo saltem triennio mutandum, postquam ab ordinario pro tempore examinatus et approbatus foret, et non aliter ad audiendas ipsarum monialium confessiones eisque alia sacramenta, ut opus esset, ministrandum, necnon cappellanos pariter religiosos eiusdem ordinis reformatorum, quot essent necessarii deputaretis et assignaretis; inter alia voluerimus, ut postquam confessarius earumdem monialium confessiones, et cappellani praedicti missas celebrassent, ipsi ibi nec pernoctarent nec cibum caperent, sed ad propriam domum regularem civitatis Neapolitan. se recipere deberent; nihilominus quia, ut accepimus, praedictum monasterium s. Mariae Magdalenae a vestra domo s. Clarae ultra unum milliare distat, per praesentes concedimus et indulgemus, ut confessarius qui pro tempore ad audiendas monialium confessiones fuerit deputatus, prope idem monasterium, dummodo non tangat clausuram, et eius habitatio sit omnino separata et disiuncta a monasterio, habitare cibum capere et pernoctare valeat. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xv. Maii pontificatus nostri anno xiii.

CC.

Mittit in provinciam Ragusinam Dionysium a Turre commissarium visitatorem. Ex. reg. secr. brev. in mense Augusto pag. 373.

Dilecto filio Dionysio a Turre ordinis fratrum minorum reformatorum s. Francisci de observantia in provincia Ragusina eiusdem ordinis commissario et visitatori apostolico salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos nuper reformationem fratrum minorum de observantia in conventu s. Francisci civitatis Ragusin. introducendam et plantandam curaverimus, cupientes eamdem reformationem per totam Ragusinam provinciam dilatari, ac de tua prudentia, pietate, fide, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, amoventes in primis et ante omnia modernos videlicet Petrum de Arcu commissarium et custodem fratrum reformatorum, necnon ministrum provincialem fratrum de familia dictae provinciae, ac annullantes electionem fr. Nicolai de Buba in provincialem dictae provinciae nuper factam, ac actus omnes capitulares atque idem capitulum provinciale celebratum, postquam nos manum apposuimus, ac illa cum omnibus inde sequutis quibuscumque nullius roboris et valoris existere et fore declarantes. Motu proprio et ex certa nostra scientia, ac mera deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine, te commissarium et visitatorem apostolicum et custodem fratrum reformatorum, ac etiam ministrum provincialem fratrum de familia ordinis minorum s. Francisci de observantia dictae provinciae Ragusinae cum amplissima potestate, auctoritate et iurisdictione, ac honoribus, oneribus et facultatibus, quae de iure vel consuetudine, aut constitutionum et decretorum apostolicorum et eiusdem ordinis aut alias quomodolibet ministris provincialibus eiusdem ordinis canonice electis, necnon commissariis ac visitatoribus apostolicis, et custodibus reformatorum competere solent, auctoritate apostolica tenore praesentium ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum facimus, constituimus et deputamus. Mandantes in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae, aliisque arbitrii nostri poenis modernis commissario, custodi et ministro provinciali

praedictis, ut tibi statim gubernium et regimen fratrum et provinciae praedictorum libere cedant et dimittant, ac sigilla et alia omnia, quae ad eorum officium respective pertinebant, realiter et cum effectu tradant et consignent: caeteris vero omnibus et singulis superioribus et fratribus custodiae et provinciae praedictorum, ut te in commissarium et visitatorem apostolicum, ac custodem fratrum reformatorum et ministrum provincialem huiusmodi iuxta tenorem praesentium recipiant et recognoscant, tibique pareant, faveant et assistant, ac tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Ulterius tibi conventus fratrum de familia ipsis fratribus reformatis assignandi, necnon novitiatum in loco qui tibi magis opportunus videbitur eligendi, ac novitios quocumque tempore etiam extra capitulum et congregationes recipiendi, illisque habitum fratrum reformatorum exhibendi, ac eosdem suis temporibus ad professionem per eosdem fratres reformatos emitti solitam emittendi, necnon fratres de familia quos idoneos iudicaveris, inter fratres reformatos recipiendi et collocandi, ac finito anno deliberationis pro reformatis haberi declarandi, ac pro reformatione aliorum etiam in locis et conventibus fratrum de familia quoscumque fratres reformatos, quos ad hoc idoneos iudicaveris, adhibendi. Et insuper aliquibus fratribus reformatis alienarum provinciarum, quorum opera in praedicta provincia Ragusina, uti volueris, in ipsa provincia Ragusina vocem activam et passivam ad instar aliorum ipsius provinciae fratrum sine aliqua prorsus differentia haberi possint et debeant, concedendi, ac eosdem cum tibi expedire videbitur, conventibus fratrum de familia ad tui libitum in superiores et praelatos praeficiendi; ac demum provinciam ipsam illiusque conventus et fratres universos et singulos tam in capite quam in membris visitandi, corrigendi et reformandi, capitula et congregationes, quae vim capituli habeant, tam in universa provincia quam inter reformatos celebrandi, in eisque praesidendi atque guardianos, praesidentes et alios superiores et officiales quoscumque non solum in congregationibus et capitulis, sed etiam extra illa, prout tibi opportunum visum fuerit, arbitrio tuo instituendi et destituendi, omniaque et singula quae ad prosperum statum et gubernium, ac eorumdem fratrum reformatorum pertinere cognoveris faciendi, gerendi, mandandi, ordinandi et exequendi, contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendi, auxiliumque etc. Quocirca ven. fratribus archiepiscopo Ragusin. et episcopo Stagnen. per praesentes committimus et mandamus, ac dilectis filiis rectorem et senatum reipublicae Ragusin. paterne in Domino requirimus et hortamur, ut tibi in praemissis faveant et assistant, ac opportunum favorem, opem et auxilium, prout a te requisiti fuerint, prompte et efficaciter praestent et exhibeant. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XXVIII. Augusti pontificatus nostri anno XIII.

CCI.

Fit episcopus Massiliensis. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 412.

Romae apud s. Petrum die mercurii 19. Ianuarii fuit consistorium secretum, in quo

SAnctissimus d. n. referente reverendiss. cardinali de Ioyosa ad nominationem christianissimi regis providit ecclesiae Massilien. vacan. per obitum bon. mem. Federici illius episcopi, de persona religiosi viri fr. Iacobi Torricellae Florentini ordinis minorum de observantia s. Francisci sacrae theologiae lectoris, et christianissimae reginae confessarii christianissimique regis concionatoris, ipsumque illi in episcopum praefecit et pastorem curamque etc. committen. cum reservatione pensionum annuarum supradictae ecclesiae fructibus etc. unius 3000. pro d. Guilielmo de Vayr clerico prov. protopraeside, et alterius 1500. libr. turonen. pro Henrico de Lomelca clerico Parisien. et cum decreto, quod dicti pensionarii incedant in habitu et tonsura, secus non faciant fructus suos, ac cum condonatione iurium intuitu praedictae christianissimae reginae, absolvens etc. cum clausulis etc.

CCII.

Eligit commissarium generalem Chrysostomum a Capranica. Ex regest. secr. brev. in mense Ianuario pag. 450.

Dilecto filio Chrysostomo a Capranica fratri ordinis minorum s. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

REligionis zelus ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fido digno commendaria testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis libenter prosequamur. Exponi siquidem nobis nuper fecisti, quod dilectus filius Franciscus a Sousa totius ordinis fratrum minorum minister generalis de tua integritate, religionis zelo atque in rebus agendis solertia fiduciam et experientiam habens, te in commissarium generalem et procuratorem in omnibus regnis, nationibus et provinciis sacrosanctae romanae ecclesiae subiectis constituit et deputavit, prout in dicti ministri generalis patentibus literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, tu pro maiori constitutionis et deputationis huiusmodi subsistentia cupias illam apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut super hoc tibi indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te praemissorum meritorum tuorum intuitu specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, deputationem praedictam per dictum ministrum generalem tibi, ut praefertur, factam, ac eius literas patentes cum omnibus et singulis in illis contentis, auctoritate

apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Non obstantibus etc. Per praesentes autem non intendimus dicti ministri generalis manus ligare, quominus deputationem praedictam quandocumque voluerit, revocare possit.

Datum Romae apud s. Petrum die xxvi. Ianuarii pontificatus nostri anno xiii.

LEONIS XI.

Ut construatur monasterium clarissarum Bisiniani. Ex reg. secr. brev. in mense Aprili pag. 258.

Ad futuram rei memoriam.

Ex iniuncto etc. Sane pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Bisiniani nobis nuper expositum fuit, quod superioribus annis quondam Erina Scanderebec Castriota principissa Bisiniani in eius ultimo quod condidit testamento, reliquit tres mille ducatos, ex quibus unum monasterium monialium ordinis s. Francisci in eo loco status Bisiniani, in quo dilecto filio nobili viro Nicolao Bernardino principi Bisiniani dictae Erinae filio placuisset, prout in dicto testamento, quos quidem tres mille ducatos idem princeps monasterio monialium in civitate Bisiniani erigendo applicari deberet, concessit, dans facultatem dictis communitati et hominibus dictas pecunias e manibus eorum penes quos reperientur, recuperandi et in dicti monasterii erectionem et non alios usus convertendi, prout in eiusdem principis concessione plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, communitas et homines praedicti, ut quanto citius praemissa executioni demandare possint, cupiant dicti principis concessionem desuper factam pro maiori firmitate apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea pro eorumdem communitatis et hominum parte fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dicti testamenti ac concessionis praedictae tenores praesentibus pro expressis habentes, ac praedictos communitatem et homines specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem praedictam per dictum principem pro dicti monasterii erectione, ut praefertur, faciendo, dummodo forma constitutionis nostrae super erectione novarum ecclesiarum et monasteriorum editae servetur, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in dicta concessione intervenerint, supplemus, ac dictos tres mille ducatos in praedicti mo-

nasterii mouialium in eadem civitate iuxta dictae concessionis continentiam, erectionem et non alios usus convertere et erogare, dictosque communitatem et homines dictam pecuniam e manibus eorum, penes quos reperientur recuperare, consequi et exigere, ac personas, pecunias praedictas solvere recusantes per opportuna iuris et facti remedia auctoritate nostra cogere et compellere debere decernimus. Quocirca . . . . per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum communitatis et hominum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XIII. Aprilis pontificatus nostri anno I.

PAULI V.

I.

Ut possint aedificare coenobium prope oppidum Grumi. Ex reg. secret. brev. in mense Septembri pag. 247.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis etc. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii universitas et homines terrae seu loci Grumi Baren. dioecesis de consensu ven. fratris archiep. Baren. quemdam situm fratribus ordinis minorum de observantia s. Francisci pro erigendo ibidem uno eorum conventu, reservato nostro et apostolicae sedis beneplacito concesserint, prout in instrumento desuper celebrato plenius dicitur contineri. Cumque dilecti etiam filii minister et fratres provinciae s. Nicolai eiusdem ordinis intra quam praedictus conventus continebitur, cupiant concessionem praedictam pro maiori illius validitate apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem praedictam dicti situs per dictas universitatem et homines eisdem fratribus, ut praefertur, factam, ac instrumentum praedictum cuius tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus cum omnibus et singulis in illo contentis, dummodo forma constitutionis fel. rec. Clementis pp. VIII. praedecessoris nostri super aedificatione novarum ecclesiarum et monasteriorum editae servata fuerit, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, ac concessionem praedictam validam, firmam et efficacem existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sor-

tiri et obtinere, ac ministro et fratribus praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; illosque desuper a quoquam quavis auctoritate super huiusmodi concessione molestari, perturbari vel inquietari minime posse, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus et declaramus. Ac eisdem ministro et fratribus in praefato situ eis, ut praefertur, concesso, unum eorum ordinis conventum in quo duodecim saltem fratres commorari debeant, erigendi licentiam et facultatem auctoritate et tenore praedictis concedimus et impertimur. Ac eidem conventui si postquam erectus fuerit, eiusque futuris ministro et fratribus, ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indultis et indulgentiis quibus alii conventus, eorumque ministri et fratres dicti ordinis uti, frui, potiri et gaudere solent ac possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die v. Octobris pontificatus nostri anno I.

II.

Indulget fundationem monasterii recollectarum in urbe Burgensi. Ibid. in mense Novembri pag. 441.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis pastoralis officii debito ad ea libenter intendimus, per quae sanctimonialium monasteriorum pie institutorum, et recte administratorum, in quibus nobiles virgines relictis mundi illecebris Christo Domino sub sanctae virginitatis puritate et suavi religionis iugo famulari possint, felici statui et proprio regimini consulatur, et ea quae propterea facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, apostolicae firmitatis robore communimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque, sicut accepimus, alias dilecta in Christo filia Bernardina de Christo y Quintana Duenas monialis olim professa monasterii monialium recollectarum b. Mariae Pietatis ordinis s. Clarae Vallisoletan. et ad praesens existens in monasterio vulgo de las Urbanas nuncupat. civitatis Burgen. ut terrena in coelestia et transitoria in aeterna bona felici commercio commutaret, et aliquid in terris seminaret quod perpetua in coelis foecunditate colligere valeret, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, illiusque cultus et religionis augmentum, ac christifidelium animarum salutem spiritualemque consolationem, praesertim vero virginum Christo Domino nubere volentium suscipienda vota in praedicta civitate Burgen. unum monasterium monialium recollectarum s. Clarae sub invocatione s. Mariae de Iesu ordinis s. Francisci de bonis sibi a Deo et a piis christifidelibus collatis fundare atque dotare, illudque apostolica auctoritate erigi, ac ibidem unam priorissam ac competentem monialium numerum introduci facere intendat, ac pro monasterio huiusmodi illiusque pro tempore existentium priorissae ac monialium totiusque conventus felici directione et prospero successu, necnon divini cultus incremento ac illius et sacrorum piorumque operum exercitio et regulari disciplina exactius excolenda, ac etiam super receptione monialium servitiisque et obsequiis praestandis, ac denique modo et forma celebrationis missarum, funeralium, anniversariorum, suffragiorum et aliorum minorum

officiorum, nonnulla statuta seu constitutiones et ordinationes (adhibitis in eam rem aliquot viris religionis statum et disciplinam regularem profitentibus, ac in illius usu et observantia rerumque et personarum qualitatibus dignoscendis et moderandis apprime versatis) condi curavit; eisdemque priorissae conventui, et monialibus ut ea adimpleant, praescribere proposuit, prout in publico documento aliisque scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem dictum monasterium huius recollectionis instituti in eadem civitate Burgen. primum ac hucusque solum verum admodum celebre, dotisque luculenter providere et suffulgeri eadem auctoritate cupiat, ac ut priorissa et moniales pro tempore ibidem existentes statuta seu ordinationes huiusmodi, utpote sibi et earum ac dicti ordinis regularibus institutis, ac sacris canonibus consentanea, decretisque concilii Tridentini non repugnantia recipiant et admittant, ac sub illorum observantia qua plures moniales ibidem solemnem professionem emittere valeant, eamdemque exequi et adimplere in dies per amplius studeant, et in futurum circa illorum observationem alacriores reddantur, dicta Bernardina fundatrix nobis humiliter supplicari fecit, quatenus statutis, constitutionibus et ordinationibus praedictis robur nostrae apostolicae confirmationis adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur Bernardinam praedictam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et quamlibet earum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus episcoporum et regularium deputatorum, statuta seu constitutiones et ordinationes huiusmodi quarum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis haberi volumus, prout rite et recte facta et a praedictis cardinalibus approbata et confirmata sunt, et dummodo licita et honesta existant, ac regularibus institutis sacrisque canonibus et concilii Trid. decretis ac constitutionibus apostolicis non adversentur, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper in eisdem intervenerint, supplemus, ac a praedictis priorissa et monialibus, caeterisque ad quos pro tempore spectabit, perpetuo inviolabiliter observari debere praecipimus et mandamus. Non obstantibus constitutionibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die xv. Novembris pontificatus nostri anno i.

III.

Fit archiepiscopus Tranen. Ex actibus consistor. ad hunc annum pag. 28.

Romae feria iv. die. 17. Augusti in hortis quirinalibus fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendiss. d. cardinali Columna sanctitas sua ad nominationem regis catholici providit ecclesiae Tranen. per obitum Andreae de Franchis vacan. de persona r. p. fr. Ioannis Radae ordinis s. Francisci procuratoris generalis sacrae theologiae doctoris, fidemque rite professi etc. cum clausulis etc.

IV.

Suspendit literas suorum praedecessorum pro introducenda recollectorum fratrum familia apud Belgicas provincias. Ex reg. secr. brev. in mense Maio pag. 79.

Dilecto filio nostro et apostolicae sedis in Belgicis ditionibus nuncio salutem et apostolicam benedictionem.

Alias fel. rec. Clemens pp. viii. praedecessor noster die xi. Iulii anno mdciii. ex causis tunc expressis literas fel. rec. Gregorii pp. xiii. praedecessoris nostri in favorem fratrum reformatorum s. Francisci de observantia expeditas incipientes: *Cum illius vicem* datas Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die iii. Iunii mdlxxix. pontificatus sui anno viii., quarum tenorem ad verbum inseruit, quasque pridem in favorem fratrum reformatorum Italiae confirmaverat, et deinde ad fratres reformatos regni Franciae extenderat, ad provincias Belgicas s. Andreae et Brabantiae alias Inferioris Germaniae cum nonnullis limitationibus extendit, et pro dictis provinciis confirmavit et innovavit, ac per praedictos fratres reformatos observari debere decrevit, prout in ipsius Clementis praedecessoris in forma brevis sub dicta data xi. Iulii mdciii. pontificatus sui anno xii. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expresso haberi volumus, plenius continetur. Cum autem pro parte dilecti filii nobilis viri Alberti archiducis Austriae nobis expositum fuerit, his temporibus quibus in praefatis Belgicis ditionibus adhuc bellum viget, non posse sine magna perturbatione fratres reformatos in praedictis provinciis introduci, et propterea eius nomine nobis humiliter supplicatum fuerit, ut pro illius subditorum quiete super hoc opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos eiusdem Alberti archiducis supplicationibus inclinati ac praedictis et aliis rationabilibus de causis adducti, literas Clementis praedecessoris praefatas cum omnibus in illis contentis auctoritate apostolica tenore praesentium ad beneplacitum nostrum suspendimus ac suspensas esse et fore decernimus. Praeterea tibi per praesentes committimus et mandamus, ut praedictorum fratrum reformatorum superioribus et personis auctoritate nostra in virtute sanctae obedientiae, ac sub censuris et poenis ecclesiasticis tuo arbitrio infligendis praecipias et mandes, ne dicta suspensione durante ad executionem praedictarum Clementis literarum quoquomodo devenire praesumant; contradictores quoscumque, se illis auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe seu indirecte quomodolibet praestantes per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxv. Maii pontificatus nostri anno i.

V.

Supprimit monasterium oppidi Montis Calerii et moniales alio transfert. Ibidem in mense Iunio pag. 396.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam regulares etc. Alias siquidem sicuti ad nos perlatum est, ven. frater episcopus Fanen et sedis apostolicae in illis partibus nuncias iustis et rationabilibus causis adductus, moniales monasterii b. Mariae de Spina, alias del Brione oppidi Montis Calerii Taurinen. diaecesis de monasterio Campestri Brioni ad dictum oppidum, ut sancte Deo viverent et b. Mariae virgini iuxta regulam reformatam famularentur, transtulit, quod cum minime obtentum fuisset ob earum discordiam et inobedientiam, ven. frater Carolus archiepiscopus Taurinen. eisdem causis etiam motus ac reformationi, securitati et indemnitati vitae dictarum monialium providere cupiens, pluries ad dictum monasterium Montis Calerii accessit, dictasque moniales ad id hortatus est et per plures verbi Dei praedicatores hortari fecit, ac nonnullas probatae vitae abbatissas ex aliis monasteriis accitas iussu congregationis s. r. e. cardinalium eis praefecit, quae dictarum abbatissarum monitiones et praecepta ita semper neglexerunt et eis restiterunt, ut ipsae abbatissae ab eodem monasterio Montis Calerii accedere coactae fuerint; quibus et aliis difficultatibus et causis consideratione dignis, attenta etiam dicti monasterii Montis Calerii incapacitate, quod nisi maxima cum difficultate et sumptibus admodum reddi minime poterat, factum est, ut dictae moniales ad vivendum iuxta eamdem regulam reformatam reduci minime potuerint, recurrere cupiens, eisdem cardinalibus significavit utilem esse et necessariam translationem dictarum monialium in monasterium s. Clarae Taurinen. in quo reformate vivitur; et cum nomine congregationis eorumdem cardinalium ad dictum Carolum archiepiscopum his desuper scriptum fuisset, ut in praemissis pro sua prudentia et in rebus agendis dexteritate procederet, dictasque moniales ad idem monasterium s. Clarae Taurinen. seu alia monasteria monialium civitatis vel dioecesis Taurinen. in quibus reformate vivitur, transferri curaret, habitis per eumdem Carolum archiepiscopum desuper tractatibus cum monialibus dicti s. Clarae Taurinen. et infrascriptorum monasteriorum ac eorum superiorum, deliberatum est pro dote seu eleemosyna uniuscuiusque dictarum monialium solverentur sexcenta scuta, octo florenis pro quolibet scuto huiusmodi computatis, et successive iussu et ordine dicti Caroli archiepiscopi et auctoritate apostolica quatuor ex dictis monialibus ad s. Clarae Taurinen. huiusmodi, et duao ad s. Margaritae de Chieri, et et una ad s. Clarae etiam de Chieri et duae ad s. Clarae de Carignano, ac reliquae duae quae sunt numero novem, ad s. Mariae Charitatis Montis Regalis monasteria monialium Taurinen. dioecesis per eas sponte et libere electa, soluta unicuique eleemosyna seu dote sexcentorum scutorum per moniales dicti monasterii s. Clarae Taurinen. transierunt, prout in diversis instrumentis publicis desuper confectis plenius dicitur contineri; quibus ita peractis idem Carolus archiepiscopus bona quaecumque, iura et actiones dicti monasterii Brioni seu b. Mariae de la Spina cum eodem monasterio, ecclesia, edificiis universisque iuribus et pertinentiis suis ab eodem monasterio Brioni, dicta auctoritate apostolica perpetuo dismembravit et separavit, monasteriumque ipsum suppressit,

eaqne omnia sic separata et dismembrata eidem monasterio s. Clarae Taurinen. perpetuo uoivit, annexit et incorporavit, ita quod liceret eisdem monialibus dicti mooasterii s. Clarae Taurineu. et pro eis agentibus ex tunc realem, actualem et corporalem possessionem dicti monasterii s. Mariae de la Spina alias del Brione, ac bonorum, iurium et pertinentiarum prsedictarum apprebendere, uecnon fructus, reditus et proventns eornmdem percipere, babere, levare ac in suos nsus et utilitatem convertere et perpetuo retinere, cuiusvis alterius superioris auper hoc minime reqnisita licentia, prout in instrumento publico desuper coofecto plenius continetur. Cupientes itaque praemissa omnia, ut par est, suum sortiri effectum ac tenorem dictornm instrumentorum et licentiarum dictae congregatiouis, necnon quarumcumqoe scripturarum desnper confectarum, ac nomina et cognomina dictarnm novem monialium praesentibns pro expressis habentes, ex sententia dictorum cardinalinm dismembratiooem, separationem, suppressionem, unionem, annexionem et incorporationem ac translationes, necnon instrnmenta et scriptnras desuper confecta, ac omnia et singula inde secuta, dicta auctoritate apostolica tenore praesentinm approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis apostolicae robnr adiicimus, ac omnes et singulos tam inris quam facti defectus, si qui intervenerint, snpplemus; decernentes praesentes literas nullo nnquam tempore de snbreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, vel qnopiam alio defectu etiam ex eo quod dictae novem moniales, seu alii in praemissis interesse babentes ad hoc vocati non fueriut, notari, impngnari, invalidari ant ad terminos iuris rednci sen in controversiam revocari posse, aed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere. Sicque per quoscumqne iudices etc. Quocirca eidem Carolo et pro tempore existenti archiepiscopo Taurinen. per praesentes mandamus, quatenus per se vel alium seu alios faciat auctoritate nostra praemissa omnia inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XVII. Innii pontificatus nostri anno I.

VI.

Ne extrahantur ss. reliquiae ab ecclesia s. Clarae Assiaii. Ex eodem reg. in mense Septembri pag. 345.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUpientes conservationem sacrarum reliquiarum s. Francisci, s. Clarae et aliorum sanctorum et sanctarum in ecclesin monasterii monialium s. Clarae Assisien. existentium, quantum cum Domino possumus opportune prospicere, supplicationibus pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium dicti monasterii nobis super boc bumiliter porrectis inclinati, ne de caetero quisque quavis auctoritate etiam dicti monasterii superiores et moniales reliquias praedictas aut quamlibet earum partem extra dictam ecclesiam extrahere, aut illas aliis ecclesiis, monasteriis et locis piis et personis quibuscumque donare et elargiri, vel aliss de illis disponere absque speciali nostra et sedis apostolicae licentia valeant, snb privationis dignitatum et officiorum qnorumcnmque per eos obtentorum, ac vocis activae et passivae inhabilitatisqne ad illa et alia in posterum obtinenda, aliisque arbitrio nostro imponendis

poenis, eo ipso absque ulla declaratione per contrafacientes incurrendis, auctoritate apostolica tenore praesentium prohibemus. Non obstantibus constitutionibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die x. Octobris pontificatus nostri anno I.

VII.

Similia iubet pro ecclesia s. Mariae Angelorum eiusdem civitatis. Ex eodem reg. in mense Novembri pag. 56.

Ad futuram rei memoriam.

Cupientes conservationem sacrarum sanctorum et sanctarum reliquiarum in ecclesia monasterii b. Mariae Angelorum extra civitatem Assisien. consistentium, quantum cum Domino possumus opportune prospicere, supplicationibus pro parte dilecti filii Mariani Assisien. fratris et aeditui seu sacristae dictae ecclesiae nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de caetero quisque dictae ecclesiae superior, officialis seu minister nuper et pro tempore existens, aut alia persona quavis auctoritate reliquias praedictas extra dictam ecclesiam extrahere, nec aliis ecclesiis, monasteriis et locis piis ac personis quibuscumque donare et elargiri, vel alias de illis disponere absque nostra et sedis apostolicae licentia valeat, sub privationis dignitatum et officiorum quorumcumque per eos obtentorum, ac vocis activae et passivae inhabilitatisque ad illa et alia in posterum obtinenda, aliisque arbitrio nostro imponendis poenis eo ipso absque ulla declaratione per contrafacientes incurrendis, auctoritate apostolica tenore praesentium prohibemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti monasterii et illius ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die II. Novembris pontificatus nostri anno I.

VIII.

Adprobat constructionem ecclesiae apud monasterium s. Antonii Patavini Toleti, et quaedam pacta confirmat. Ibidem in mense Septembri pag. 559.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regimini universalis ecclesiae disponente Domino praesidentes, iis quae pro monasteriorum quorumlibet praesertim feminei sexus utilitate ac ecclesiorum suarum ampliatione et nova instauratione divinique cultus augmento, necnon personarum inibi sub suavi religionis iugo humanae salutis Redemptori famulantium subventione concorditer transacta fuisse dicuntur, ut firma et illibata persistant, libenter cum a nobis petitur, apostolici muniminis firmitatem adiicimus, et alias desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii monialium s. Antonii de Padua nuncupati

Toletan. ordinis s. Clarae sub cura fratrum minorum, necnon Catharinae de la Fuente mulieris viduae relictae quondam Ferdinandi Franco gubernatoris, dum vixit, civitatis Toletan. petitio continebat, quod alias cum dicta Catharina peculiari zelo et affectu erga dictum monasterium ducta, in illius ecclesia unam cappellam ac in ipsa cappella sepulturam per se et suis infrascriptis extrui facere, ad idque competentes reditus annuos ex bonis sibi a Deo collatis assignare intenderet, et desuper inter Catharinam ac abbatissam et conventum praedictas diu multumque tractatum, nec id alia commodiori ratione, quam per extructionem novae ecclesiae prope ipsum monasterium effici posset, compertum fuisset, dictae abbatissae et conventus attente considerantes opus huiusmodi dicto monasterio plurimum utilitatis et ornamenti allaturum esse, praemissis tribus diversis tractatibus capitulariter, ut moris est, factis, de consensu et licentia dilecti filii commissarii generalis ordinis fratrum minorum in regnis Hispaniarum, cui ex dispositione fide dignorum testium de huiusmodi utilitate constitit, ad hanc quae sequitur cum dicta Catharina devenerunt concordiam seu transactionem, etiam quod prope dictum monasterium in sitn ad id commodiori construeretur una nova ecclesia cum cappella maiori quae triginta qnatuor pedes in quadrato contineret, ac choro monialium longitudinis triginta sex parum plus vel minus; latitudinis vero triginta pedum, necnon sacristia fabricae ipsius ecclesiae conveniente; tota autem ecclesia huiusmodi seu illius corpus in longitudine ad quinquaginta quinque, in latitudine vero ad triginta pedes sine crassitudine seu angulis parietum sese extenderet, singulae autem collaterales cappellae ipsius ecclesiae essent capacitatis in capite videlicet quindecim et in lateribus decem pedum; in altitudine vero quantum foret corpus eiusdem ecclesiae etiam sine crassitudine seu angulis parietum, et in collateralibus duo simulacra lucilia nuncupata cum suis corporibus ex lapide albo, et convenientibus ornamentis. In maiori vero cappella arcus seu fornix concameratus pro sepultura fundatarum et aliarum personarum a dicto Franco in suo testamento designatarum, necnon cratis fertea conveniens seu congrua. Ipsa autem fabrica ex lateribus, lapidibus, calce et arena constare, ac in altum ad sexaginta pedes non comprehenso dictae cappellae maioris vertice, ciborio nuncupato, qui altior esset, erigi, et crassitudo parietum dictae fabricae proportionabiliter corresponderet, ac tam intra quam extra fabricam huiusmodi insignia dictorum fundatorum ad ornamentum apponi, necnon in choro monialium huiusmodi sedes ligneae ex nuce convenienter ornatae adesse. Pro huiusmodi vero fabrica ex qualibet illius parte singulisque ornamentis tam in genere quam in specie, etiam quoad longitudinem, latitudinem et altitudinem superius declaratas, typus seu modulus designari ac sepultura et cratis huiusmodi non aliter quam ad ornatum dictae fabricae extrui deberent; liceret tamen durante fabricae praed. constructione si ita videretur expedire, aliquam ex conditionibus praedictis de voluntate seu consensu amborum partium sive conventus, monasterii ac pro tempore existentis patroni maioris cappellae huiusmodi alterare vel immutare. In choro quoque et cappella maiori novae ecclesiae huiusmodi tres ex imaginibus in veteri ecclesia ipsius monasterii tunc existentibus, una vero in maiori, et aliae duae in duobus collateralibus altaribus apponerentur. Et si ad maiorem chori et maioris cappellae huiusmodi ornatum aliquam ex dictis imaginibus reparare, vel aliquid ei addere oporteret, id expensis redituum fabricae et monasterio praedictis, ut infra, assignandorum fieret, ipsaque fabrica quoad emptionem situs quanto citius incohaeretur et perficeretur. In

ecclesia autem et maiori cappella praedictis ac intra et extra illas Ferdinandi et Catharinae praedictorum tantum iuxta typum seu modulum praedictum, et nulla alia insignia apponi possent.

Verum si aliqua persona lapidem planum cum insigniis in loco corporis dictae ecclesiae ei pro sepultura concesso apponere vellet, id sibi liceret, citra tamen illius elevationem ultra solum seu pavimentum et sine offendiculo. Similiter abbatissae et conventus praedictae possent, si vellent, aliquem situm in corpore dictae ecclesiae ad construendam cappellam aut altare, remanente tamen libero corpore dictae ecclesiae ita, ut altare seu cappella huiusmodi intra et non extra parietes ipsius ecclesiae sese extenderet, nullumque damnum vel detrimentum eisdem parietibus exinde proveniret, alicui concedere eoque casu liceret ei qui altare seu cappellam huiusmodi construeret, insignia sua intra et non extra illud seu illam apponere; quodque in duobus lateribus maioris, at quae in ea includi debent collateralium cappellarum, duo lucilia tantum ex candido lapide, unum videlicet pro Ferdinando in eo quo evangelium, alterum vero pro Catharina praedictis, in altero quo epistola recitatur, lateribus ac parte et loco illis benevisis, non tamen maiori altari cum imaginibus ipsorum Ferdinandi et Catharinae, et suis epitaphiis extrueretur, et in aliqua earum parte apponeretur lapis in quo eleemosyna dicto monasterio elargita ac piae memoriae, quae in sua parte faciendae et adimplendae forent, declararentur, neque ullo unquam tempore alia simulacra in maiori et collateralibus cappellis praedictis esse possent. Ipsius autem Ferdinandi et quondam Ioannae de Robles uxoris ac Eleonorae etiam Franco filiae quondam Petri similiter Franco corpora quae in una ex cappellis ecclesiae monasterii monialium ss. Trinitatis etiam Toletan. deposita erant, ad chorum et cappellam maiorem novae ecclesiae huiusmodi, et interim si dicta Catharina vellet, ad cappellam maiorem quam dictum monasterium s. Antonii de praesenti habet, transferri, et in die translationis huiusmodi abbatissa et conventus praedictae solemnitatem et officia in simili casu requisita celebrare, ac locum aliaque necessaria ad celebrationem missarum et officiorum huiusmodi pro Ferdinando et Catharina praedictis per parochos, religiosos et confratres recitandorum, tam eo tempore quam die eiusdem translationis suppeditare tenerentur; eademque officia in die obitus eorumdem Petri et Catharinae recitari, neque in sepultura facienda in cappella maiori novae ecclesiae huiusmodi aliarumque per dictum Ferdinandum in suo testamento declaratarum personarum cadavera sepeliri deberent.

Finita autem integre et absoluta dicta fabrica, abbatissa et conventus praedictae qualibet hebdomada medietatem missarum conventualium pro dictis fundatoribus in perpetuum celebrari facere, et tempore celebrationis earumdem duas candelas cereas ardentes in dicto maiori altari, et ab illis verbis *sanctus sanctus* usque ad consumationem ss. sacramenti facem ceream etiam accensam in latere altaris huiusmodi collocare, necnon in festo omnium sanctorum et die commemorationis defunctorum similiter in perpetuum unam conventualem et alias duas recitatas missas cum suis responsoriis ac officium defunctorum cum tribus lectionibus pro animabus ipsorum fundatorum recitare; ac quatuor faces cereas similiter accensas in quatuor eorum sepulturae lateribus, necnon tres anni festivitates, videlicet incarnationis d. n. Iesu Christi necnon s. Ferdinandi quae die festo eiusdem s. Antonii occurrit, ac s. Catharinae v. et m. suis propriis diebus cum missa et vesperis cantatis, ac concione omnique solemnitate celebrari, ac inter missarum vesperarumque huiusmodi solemnia in dictis maiori altari duas candelas, et in illius lateribus totidem faces cereas

accensas in duobus candelabris, blandonibus nuncupatis apponi; et finitis singulis missis et vesperis cantatis praedictis, unum responsorium etiam cantatum pro ipsis fundatoribus recitari facere; et casu quo finita dicta fabrica, Catharina ac qui tunc in humanis agebat, Petrus praedicti ac pro tempore existentes dictae maioris cappellae patroni aliquas cappellanias in dicta nova ecclesia dotare vellent, ipsae abbatissa et conventus omnia ad celebrationem missarum illarum ratione debitarum necessaria suis expensis, dummodo cappellaniae ipsae numero sex non excederent. Si vero ex tunc fundarentur dictae cappellaniae aut earum aliquae, tali casu haec omnia mediante aliqua eleemosyna eis annuatim per dictos fundatores, donec fabrica huiusmodi absolveretur, eroganda suppeditare; necnon finita eadem fabrica, quatuor moniales quae omnes per Catharinam quamdiu viveret, ea vero vita functa, duae per Petrum praedictos et ipsius Petri in suo maioricatu successores eumdem maioricatum pro tempore possidentes, aliae vero duae ex dictis quatuor monialibus per personam seu personas ab ipsa Catharina in suo testamento aut alia quacumque scriptura seu dispositione designandas nominarentur, in ipso monasterio s. Antonii recipere et eis alimenta ac alia omnia necessaria absque ulla dotis aut alicuius alterius in praestatione subministrare; nec moniales sic nominatae quicquam ultra lectos et vestes in ipso ingressu afferre tenerentur, idque in perpetuum observari; et earum una deficiente, alia in ipsius locum praevia nominatione, ut praefertur, facienda sufici deberet. Et quia dilecta filia Maria de Torres in dicto monasterio s. Antonii uti portinaria de mandato dictae Catharinae tunc reperiebatur, abbatissa et conventus praedictae illam sicut reliquas illius portinarias deinceps alere; ipsa vero Catharina decem mille morapetinos quotannis pro alimentis huiusmodi usque ad tempus sibi benevisum solvere. Et si interim quod fabrica huiusmodi absolveretur, dicta Maria habitum inibi per moniales dicti monasterii s. Antonii gestari solitum susciperet, ac professionem per eas emitti consuetam expresse emitteret regulares, abbatissa et conventus huiusmodi sibi illa omnia quae aliis monialibus subministrabant etiam subministrare; dicta tamen Catharina eis decem mille morapetinos huiusmodi etiam quod ipsa Maria professionem praedictam emitteret, quolibet anno donec eadem fabrica finita esset, praestare; illa vero finita, dicta Maria pro una ex quatuor monialibus, ut praefertur, nominandis in praedicto monasterio s. Antonii haberi et ex tunc deinceps inibi absque dictorum decem mille morapetinorum aut alterius dotis praestatione permanere deberent; et si dicta Catharina in solutione decem millium morapetinorum huiusmodi, ut praefertur, facienda deficeret, abbatissa et conventus praedictae a praestatione alimentorum huiusmodi essent liberae. Insuper quamdiu opus fabricae huiusmodi imperfectum foret, unam missam conventualem qualibet dominica celebrare et dictas tres festivitates solemnizare, necnon officium omnium sanctorum et defunctorum cum candelis et facibus cereis sopradictis recitare; Catharina vero praedicta ipsis abbatissae et conventui in eleemosynam et recompensam onerum ab eis, ut praefertur, adimplendorum, reditus annuos mille ducatorum summam trecentorum et septuaginta quinque millium morapetinorum monetae illarum partium constituentium ex illis qui sibi vigore privilegii regii competunt, centum videlicet et viginti unum mille ac centum et viginti quatuor sub xii. Decembris mdlxvii, ac alios novemdecim mille et quingentos ac triginta septem sub xxii. Februarii, necnon alios triginta septem mille et undecim sub xxvii. Aprilis mdlxx. super de Almoyarifatu maiori, et Almonacina ac Verueira nuncupatis Hispalen. aliosque septuaginta mille sub xix. Martii mdlxxx. aliosque octuaginta quatuor

mille sub IX. Maii MDLXXXII. necnon alios triginta mille ac ducentos et nonaginta unum sub XIX. Iunii MDLXXXIV. annorum Domini diebus super Toletan. civitatum datiis, tributis, vectigalibus et censibus annuis, ac reliquos viginti tres mille et triginta tres morapetinos ad rationem quatuordecim millium pro quolibet millenario numero huiusmodi in complemento trecentorum et septuaginta quinque mille morapetinorum praedictorum de iuribus per ipsam Catharinam ad rationem praedictam pro dicto monasterio s. Antonii emptis vel emendis, super eisdem datiis, tributis, vectigalibus et censibus annuis perpetuo donare et assignare, necnon privilegia et iura sibi competentia a principio anni Domini MDLXXXVI. in favorem praedicti monasterii s. Antonii renunciare, ac mandatum procuratorium uti in rem propriam pro illorum recuperatione, prout foret necessarium, tradere, et ultra praemissa eisdem abbatissae et conventui unum cafetium tritici boni et recipientis quolibet anno in fine mensis Augusti solutionem ipsam incipere a principio dicti anni MDLXXXVI. usque ad diem finitae fabricae praedictae continere deberent et tenerentur, illa autem finita obligatio huiusmodi quoad triticum praedictum cessaret, nec triticum huiusmodi amplius praestaretur.

Et quia pro construenda fabrica huiusmodi necesse erat amera situm prope dictum monasterium s. Antonii, dicta Catharina eisdem abbatissae et conventui alios mille ducatos similes ex fructibus redituum ab ea sic donatorum, quatenus ipsa vellet recuperandorum mutuo dare fructus tantum ex praedictis reditibus mille ducatorum, ut praefertur, donandis et assignandis pro tempore proventuri una cum privilegiis praedictis, ac super donatione, assignatione et renunciatione huiusmodi confectis scripturis et instrumentis, in una arca tribus diversis seris et clavibus claudenda, et intra dictum monasterium s. Antonii collocanda reponi, earumdemque clavium unam abbatissa pro tempore existens, ac aliam Petrus eiusque successores dictum maioricatum pro tempore possidentes, et reliquam Catharina praedicti habere. Ille autem qui curam reditus mille ducatorum huiusmodi recuperandi, et pecunias ex dicta arca ad usum dictae fabricae extrahendi et recipiendi haberet de consensu ipsarum partium deputari, et ex tunc Alphonsus da Torres economus, et si unus huiusmodi non acceptaret, Alphonsus similiter Franco rector seu gubernator dictae civitatis Toletan. dilecti filii nominari seu eligi. Expensae vero pro recuperatione redituum huiusmodi necessariae ex eisdem reditibus fieri deberent. Et quia superius reservata fuit facultas aliquam ex dictis conditionibus fabricam praedictam concernentem de consensu utriusque partis alterandi, abbatissa et conventus, ac Catharina praedictae consenserint, quod chorus monialium qui in longitudine triginta pedes dumtaxat continere debebat, esset longitudinis sexaginta pedum, quatenus situs ex reditibus mille ducatorum huiusmodi emendus foret, aptus ad illius amplationem absque diminutione longitudinis ac latitudinis novae ecclesiae praedictae; ipsaque Catharina pro praesentis transactionis firmitate privilegia et iura reditus annuos mille ducatorum huiusmodi concernentia, necnon facultatem illos recuperandi eisdem abbatissae et conventui ad hoc, ut ipsae et dictum earum monasterium reditibus huiusmodi a die prima Ianuarii dicti anni frui possent, excepto reditu viginti trium millium et triginta trium morapetinorum per dictam Catharinam, nomine eiusdem monasterii s. Antonii, ut praefertur, emendo tradidit et consignavit, ac privilegia et iura huiusmodi certa et secura esse, nullaque ratione ad aliquam aliam personam pertinere asseruit. In eventum autem redemptionis redituum huiusmodi aut alicuius eorum pretium inde proveniens, in dicta arca sub seris et

clavibus praedictis, donec iterum in emptionem aliorum redituum similium arbitrio abbatissae et conventus ac Catharinae; ipsa autem Catharina defuncta pro tempore existentis patroni praedictorum converterentur, asservari deberent. Insuper eadem Catharina se ad extructionem fabricae huiusmodi in exequutionem testamentariae dispositionis dicti Ferdinandi, cuius ipsa haeres cum beneficio legis et inventarii fuit devenire, ac per eum uni ex duabus fabricis ad quas iuxta tenorem testamenti eiusdem Ferdinandi tenebatur satisfacere, declaravit; quodque transactionis praedictae confirmatio a sede apostolica per abbatissam et conventum huiusmodi infra biennium ab ultimo dicto anno computandum impetrari deberet, alioquin ipsa Catharina eam obtinere et impetrare non posset; expensae autem ad id necessariae ex reditibus mille ducatorum huiusmodi detraherentur, et tam abbatissa et conventus quam Catharina praedictae pro se et suis successoribus ad maiorem eiusdem transactionis firmitatem et securitatem cuicumque iuri et privilegio, etiam ipsis quomodolibet concesso, quod transactioni huiusmodi et aliis praemissis adversari videretur, renunciarunt, seque ecclesiasticis et quoad ipsam Catharinam etiam saecularibus iudicibus, qui eas et eos respective ad observationem praemissorum compellere possent, subiecerunt; ac de illis observandis et non petendo absolutionem a iuramento utrinque desuper praestito sese suaque bona praesentia et futura quaecumque in validiori forma obligarunt; partique contrafacienti seu adversanti poenam quinque millium ducatorum pro una camerae regiae, pro altera vero illorum medietatibus parti obedienti nec contradicenti applicandorum constituerunt, et alias prout in publicis scripturis et instrumentis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Quare pro parte abbatissae et conventus ac Catharinae praedictarum asserentium transactionem huiusmodi in divini cultus ac piorum operum augmentum dictique monasterii s. Antonii notabile commodum cedere, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus transactioni huiusmodi pro illius subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui honestis fidelium quorumlibet votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, abbatissam et Catharinam praedictas earumque ac conventus huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon veriores transactionis pactorum, conditionum, scripturarum et instrumentorum praedictorum tenores ac situs emendi et reditum praedicto monasterio s. Antonii, ut praefertur, assignandorum confines, vocabula, denominationes, qualitates et quantitates, ac veros etiam annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, transactionem huiusmodi ac omnia et singula in scripturis seu instrumentis praedictis contenta, necnon inde secuta quaecumque apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet requisitarum vel necessariarum, et quosvis alios quantumvis substantiales defectus, si qui in praemissis vel aliquo eorum quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decernentes transactionem praedictam perpetuo validam et efficacem esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tam per modernam ac pro tempore existentem abbatissam et conventum monasterii s. Antonii huiusmodi, quam dictam Catharinam eiusque haeredes et successores quoscumque, ecclesiae et maioris cappellae praedictarum pro tempore patronos

et quosvis alios ad quos nunc quomodolibet spectat et spectare poterit in futurum, perpetuo, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri debere, sc a transactione, conditionibus et pactis praedictis quovis quaesito colore vel ingenio resiliri vel recedi nullatenus nuquam posse: sicque per quoscumque iudices etc. Insuper praedictae Catharinae intuitu fundationis et dotationis huiusmodi, ut semel atque iterum, vel etiam ter quolibet anno quandocumque sibi benevisum fuerit, dictum monasterium s. Antonii cum uno vel duabus aliis honestis mulieribus ad id ab ea eligendis, ita tamen ut semel electas, nonnisi in casu mortis mutare queat, ingredi, et cum illius monialibus colloqui atque conversari, ac etiam corporalem refectionem sumere libere et licite valeat, neque ipsa et mulieres praedictae desuper a quoquam molestari vel impediri possint, auctoritate et tenore praedictis de speciali gratia concedimus et indulgemus. Quocirca dilectis filiis canonicis poenitentiario et magistrali ecclesiae Toletan. ac officiali Toletan. nunc et pro tempore existentibus, et eorum cuilibet per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, abbatissae et conventui ac Catharinae praedictis, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia observari, nec permittant eas seu eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet etc. invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud sanctum Marcum die xii. Septembris pontificatus nostri anno i.

IX.

Commutat testatoris voluntatem. Ex regest. secr. brev. in mense Ianuario pag. 135.

Ad futuram rei memoriam.

Expositum nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum prioris et fratrum conventus s. Francisci Transtyberim de Urbe, quodque Hieronymus Vilalba in eius ultimo per eum condito testamento, eidem conventui scuta ducenta cum onere tamen quod prior et fratres praedicti unam missam qualibet hebdomada pro anima ipsius testatoris in perpetuum celebrare teneantur, reliquit, prout in dicto testamento latius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, prior et fratres praedicti huiusmodi legati cum dicto onere incapaces existant, et propterea cupiant onus celebrationis dictae missae per nos ad effectum, ut legatum praedictum pro extinctione debitorum ac perfectione fabricae dicti conventus consequi possint, ut infra commutari, ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur prioris et fratrum praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere ac ipsos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et quemlibet eorum a quibusvis excommunicationis etc. censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem priori et fratribus, ut loco missae qualibet hebdomada, ut supra, celebrandae, quatuor anniversaria et ducentas missas pro una vice tantum in ecclesia dicti conventus celebrare, sicque voluntati dicti Hieronymi testatoris, quam nos ad hunc effectum specialiter com-

mutamus, satisfacere, et propterea legatum praedictum ducentorum scutorum consequi et habere, dummodo tamen praedicta ducenta scuta in extinctionem debitorum et perfectionem fabricae huiusmodi, ut praefertur, convertantur, libere et licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Mandantes propterea dilecto filio nostro in alma Urbe vicario, ut praesentes literas et in eis contenta quaecumque ubi quando et quoties opus fuerit, et pro parte dictorum prioris et fratrum fuerit requisitus solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, legatum praedictum ducentorum scutorum eisdem priori et fratribus per haeredes dicti testatoris seu alios quoscumque ad quos spectat, statim cum effectu tradi et consignari faciat, illos et quoscumque alios contradictores per censuras etc. Non obstantibus etc. caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die VIII. Ianuarii pontificatus nostri anno I.

X.

Instituit commissarium apostolicum super fratres reformatos conventuales Antonium Marler minoritam de observantia. Ibidem in mense Decembri pag. 100.

Dilecto filio Antonio Marler fratri ordinis minorum s. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

De statu fratrum reformatorum ordinis minorum conventualium s. Francisci prospere dirigendo pro nostro pastorali munere soliciti, ac de tua prudentia, fide, integritate ac religionis zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio et certa scientia ac matura deliberatione nostra, te ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia expresse professum, praedicti ordinis fratrum reformatorum minorum conventualium visitatorem nostrum apostolicum auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus, tibique per easdem praesentes committimus et mandamus, ut ordinem praedictum, eius monasteria, domos, conventus et loca regularia quaecumque ubivis existentia, eorumque guardianos, priores aliosque superiores et fratres quoscumque, auctoritate nostra apostolica quamprimum visitare, ac tam in capite quam in membris corrigere et reformare, ac in singulorum vitam, ritus, mores et disciplinam diligenter inquirere, necnon evangelicae et apostolicae doctrinae, sanctorum patrum traditionibus ac sacrorum canonum et generalium conciliorum decretis, atque regularibus ipsius ordinis institutis inhaerendo, quaecumque ad reformationem et prosperam directionem eorumdem fratrum pertinentia mutatione, correctione, reformatione, emendatione, revocatione, renovatione atque etiam ex integro editione indigere cognoveris, mutare, corrigere, reformare, emendare, revocare, renovare et de novo constituere, condita sacris canonibus et concilii Tridentini decretis ac regularibus eiusdem ordinis institutis non repugnantia confirmare, abusus quoscumque tollere, bonos ac laudabiles institutiones, ac in primis divinum cultum ac disciplinam et observantiam regularem ubicumque exciderint, modis congruis restituere, quoscumque in aliquo delinquentes repertos, et iuxta canonicas sanctiones et regularia eiusdem ordinis instituta punire et castigare; quae vero graviora repereris ac etiam universum statum dicti ordinis fratrum reformatorum conventualium in scriptis diligenter redigere

et ad nos deferre procures. Nos enim tibi praemissa omnia et singulo faciendi, necnon quoscumque tibi desuper impedimentum aliquod afferentes ac inobedientes, et alios contradictores, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, ac directe seu indirecte quomodolibet praestontes, per censuras et poenas ecclesiasticas oliaque opportuna iuris et facti remedia compescendi, necnon alia omnia et singula in praemissis et eirca eo necessario et opportuna iuxta instructionem maudato nostro tibi a congregatione reformationis apostolicae dandam faciendi, gerendi et exequendi, auxiliumque brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi, plenam et liberam facultatem et auctoritotem concedimus et impartimur. Volumus outem ut toto illo temporis spatio, quo tu in alicuius mouasterii seu domus et conventus dicti ordinis visitatione occupatus fueris, aliorum quorumvis superiorum auctoritas eo in loco tantum eessit, quousque illius visitatione absoluta tu exinde discesseris. Quapropter dilectis filiis universis et singulis eiusdem ordinis fratrum reformatorum conventualium huiusmodi per praesentes in virtute sanctoe obedientioe ac sub indignationis nostrae aliisque gravioribus arbitrii nostri poenis praecipimus et mandamus, ut te tamquam apostolicum visitatorem et reformatorem honorifice recipiant et admittant, tuaque salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, necnon ministro generali ac aliis eiusdem ordinis fratrum minorum conventualium superioribus per easdem praesentes iniungimus, ut tibi in huiusmodi visitatione ac reformotione non solum non impediant, sed potius quandocumque o te fuerint requisita, faveant et assistant. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die x. Decembris pontificatus nostri anno I.

XI.

Pro Simeone a Diano commissario super legatis fratrum reformatorum. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 682.

Dilecto filio Simeoni a Diano fratri ordinis fratrum s. Francisci de observantia reformatorum professo salutem et apost. benedictionem.

Cum tu, qui secretarius reformationis ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum in regno Neapolitano ac vicecustos reformationis provinciae Principatus existis, nobis nuper significaveris, reperiri in ecclesiis domorum fratrum reformotorum quamplurimas cappellas seu altaria existentia, ad quae sive piorum legatorum sive alio iure diversi annui reditus partim in censibus partim in bonis stabilibus pertinent; et quia fratres tui ordinis reformatorum qui nunc dictas ecclesias possident, huiusmodi redituum et legatorum incapaces existunt, et propterea dictos reditus et legata expresse renunciaverunt, sive renunciare censuerunt reditus et bona praedicta, a patronis cappellarum et altarium, seu ab aliis personis laicis sive ecclesiasticis, qui quovis praetextu etiam reverendae fabricae ius praetendunt, sive quomodolibet impedita vel effecta detinentur, oe occupata in eorumdem animarum perniciem et ecclesiarum detrimentum. Nos, quibus ex pastoralis nostri muneris debito ea cura praecipue incumbit, ut bona ecclesiastica illaesa conserventur, et chri-

Digitized by Google

stifidelium animarum saluti opportune consulatur, de tua fide, integritate et diligentia plurimum in Domino confisi, ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum tibi per praesentes committimus et mandamus, ut in visitatione conventuum eiusdem ordinis provinciarum Principatus, Neapolis, Basilicatae, Calabriae, Septem Martyrum, s. Nicolai, s. Angeli et s. Bernardini singularum cappellarum et altarium in quibuslibet fratrum eiusdem ordinis ecclesiis existentium ad quas et quae aliqui reditus annui in quibuscumque rebus consistentes quocumque modo pertineant, necnon quorumcumque etiam piorum legatorum cappellis et altaribus, seu ipsismet cappellis et conventibus quorumlibet relictorum notam et descriptionem diligenter recipias et in libellum particularem redigas, illudque accurate compilatum sub authentica forma ad nos postea transmittas, et ad hunc effectum quascumque personas tam ecclesiasticas quam saeculares quavis dignitate et auctoritate fungentes, auctoritate nostra commoneas, eisque sub excommunicationis et aliis ecclesiasticis censuris et poenis praecipias, ut redituum et bonorum praedictorum, quorum notitiam quovis modo habuerint, notam tibi fidelem revelent. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis eorumque vicariis in spiritualibus generalibus per praesentes committimus et mandamus, ut ipsi et unusquisque eorum tibi in praemissis assistant ac opportunum favorem et auxilium praestent et exhibeant; contradictores quoscumque etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxv. Octobris pontificatus nostri anno i.

XII.

Plura largitur episcopo Sophiensi. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 455.

Venerabili fratri Petro episcopo Sophien. salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut nobis nuper exponi fecisti in provincia seu regno Serviae et finitimis regionibus turcarum tyrannidi subiectis reperiantur plurimae plebes et christifideles latino ritu viventes, qui inter alias ingentes calamitates quibus assidue in tyrannica infidelium servitute praemuntur, carent sacerdotibus clericis et religiosis personis, a quibus doctrinam christianam edoceantur, ecclesiastica sacramenta percipiant, et Dei verbum, sacras missas et alia divina officia audiant. Ac propterea tu christianae fidei iuvandae et conservandae, ac pietatis studio permotus atque animarum christifidelium illic commorantium salutis zelo accensus, ad eas partes cum aliquibus presbyteris et clericis saecularibus et regularibus de tuorum illorumque superiorum licentia, et cum nostra benedictione te conferre desideres, ut una cum illis valeas eisdem fidelibus divinum verbum praedicare, sacramenta ministrare, divina officia et alia ecclesiastica munia praestare, et in christiana doctrina confirmare. Idcirco nos salutare hoc tuum propositum et devotionem plurimum in Domino commendantes, imprimis tibi ac eisdem sociis tuis qui tecum venient, paternam nostram et apostolicam benedictionem damus et impartimur. Deinde piis tuis in hac parte votis libenter annuentes, ut commodius praemissa ad omnipotentis Dei gloriam et honorem adimplere et exequi possis, quo maiori fueris facultate suffultus, tibi ut aliquot religiosos viros idoneos et probatos, tam tui fra-

Digitized by Google

trum minorum de observantia et cuiusvis alterius ordinis regulares seu professores in sacris presbyteratus ordinibus constitutos ac etiam laicos quam presbyteros et clericos saeculares de suorum tamen licentia superiorum vel ordinariorum in socios ad huiusmodi munus exequendum assumere et tecum adducere, quibus quidem tu tamquam guardianus seu illorum superior quamdiu in dictis partibus eos commorari contigerit, praeesse debeas; ac ut tu et socii tui presbyteri praedicti missas et alia divina officia in partibus illis tam in ecclesiis et cappellis, quam etiam in oratoriis et aedibus privatis, ubi vobis propter periculum aut aliam necessariam vel rationabilem causam visum fuerit expedire, in loco tamen honesto et decenti celebrare, necnon ut tam tu quam socii tui presbyteri in locis praedictis, si parochus non adfuerit, quoscumque fidelium natos, pueros et infantes, necnon alios quoscumque ad veritatem fidei venire cupientes recipere et baptizare: tu quoque et socii tui presbyteri in baptismo ministrando sacro chrismate et oleo cathecumenorum veteribus seu eo anno non benedictis, si nova commode habere non poteritis, respective uti: insuper tu et praedicti socii tui presbyteri utriusque sexus christifidelium etiam presbyterorum peccatorum confessiones audire, eosque ab omnibus peccatis et excessibus, criminibus et delictis per eos commissis, necnon ab excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati extiterint, in quibusvis casibus etiam in bulla die coenae Domini legi solita comprehensis (praeterquam homicidii vel mutilationis membrorum personae episcopi vel praelati superioris) iniuncta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari, ac aliis quae fuerint iniungenda, absolvere; ac quoscumque a fide christiana et catholica aberrantes, apostatas, haereticos et schismaticos poenitentes et ad cor redeuntes, seque ad gremium s. r. e. recipi humiliter postulantes, si et postquam haereses, schismata et errores suos et alios quoscumque, atque a fide apostasiam publice vel secreto, prout vobis magis expedire videbitur, coram tamen notariis ecclesiasticis detestati fuerint, anathematizarint et abiuraverint, ab apostasia, haeresi, schismate et erroribus suis, necnon excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis in quas praemissorum occasione incurrerint, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari, et aliis quae duxeritis iniungenda, in foro dumtaxat conscientiae absolvere et liberare, ac eidem gremio et unitati fidelium restituere et reconciliare, atque ut praedictis christifidelibus sacrosanctae eucharistiae et alia sacramenta, non tamen sacrae confirmationis ministrare, quae sacerdotes parochi conferre possunt, et nuptiis per eos legitime contrahendis in locis, in quibus copia proprii parochi haberi non potest, tamquam proprii parochi interesse, ac illis sacerdotalem benedictionem impendere; insuper, ut quoscumque qui tertio et quarto simplicibus aut mixtis consanguinitatis seu affinitatis gradibus coniuncti, seu se attinentes matrimonium inter se scienter vel ignoranter contraxerint, et carnali copula consummaverint, ab incestus reatu et excommunicationis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis per eos propterea incursis, iniuncta eis arbitrio nostro aliqua publica vel salutari poenitentia, in utroque foro absolvere, ac cum eis necnon etiam cum aliis similibus gradibus coniunctis, seu se attinen. matrimonium inter se ex aliqua causa vobis probata contrahere volentibus, ut impedimentis huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis non obstantibus, matrimonia inter se publice, servata forma concilii Tridentini contrahere, illudque in facie ecclesiae solemnizare, ac in eis postmodum remanere valeant, dummodo mu-

lieres propter hoc raptae non fuerint, eadem auctoritate dispensare prolesque susceptas et suscipiendas exinde legitimas decernere et nunciore libere et licite possitis et valeatis. Praeterea saluti fidelium illarum partium consulere volentes, ut omnibus et singulis christifidelibus in praedictis partibus commorantibus vere poenitentibus, qui vobis, aut aliis sacerdotibus saecularibus vel regularibus ab eorum ordinariis, seu superioribus approbatis seu alias quomodolibet deputatis, peccata sua confessi fuerint ac sacram si poterunt eucharistiam susceperint, et iuxta ordinationem per vos desuper faciendam oliquod ieiunium, aut pietatis opus praestiterint, ac pro sanctae fidei christianae salute pias ad Deum preces effuderint, semel plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate nostra gratis tamen et absque ullo praemio concedere et impartiri similiter libere et licite possitis et valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus committimus et indulgemus, ac plenam et liberam desuper facultatem et potestatem damus et impartimur. Non obstantibus etc. Volumus autem et declaramus huiusmodi facultates in praesentibus nostris literis contentas, tibi et praedictis tuis sociis coniunctim concessas, in solidum tibi, et eis ac cuilibet vestrum esse concessas, atque ad quinquennium tamen duraturas ac vobis in praedictis dumtaxat partibus turcarum tyrannidi seu temporali dominio subiectis et non alibi commorantibus, necnon etiam ad alios Illyricos et ethnicos, et haereticos pro eorum conversione divertentibus, et ibi ad hunc effectum commorantibus suffragari, nisi a nobis aliud expresse mandari contigerit in futurum.

Datum Romae apud s. Marcum die XIII. Septembris pontificatus nostri anno I.

XIII.

Pro Francisco Ianes confessario ducis Gandiae. Ex eod. reg. in mense Iunio pag. 756.

Dilecto filiio Francisco Ianes Menos fratri professo ordinis minorum s. Francisci de observantia provinciae Valentiae salutem et apostolicam benedictionem.

Piis ac devotis supplicationibus pro parte dilecti filii nobilis viri Caroli de Borgia ducis Gandiae et comitis Olivae nobis humiliter porrectis inclinati; ac etiam auctoritate venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum tibi; quem ipse dux in suum confessorem dudum elegit, ut quamdiu confessoris ipsius ducis munere fungeris, pro illius spirituali consolatione et commodo in conventu tui ordinis civitatis Valentiae sive oppidorum Gandiae seu Olivae ubi dictus dux pro tempore commorabitur, sub obedientia superioris eiusdem conventus manere et morari ita, ut exinde ab aliquibus tuis superioribus removeri aut alio transmitti non possis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, tuisque superioribus praedictis ne te super hoc impedire vel molestare debeant, nec ab aliis impediri vel molestari permittant; quinimo te benigne tractare procurent, committimus et mandamus, irritum nihilominus et inane decernentes quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XXVII. Iunii pontificatus nostri anno I.

XIV.

Pro Maria archiducissa Austriae. Ex eodem regest. in mense Septembri pag. 331.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Mariae archiducissae Austriae salutem et apostolicam benedictionem.

Piis ac devotis supplicationibus tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, tibi ut dilectos filios nobiles viros Maximilianum, Leopoldum et Carolum natos tuos in monasterium monialium s. Clarae oppidi Graecii a te erectum et dotatum, situm in loco ubi olim per haereticos concionari ac alia exercitia haereticorum fieri solebant, tecum ter tantum singulis annis, accedente illius superiorum consensu, ducere, dummodo soli absque ullo aliorum virorum famulatu, et te semper assistente et praesente ingrediantur, et ea qua tales principes decet, modestia et honestate procedant, et paululum ibi commorentur, nec ullatenus illi ibidem pernoctent, libere et licite valeas, et illi ingredi valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et indulgemus. Insuper dilecto etiam filio nobili viro Ferdinando archiduci Austriae etiam nato tuo, ut una tecum vel eum eius uxore praedictum monasterium quatuor aut quinque vicibus in anno, modo et forma supradictis, similiter ingredi valeat, licentiam et facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die x. Octobris pontificatus nostri anno I.

XV.

Pro monialibus s. Luciae Fulginei. Ibid. in mense Decembri pag. 602.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et monialibus monasterii s. Luciae Fulginaten. salutem et apostolicam benedictionem.

Vestro nomine nobis nuper expositum fuit, quod alias fel. rec. Innocentius VIII. Paulus III. et Sixtus V. romani pontifices praedecessores nostri, vobis quae in maxima paupertate constitutae estis et nihil possidetis, et ab esu carnium continue abstinetis, in subventionem vestram, ut res omnes ad victum vestri monasterii necessarias tam emptas quam in eleemosynam vobis erogatas undecumque absque alicuius gabellae solutione extrahere valeretis, concesserunt; et ulterius ipse Sixtus unum rubium salis quolibet anno eius vita durante vobis donari voluit et ordinavit. Quodquo praedictus Paulus III. decem salmas frumenti ex eo quod in agro Clusii pro tempore colligeretur a thesaurario Perusiae singulis annis in festo Assumptionis b. Mariae virginis, donec ipse in humanis ageret, vobis donari ordinavit; quae donatio a rec. mem. Iulio papa III. confirmata fuit, necnon idem Paulus III. vobis singulis annis in perpetuum unam salmam piscis ex lacu Perusino in festo s. Luciae virginis et martyris pariter donavit; et idem Iulius III. hanc etiam donationem confirmavit et approbavit, prout in diversis eorumdem praedecessorum literis plenius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, vos cupiatis concessiones praedictas pro illarum subsistentia firmiori, apostolica nostra confir-

matione communiri, nobisque propterea humiliter supplicari feceritis, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos literarum eorumdem praedecessorum tenores praesentibus pro expressis habentes, et vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessiones et gratias praedictas vobis ab eisdem Innocentio VIII. Paulo III. Iulio III. et Sixto V. praedecessoribus nostris, ac literas praefatas, quatenus sint in usu, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, ac apostolicae firmitatis robore communimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die IX. Decembris pontificatus nostri anno I.

XVI.

Pro Stephano de s. Paulo. Ibidem in menso Decembri pag. 445.

Dilecto filio Stephano de s. Paulo fratri ordinis minorum s. Francisci de observantia provinciae Algarbiorum salutem et apostolicam benedictionem.

Religionis zelus, vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut commoditatibus tuis, quantum cum Domino possumus, libenter consulamus. Exponi siquidem nobis nuper fecisti quod dilectus filius Ioannes de Rada procurator generalis ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia tibi pro nonnullis negotiis fratrum dicti ordinis gerendis, quousque dicta negotia expedita fuerint, conventum s. Francisci de Xabiegas de familia Ulysiponen. assignavit, prout in eiusdem procuratorie generalis patentibus literis desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, tu pro maiori assignationis dicti conventus validitate cupias illam apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te praemissorum meritorum intuitu specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, assignationem dicti conventus per dictum procuratorem generalem, ut praefertur, factam, ac literas patentes praedictas desuper expeditas cum omnibus et singulis in illis contentis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Mandantes propterea superioribus et fratribus dicti conventus, ne te negotiis huiusmodi durantibus super praemissis molestare vel inquietare praesumant, quinimo omnibus et singulis in dictis patentibus literis contentis te pacifice frui et gaudere permittant et faciant. Per praesentes autem non intendimus dicti procuratoris generalis manus ligare, quominus literas patentes huiusmodi quandocumque voluerit, revocare possit. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die X. Decembris pontificatus nostri anno I.

XVII.

Indulget receptionem conventus in oppido Lattarici. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. **182**.

Venerabili fratri episcopo Bisinianen. seu dilecto filio eius in spiritualibus vicario generali salutem et apostolicam benedictionem.

Exigit pietas ac singularis devotionis affectus quo dilecti filii universitas et homines terrae Lattarici tuae Bisinianen. dioecesis, b. Franciscum confessorem eiusque religionem prosequuntur, ut eorum piis votis praedictae religionis incrementum respicientibus, quantum cum Domino possumus, libenter annuamus. Cum itaque sicut pro parte eorumdem universitatis et hominum nobis nuper expositum fuit, ipsis dudum pro spirituali civium et incolarum dictae terrae fructu, consolatione ac animarum salute divinisque cultus augmento cupientibus, ut in ipsa terra una domus fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia erigeretur, dilecti etiam filii confratres confraternitatis ss. Annuntiatae dictae terrae ipsis fratribus pro domus huiusmodi erectione eorum ecclesiam eiusdem ss. Annuntiatae, quae de iure patronatus dictorum confratrum ex fundatione seu dotatione esse asserunt cum omnibus iuribus et pertinentiis ad dictam ecclesiam quomodolibet spectantibus, de consensu tum ipsius ecclesiae cappellani, reservato nostro et apostolicae sedis beneplacito, concesserint, prout in instrumento desuper celebrato cuius tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius dicitur contineri. Cumque tam dicti universitas et homines, quam dilecti filii superiores et fratres eiusdem ordinis pro maiori dictae ecclesiae concessionis validitate cupiant illam apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ad ea quae ad divini cultus augmentum, religionis propagationem et animarum salutem pertinent, intendentes animadvertentesque ex huiusmodi domus erectione, civium et incolarum dictae terrae aedificationi ac animarum saluti tum ex confessoribus, tum ex divinorum officiorum frequentia plurimum consuli posse, ac propterea dictorum universitatis et hominum pio desiderio quantum cum Domino possumus benigne annuere, ac ipsos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et si praemissa vera esse repereris, concessionem dictae ecclesiae ss. Annuntiatae per dictos confratres eisdem fratribus, ut praefertur, factam ac instrumentum desuper celebratum, ac omnia et singula in illo contenta, dummodo tamen sint licita et honesta ac forma constitutionis fel. rec. Clementis papae VIII. praedecessoris nostri super receptione monasteriorum edita servata fuerit, auctoritate nostra apostolica confirmes et approbes, ac illis inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, suppleas. Ac concessionem praedictam validam, firmam et efficacem existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, ac superioribus et fratribus praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, illosque desuper a dictis confratribus pro tempore existentibus, aut quibusvis aliis quavis auctoritate supra

huiusmodi concessione molestari, perturbari vel inquietari minime posse ex dicta auctoritate decernas et declares. Ac praeterea eisdem superioribus et fratribus, ut apud dictam ecclesiam unum eorum ordinis conventum, in quo octo saltem fratres dicti ordinis ultra alios servientes ibi pro divinis officiis peragendis continuo residere debeant, sine tamen alicuius praeiudicio erigere possint, licentiam et facultatem concedas et impartiaris. Ac eidem conventui si et postquam erectus fuerit eiusque futuris custodi et fratribus, ut omnibus et singulis gratiis, indultis, concessionibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis et privilegiis quibus alii conventus, eorumque custodes et fratres dicti ordinis utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere solent ac possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia uti, frui et gaudere possint et valeant, dicta auctoritate nostra concedas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xi. Septembris pontificatus nostri anno ii.

XVIII.

Adprobat erectionem conventus in oppido Montisnovi. Ex bullario lib. ii. pag. 496.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri episcopi Senogallien. in spiritualibus generali salutem et apost. benedictionem.

In supereminenti apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus, divina dispositione vocati, ad divini cultus incrementum ac personarum et ministrorum ecclesiasticorum qui debitas laudes altissimo iugiter persolvant, propagationem et ampliationem nostrae solicitudinis aciem diligenter extendimus et ut christifidelium devotio magis accrescat et excitetur, animarumque desiderata salus proveniat, praecipue dum pia universitatum et hominum locorum vota id exposcunt, in his pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout personarum, locorum et temporum qualitate debite pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum terrae Montisnovi Senogallien. dioecesis petitio continebat, quod alias universitas et homines praedicti provide considerantes ipsam terram satis populosam esse, in eaque et adiacenti villa bismille et quingentos incolas vel circiter numerari unam tamen domum regularem ordinis fratrum minorum conventualium nuncupatorum reperiri, et illius fratres seu professores ex propriis reditibus et proventibus annuis quos domus huiusmodi satis uberes habet, non autem ex eleemosynis vivere consuevisse, huicque in ipsam terram alios alicuius ex ordinibus mendicantium religiosos constituta ibi illis commoda habitatione opportune introduci, et ex eleemosynis et piorum incolarum terrae huiusmodi largitionibus illis abunde victum et alia ad vitae sustentationem necessaria subministrari posse; idque non solum in commodum spirituale eiusdem terrae in qua pauci confessarii existunt, sed etiam in augmentum divini cultus cessurum esse; professores vero ordinis fratrum minorum de observantia et reformatorum nuncupatorum singulis locis in quibus accipiuntur exemplari eorum vita ac divini verbi praedicatione aliisque piis et spiritualibus exercitiis magnum adiumentum ad salutem animarum afferre consuevisse; ideo re inter

se pluries examinata et discussa, tandem peculiari eorum omnium erga secundo dictum ordinem affectu et zelo ducti, in ipsa terra unam illius domum eorum sumptu et impensa construere unanimi consensu statuerunt et decreverunt; et quia habito delectu situs nullus reperitur commodior et opportunior in tota terra praedicta et illius adiacentiis, quam qui rurali ecclesiae s. Crucis in ipsa terra prope eam sitae adiacet, dicta autem ecclesia una cum situ ipso ad eam spectante parochiali ecclesiae abbatiae nuncupatae presbyterorum saecularium eiusdem terrae perpetuo unita seu annexa est, vel alias ab eadem dependet; et cum dilecto filio moderno rectore abbate nuncupato dictae parochialis ecclesiae super unionis vel annexionis huiusmodi dissolutione aut praedictae ruralis ecclesiae ab eadem parochiali ecclesia separatione et dismembratione ad effectum fundationis dictae domus regularis egerunt, oblatoque ei censu annuo novem scutorum monetae illarum partium super quibusdam bonis stabilibus ad dilectum filium Petrum Franciscum Benedictum incolam dictae terrae spectantibus, rite et tuto imposito in recompensam fructuum et redituum ipsius ruralis ecclesiae, qui omnes ex petio terrae illi adiacente proveniunt et ad septem scuta similia annuatim vel circiter tantummodo ascendunt cum votis universitatis et hominum terrae praedictae benigne faventem, ot ad consentiendum cuicumque necessariae dissolutioni seu separationi et dismembrationi huiusmodi sub sedis apostolicae beneplacito paratum experti sunt. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, institutio domus regularis huiusmodi tum ad divini cultus in praedicta rurali ecclesia, et praedictorum piorum operum augmentum tum ad maximum spirituale bonum dictae terrae, in qua paucissimi confessarii, ut praefertur, adsunt, praedictique ordinis minorum de observantia reformatorum nuncupatorum propagationem tendere dignoscuntur, et ad illius extructionem universitas et homines iam ingentem lapidum copiam comparaverint, et ex eis plerique in sumptus circa eam necessarios diversas pecuniarum summas ad mille ducenta scuta eiusdem monetae vel circiter insimul ascendentes conferre in scriptis promiserint, et ex dissolutione seu separatione et dismembratione praedictis commodum et utilitatem, nullum autem damnum aut detrimentum dictae parochiali ecclesiae evenire posse videntur: pro parte universitatis et hominum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus infrascriptis annuere et desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui sacrae religionis propagationem ac divini cultus incrementum sinceris desideramus affectibus, universitatis et hominum huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon verum et ultimum dictae ruralis ecclesiae vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausula resultet, praesentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, de praemissis nobis expositis te diligenter informes, etsi per informationem eamdem ita esse repereris, ex nunc prout ex tunc et e contra postquam universitas et homines praedicti bona stabilia seu loca montium non vacabilium de Urbe ex quibusvis novem scuta similia percipi poterunt, loco censuum huiusmodi praedictae parochiali ecclesiae realiter et cum effectu perpetuo donaverint et assignaverint omnem et quamcumque unionem et annexionem de rurali ecclesia et petio terrae huiusmodi praedictae parochiali ecclesiae, non in illius favorem apostolica vel ordinaria, aut quavis alia auctoritate quomodolibet factam, dummodo rectoris dictae parochialis ecclesiae ad id accedat assensus, auctoritate nostra perpetuo dissolvas seu quatenus unio et

Digitized by Google

annexio huiusmodi nulla sit, eamdem ruralem ecclesiam cum praedicto petio terrae ab ipsa parochiali ecclesia etiam perpetuo separes et dismembres; et si dicta ruralis ecclesia in titulum beneficii ecclesiastici erecta sit in ea sive per dissolutionem unionis et annexionis huiusmodi, sive alio quovis modo et ex cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem cuiusvis de illa extra romanam curiam etiam coram notario publico et testibus sponte factam vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranen. statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque ruralis ecclesia dispositioni apostolicae specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, nomen, titulum, denominationem ecclesiae collatione, seu beneficii ecclesiastici collationi etiam perpetuo supprimas et extinguas, illisque sic suppressis et extinctis universitati et hominibus praedictis circa et prope ipsam ruralem ecclesiam, aut in sito seu petio terrae illi sic adiacente unam domum cum refectorio, dormitorio, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis, cellis aliisque officinis et membris solitis et consuetis ac necessariis et opportunis extruere faciendi licentiam et facultatem impartiaris, ipsamque domum ex nunc prout ex tunc, et e contra postquam extructa fuerit in domum regularem ordinis fratrum minorum reformatorum huiusmodi pro perpetuis usu et habitatione unius guardiani et competentis saltem duodecim numeri professorum eiusdem ordinis minorum de observantia reformatorum nuncupatorum, aliarum domorum regularium gestari solitum suscipere, et professionem per eosdem emitti consuetam emittere, ac ritus, mores, consuetudines ac instituta regularia ipsorum reformatorum servare ac divinis laudibus assistere debeant et teneantur, ibidem perpetuo sine alicuius praeiudicio erigas et instituas; illique sic erectae et institutae pro peculiari et propria eius ecclesia dictam ruralem ecclesiam cum situ seu petio terrae adiacenti huiusmodi, aliisque iuribus et pertinentiis suis universis perpetuo similiter concedas et assignes; eidemque ac illius guardiano, fratribus et personis quibuscumque, ut omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, praeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis aliisque favoribus et gratiis universis tam spiritualibus quam temporalibus aliis domibus regularibus ipsorum fratrum reformatorum, eorumque guardianis, fratribus et personis etiam per viam simplicis concessionis, vel alias quomodolibet concessis et pro tempore concedendis, quibus ille et illi de usu, iure, consuetudine vel privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter ac sine ulla prorsus differentia uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant etiam indulgeas; praesentes quoque literas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices etc. ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane eadem auctoritate decernas. Non obstante priori voluntate nostra praedicta ac Lateranen. consilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis ac apostolicis etc. Quibus omnibus etc. Volumus autem quod propter praemissa divini cultus in eadem rurali ecclesia nullatenus minuatur, sed eius congrue supportentur onera consueta.

Datum Romae apud s. Marcum anno incarnationis dominicae xv. calendas Iulii pontificatus nostri anno II.

XIX.

Ratam habet cessionem aedis in terra Bastiae in Insula Corsicae pro fratribus reformatis infirmis. Ex reg. secr. brev. in mense Maio pag. 212.

Ad futuram rei memoriam.

Decet romanum pontificem ea quae ad religiosorum commodum concessa sunt, cum ab eo petitur apostolicae confirmationis robore communire. Expositum siquidem nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum custodis et fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia reformatorum in provincia Corsicae, quod ipsi in eorum provincia pro dicto ordine reformatorum sex conventus habent, in quibus sexaginta circiter fratrum numerus iam est constitutus, et in dies maiores progressus habere sperant: quia vero locum aliquem non habent, in quo medicorum et curationum pro infirmis commoditatem habere possint, et propterea fratres qui pro tempore infirmantur, multa patiantur incommoda, ideo dilectus filius Antonius Varesius de terra Bastiae Marianen. dioecesis pietate motus, praedictis custodi et fratribus reformatis locum quemdam ad ipsum Antonium spectantem in dicta terra Bastiae situm concessit, in quo hospitium et infirmariam pro usu et servitio ipsorum fratrum reformatorum infirmorum tantum aedificare valeant, necnon venerabilis frater episcopus Marianen. et dilecti etiam filii ministri et definitores dictae provinciae praedictis custodi et fratribus reformatis licentiam et consensum respective concesserunt, hospitium et infirmariam huiusmodi pro infirmis tantum in dicto loco aedificandi. Cum autem sicut eadem expositio subinogebat, ipsi custos et fratres reformati qui a dilecto etiam filio nostro Pompeio tituli s. Balbinae presbytero cardinali Arigonio nuncupato totius ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia protectore ad hoc licentiam obtinuerunt, cupiant pro maiori securitate opportunam facultatem super praemissis sibi per nos concedi. Nos eosdem custodem et fratres reformatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon concessionis dicti loci per praedictum Antonium illis factae et licentiarum et consensuum per episcopum Marianen. ac ministrum et definitores provinciae Corsicae et dictum Pompeium cardinalem protectorem, ut praefertur, concessorum tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praemissa omnia et singula apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Et insuper eisdem custodi et fratribus reformatis, ut in loco praedicto ipsis a dicto Antonio concesso in terra Bastiae hospitium et infirmariam pro usu et servitio fratrum reformatorum dictae provinciae aedificari facere possint et valeant licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die II. Maii pontificatus nostri anno I.

XX.

Matthaeus de Burgos episcopus Pampelonen. transfertur ad ecclesiam Seguntinam. Ex actibus consist. ad hunc annum pag. 63.

Romae feria II. die 16. Ianuarii apud s. Petrum in aula paramentorum fuit consistoridm secretum, in quo

Referente reverendiss. d. cardinali Zapata pro reverendiss. d. cardinali de Avila sanctitas sua ad praesentationem regis catholici providit ecclesiae Seguntinae per obitum fr. Laurentii de Figueroa vacau. de persona r. p. fr. Matthaei de Burgos episcopi Pampelonen. ordinis s. Francisci sacrae theologiae doctoris, fidemque rite professi eum reservatione unius ann. pensionis 6500. monetae illarum partium pro eodem reverendiss. d. card. Zapata et aliarum pensionum usque ad summam 12000. similium computatis tamen in eis pens. antiquis quae omnes insimul tertiam partem ipsius ecclesiae fructuum non excedant pro persona seu personis eidem regi gratis et acceptis per sanctitatem suam nominandis absolvens illum transferens etc.

XXI.

Sthephanus Cecchi fit episcopus Samandrien. Ex eisdem actibus pag. 106.

Romae feria II. die 6. Novembris apud s. Petrum in aula paramentorum fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendiss. d. card. Vicecomiti sanctitas sua providit ecclesiae Samandrien. in partibus infidelium per obitum Nicolai Ugrinouchy a turcis caesi vacan. de persona r. p. fr. Sthephani Cecchi professi ordinis minorum de observantia in Sicilia provincia Transilvania nati aetat. an. xxxviii. presbyteri ab an. xi. verbi Dei concionatorem egregium etc. fidem rite professi cum decreto quod possit exercere episcopalia tam in civitate et ecclesia Samandrien. quam toto comitatu Szcorconien, ac finitimis civitatibus et dioecesibus pastorum solatio destitutis, attento quod neque intra, neque extra Transilvaniam ob turcarum tirannidem per centum milliaria et amplius nullus episcopus apud suam civitatem aut dioecesim residere dignoscitur etc.

XXII.

Fit episcopus Cavensis. Ex eisdem actibus pag. 115.

Romae apud s. Petrum in aula paramentorum feria II. die 11. *Decembris fuit consistorium secretum, in quo*

SAnctissimus referente reverendiss. d. cardinali de Camerino providit ecclesiae Caven. per obitum Caesaris de la Magna illius ultimi episcopi vacan. de persona r. p. fr. Caesaris Lippi de Mordano professi ordinis minorum conventualium s. Francisci sacerdotis a multis annis sacrae theologiae doctoris, qui philosophiam et sac. theologiam publice mutlis in locis, et novissime in Patavino gymnasio p.[ma] cathedram tenen. docuit etc. fidem rite professi cum condonatione iurium et cum reservatione pensionis scutorum mille monetae romanae pro persona nominanda etc.

XXIII.

Iubet ne in provincia Sardiniae occupentur a fratribus de observantia conventus fratrum conventualium. Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 7.

Ad futuram rei memoriam.

QUae religiosorum quieti et prospero statui noxia fore dignoscuntur, ea nos decet opportunae provisionis remedio propulsare, prout in Domino conspicimus expedire. Pariatum siquidem ad nos nuper fuit in capitulo generali fratrum minorum s. Francisci de observantia novissime celebrato, inter alia deliberatum fuisse omnes conventus ordinis fratrum minorum conventualium eiusdem s. Francisci in Insula Sardiniae consistentes ab obedientia, cura et gubernio eorumdem fratrum minorum conventualium separare ac sub obedientiam, curam et guberniam ipsorummet fratrum minorum de observantia reducere, quemadmodum a fel. rec. Pio papa v. praedecessore nostro de conventibus olim ordinis minorum conventualium in regnis Hispaniarum existentibus factum fuisse dicitur, eo forsan praetextu quod dicti etiam conventus fratrum minorum conventualium s. Francisci Insulae Sardiniae sub ordinatione praedicta a Pio v. praedecessore facta, comprehendantur. Quare nos ne a praedictis fratribus ordinis minorum de observantia aliquid, nobis inconsultis, attentari contingat, opportune providere simulque eorumdem fratrum minorum conventualium quieti prospicere cupientes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostra dilectis filiis ministro generali et aliis quibuscumque superioribus et fratribus dicti ordinis fratrum minorum de observantia in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ne contra conventus et fratres ordinis minorum conventualium Insulae Sardiniae huiusmodi praemissorum aut alio quocumque praetextu quicquam, nobis inconsultis, attentare aut aliquo modo innovare audeant vel praesumant, irritumque nihilominus decernimus et inane quidquid secus super his tam ab ipsis ministro

generali ac superioribus et fratribus ordinis minorum de observantia, quam a quibusvis aliis quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, aut imposterum contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis quibuscumque regni Sardiniae ac dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus, seu officialibus ac etiam causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel quivis illorum per se vel alium seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuit, et quoties pro parte eorumdem fratrum ordinis minorum conventualium Insulae Sardiniae fuerint requisiti, solemniter publicantes eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra illos et eorum conventus praedictos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, contradictores etc. Non obstantibus etc. Volumus autem ut praesentes literas ad sex tantum menses a die earum praesentationis computandos observari debeant et durare.

Datum Romae apud s. Marcum die I. Iulii pontificatus nostri anno II.

XXIV.

Revocat facultatem regularibus concessam suorum causas cognoscendi ad officium s. inquisitionis pertinentes. Ex bullar. Cherubini tom. 3. pag. 210.

Ad futuram rei memoriam.

Romanus pontifex ea interdum quae a praedecessoribus suis temporum et rerum qualitate id tunc exposcente, provida pro haeresum extirpatione sancita sunt, novis emergentibus rationibus revocat et immutat, aliaque desuper disponit et ordinat, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. Dum siquidem fel rec. Pius papa IV. praedecessor noster sua perpetuo valitura constitutione statuit, ordinavit et declaravit, quod ex tunc deinceps in omnibus christiani orbis partibus inquisitores haereticae pravitatis tam generales quam in quibusvis provinciis, civitatibus, oppidis, terris et locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcumque ordinum etiam exemptorum, etiam mendicantium professores et religiosos, ac etiam alios quoscumque quovis modo privilegiatos et exemptos de haeresis crimine quomodolibet suspectos aut culpabiles, dummodo ab eorumdem professorum et religiosorum superioribus vel praelatis in causis huiusmodi praeventi non fuissent, iuxta facultates officii inquisitionis ipsius pravitatis inquirere et procedere, ac culpabiles et delinquentes repertos secundum canonicas sanctiones castigare atque punire possent et valerent, ac alias prout in literis ipsius Pii praedecessoris latius continetur.

§. 2. Cum autem rerum usu compertum sit, occasione praeventionum huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causae huiusmodi ea qua decet, diligentia cognoscantur, nos de consilio ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum illa de medio tollere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac matura

deliberatione, hac nostra etiam perpetuo valitura constitutione omnia et quaecumque privilegia, indulta, facultates et concessiones generalibus, superioribus et praelatis quorumcumque ordinum sive mendicantium, sive clericorum regularium cuiusvis ordinis et instituti etiam in dicta constitutione non expressorum, et quamtumvis exemptornm et quocumque nomine nuncupentur, per dictum Pium atque quoscumque romanos pontifices praedecessores nostros et sedem apostolicam concessa, approbata et innovata et quontumvis etiam longissimo tempore observata, causas ad dictum officium quovis modo spectantes cognoscendi et terminandi, seu in illis quoquomodo se intromittendi, quorum omnium et singulorum tenores etiamsi de illis specialis et expressa mentio habenda esset, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo cassamus, revocamus et abolemus. Ipsisque generalibus, superioribus et praelatis, ut de caetero quovis quaesito colore vel praetextu praeventionis, vel consuetudinis et praescriptionis immemorabilis seu cognoscendi, on delationes huiusmodi calumniosae sint, necne in eisdem causis tam motis quam movendis quoquomodo se intromittere, seu immiscere, deounciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire vel terminare minime audeant seu praesumant, simili auctoritate districtius inhibemus.

§. 3. Volentes et expresse mandantes, ut ipsi religiosi possint et debeant omnes etiam ordinum huiusmodi professores de haeresi suspectos, inquisitoribus vel ordinariis locorum viciniorihus libere denunciare, absque eo quod superiores praedicti personas denunciandas et causas perquirere, vel quoquomodo id impedire vel retardare audeant seu praesumant.

§. 4. Insuper omnes et quascumque causas ad dictum officium quomodolibet spectantes et pertinentes, coram generalibus, superioribus et praelatis huiusmodi in quibuscumque locis existentibus, ac contra quoscumque religiosos, ut praefertur, exemptos motas et pendentes, ad nos harum serie avocamus, easque omnes in statu et terminis in quibus de praesenti reperiuntur, ipsius pravitatis inquisitoribus vel ordinariis locorum viciniorihus terminandas committimus.

§. 5. Praeterea ipsis generalibus, superioribus et praelatis pari auctoritate praecipimus atque mandamus, ut omnes processus et acta causarum huiusmodi inquisitoribus seu ordinariis praedictis respective remittant et consignent, necnon professores, fratres et religiosos supradictos, quos haeresis labe infectos vel suspectos etiam in visitatione esse noverint, absque alia consultatione cum propriis superioribus facienda, eisdem inquisitoribus vel ordinariis locorum viciniorihus respective denuncient.

§. 6. Quod si generales aliique praedicti praesentibus literis non paruerint, eos omnes privationis quarumcumque dignitatum seu praelaturarum, vel officiorum suorum ordinum, ac vocis activae et passivae perpetuaeque inhabilitatis ad easdem, necnon contra fautores haereticorum et impeditores officii statutas et inflictas poenas, aliasque censuras ecclesiasticas etiam excommunicationis maioris latae sententiae, a qua nonnisi a nobis vel a romano pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso iocurrisse.

§. 7. Necnon praesentes literas, licet generoles, superiores et praelati praedicti, aut quicumque alii quavis auctoritate, dignitate vel officio seu honore fulgentes in praemissis quomodolibet interesse habentes vel habere praeten-

Digitized by Google

dentes ad hoc vocati non fuerint, semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari. sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes. etiam s. r. e cardinales sublata eis etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctum Marcum calendis Septembris pontificatus nostri anno II.

XXV.

Ut fratres discalceati de solo consensu ordinariorum ubique terrarum aedificare valeant coenobia. Ex bullario Francisci Matritensis tom. 1. pag. 445.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD ecclesiae militantis cuius regimini, licet immeriti, divina disponente clementia praesidemus amplitudinem, maxime conducere arbitramur, ut sacrarum religionum in eadem ecclesia pie sancteque institutarum propagationi, quantum cum Domino possumus, prospiciamus.

§. 1. Cum igitur magno cum spirituali nostro gaudio accepimus inter caeteros religiosos in agro dominico laborantes, dilectos filios nostros fratres ordinis minorum s. Francisci de observantia discalceatorum seu recollectorum nuncupati, eorum vigiliis, orationibus, ieiuniis, praedicationibus et aliis piis et religiosis exercitiis uberes in eodem agro dominico fructus afferre et in dies uberiores ex dictae religionis propagatione, benedicente Domino, proventuros esse sperandum sit, nos qui ad ea quae ipsius ordinis religiosorum augmento conducere possunt, concedenda; quae vero illis in hoc impedimentum aliquod afferre dignoscuntur, removenda, merito propensiores sumus.

§. 2. Motu proprio et ex certa scientia ac mera deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, de consilio ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis regularium praepositorum, eiusdem ordinis fratrum discalceatorum s. Francisci superioribus, ut ubique locorum, domus et monasteria, servata tamen forma sacrorum canonum, et concilii Trid. de sola licentia ordinariorum, nullo aliarum personarum cuiusvis ordinis regularium requisito consensu, condere, fundare et erigere valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et indulgemus.

§. 3. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die v. Septembris pontificatus nostri anno II.

XXVI.

Eadem concedit fratribus capucinis pro regnis Hispaniarum. Ex bullario Cherubini tom. 3. pag. 211.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD uberes et suaves fructus quos dilecti filii congregationis capucinorum ordinis s. Francisci fratres, in ecclesia militanti cuius regimini divina disponente clementia praesidemus, in dies asserunt, mentis nostrae aciem convertentes, ac uberiores ex ipsa congregatione fructus in dies proventuros esse sperantes, ad ea merito libenter intendimus, quae ipsius congregationis capucinorum augmento conducere possunt; quae vero illi in hoc impedimentum aliquod afferre dignoscuntur, e medio tollere procuramus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

§. 1. Idcirco pro parte procuratoris generalis praedicti ordinis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de consilio ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis regularium praepositorum, eiusdem ordinis fratrum capucinorum superioribus, ut ubique locorum in regnis Hispaniarum nova monasteria seu domos, servata tamen forma in iis recipiendis sacrorum canonum et concilii Tridentini, accipere libere et licite valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et indulgemus.

§. 2. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die v. Septembris pontificatus nostri anno II.

XXVII.

Adprobat concordiam. Ex reg. secr. brev. in mense Ianuario pag. 5.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet romanum pontificem in suae confirmationis robore communire quae pro religiosorum Altissimo sub suavi religionis iugo famulantium quiete et tranquillitate facta fuisse comperit, prout in Domino salubriter conspicit expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum conventus s. Francisci Perusin. ordinis minorum conventualium eiusdem s. Francisci nobis nuper expositum fuit, quod alias vertente causa inter dilectum etiam filium magistrum generalem eiusdem ordinis ex una, et dictos guardianum et fratres partibus ex altera de et super loco et ecclesiae s. Mariae Apparete Maioris nuncupat. Neapolitan. iuxta castrum s. Erasmi et monasterium s. Martini ad dictos exponentes vigore decreti a bon. mem. Augustino cardinali Cusano eiusdem ordinis tunc protectore facti, et a fel. rec. Clemente pp. VIII. *Dudum* anno MDXCV. confirmati spectante, tandem partes praedictae pro bono pacis ac quiete et pacifice vivere cupientes, ad infrascriptam inter se concordiam et transactionem devenerunt videlicet « Concordanza fatta fra il p. r.^{mo} generale de' min. conventuali et il capitolo e padri di s. Francesco di Perugia sopra il breve apostolico che s' havrà a far del luoco o chiesa di s. Maria Apparete di Napoli posseduto dal detto capitolo e padri di Perugia per ra-

gione di decreto del quondam b. mem. card. Cusano protettor, e per ragione di confirmatione fatta dalla felice memoria Clemente VIII.

In primis che la copia del breve della facultà di poter vender detto luoco concessa dalla fel. mem. di Clemente VIII. se debba registrar nel breve che si farà, acciò per esso si manifesta il ius e la proprietà apartener solamente al suddetto capitolo e padri di Perugia, e non ad altri conventi o provincie.

2.° Che nel breve che si farà, se narra che il capitolo e padri di Perugia conforme al detto breve havevano venduto due volte il detto luoco, ma che per honor della religione et evitar lo scandalo del mondo, la prima vendita fu impedita dalla b. mem. del card. Cusano protettor, e la seconda vendita la fece sospender il p. r.^{mo} generale presente, al tempo ch' era procurator dell' ordine quando gli fu intimata la vendita.

3.° Che non ostante la facultà predetta di poter venderlo et alienar, per l'avvenir non possi esser più venduto, ma debba remaner incorporato alla religione nostra perpetuamente come ogn' altro luoco et convento.

4.° Che s' intenda pleno iure il detto luoco apartener et esser incorporato al convento di s. Francesco di Perugia conforme al predetto decreto e breve apostolico; ita che nè il provinciale di Napoli, nè il guardiano di s. Lorenzo, nè altri possino per alcun tempo haver carico di visitar detto luoco, nè di metter o rimover frati del detto luoco, per non esser luoco pertinente alla giurisditione loro, ma alla provincia di s. Francesco e convento di Perugia.

5.° Che il detto luoco a chiesa apartenga e s' intenda esser solamente de mensa r.^{mi} patris generalis, ita che tanto il generale presente quanto li futuri in perpetuo abbiano solamente e personalmente visitar detto luoco e chiesa, e non possano nè debano commetter la visita al provinciale di Napoli, o ad altri di detta provincia, ma solamente a qualche visitator generale che mandassero per visitare il regno.

6.° Che circa la famiglia stabilita a star in detto luoco, se tenga quest'ordine, cioè che colui che sarà destinato a quel governo non possa haver titolo di commissario o di guardiano, perchè il detto luoco è dependente d' altro, e membro d' altro convento, ma habbia il titolo di rettore e procurator del convento di Perugia et amministrator, e per tale si faccia nominar in ogni scrittura publica che accadesse farsi, o privata.

7.° Che ogni tre anni il capitolo di Perugia debba presentare nel capitolo generale tre maestri per il governo di detto luoco con la tavola della famiglia, e delli tre proposti il general elegga uno più atto che governa per triennio o per più tempo secondo che parerà espediente al generale, e quando veruno di quelli tre presentati non fossero a proposito se ne debbano proponer tre altri finchè al suddetto generale parerà trovarsene un' atto, e circa la famiglia il generale pro tempore della presentata famiglia vi metta quelli che a lui piacerà, e mutarli secondo l' opportunità occorrenti o cause tamen ragionevoli.

8.° Che il detto breve di Clemente VIII. di poter vender et alienar detto luoco, non possa il capitolo e frati di Perugia servirsene più in futuro tempo, se non in alienar e vendere alcuni stabili litigiosi al tempo che saranno sfrugate e concordate le lite per poter pagar li debiti fatti da maestro Filippo Sangiergio in comprar, fabricare e conservare detta chiesa, come narra il detto breve, e detti beni litigiosi sono, cioè il territorio chiamato di Simon de Rosa, un altro chiamato di suor Girolama, et un altro chiamato li Passarelli a Somma, la vendita de' quali non toglie nè impedisce la maestà del luoco e della chiesa.

Digitized by Google

9.° Che dopo la morte di maestro Filippo Sangiorgio fundator del luoco sia obligat' ogn' anno il detto luoco e chiesa correspouder al convento e sacristia di Perugia il canone d' un calice di valor di dieci scudi, seu d' altra cosa d' altro tanto valore, secondo che parerà al detto capitolo in segno di dominio.

10.° Che iu evento che il tempo e la devotione portasse tanto avanti il luoco che potesse farcese un collegio de' studenti, sia chiamato collegio Perusino, et in esso possano studiar quelli che sono nativi professi di Perugia o della provincia solamente et non altri, se non alcuno collocato dal generale per gratia, quando non se fossero studenti del convento o della provincia atti, o che non volessero starsi.

11.° Che nel detto luoco e chiesa se debba continuar di viver comunemente secondo il sacro concilio di Trento e stabilir detta vita con tutte le circostanze convenevoli e secondo la possibilità. E per verità della detta concordanza fatta con le sopradette condizioni e capitoli, si sottoscriverà di propria mano il predetto p. r.^mo generale e poi maestro Filippo Sangiorgio Perugino procurator del capitolo e padre di s. Francesco di Perugia, e sigillata con il sigillo del sopradetto p. r.^mo generale, hoggi 19 di Novembre 1605 in Roma in ss. Apostoli.

Ita est fr. Ioseph Pisculliüs Melfiensis minister generalis.
Ita est fr. Philippus Sangiorgius Perusinus procurator conventus Perusiae.

Locus ✠ Sigilli

Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, firmiora sint ea quae apostolicae sedis auctoritate muniuntur, cupiantque propterea guardianus et fratres praedicti concordiam ac praeinserta capitula huiusmodi pro firmiori eorum subsistentia per nos confirmari et approbari, nobisque propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur praedictorum guardiani et fratrum quieti, quantum cum Domino possumus pro nostro pastorali munere consulere, ac illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, concordiam praedictam ac desuper praeinserta decretum dicti Augustini cardinalis protectoris, et capitula cum omnibus et singulis in illis contentis, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Decernentes concordiam et praeinserta decreta et capitula huiusmodi perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac guardiano et fratribus praedictis nunc et pro tempore existentibus in omnibus et per omnia suffragari debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios etc. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac nostro et apostolicae sedis in regno Neapolis nuncio, necnon venerabili fratri archiepiscopo Neapolitan. iu spiritualibus vicario generali pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus etc.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxx. Ianuarii pontificatus nostri anno I.

XXVIII.

Commutat voluntatem testatricis. Ibidem in mense Iunio pag. 245.

Ad futuram rei memoriam.

Expositum nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus s. Francisci de observantia civitatis Perpiniani Elnen. dioecesis, quodque Anna de Ortoffa in eius ultimo per eam condito testamento, sub cuius dispositione decessit, libras mille monetae illarum partium summam quadringentorum septuaginta ducatorum auri de camera, vel circa constituentes, cum onere tamen quod guardianus et fratres praedicti unam missam perpetuam in altari seu cappella s. Antonii de Padua sita in ecclesia dictae domus pro anima ipsius testatricis celebrare teneantur, reliquit, prout in dicto testamento latius dicitur contineri. Cum autem etc. Nos igitur guardiani et fratrum etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem guardiano et fratribus, ut loco dictae missae perpetuae, ut supra celebrandae, octo anniversaria et quadringentas missas pro una vice tantum in ecclesia dicti conventus celebrare, sicque voluntati dictae Annae testatricis etc. et propterea legatum praedictum mille librarum consequi et habere, dummodo tamen praedictae mille librae in extinctionem debitorum etc. Quocirca etc. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes ad effectum praemissorum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Marcum die vi. Iunii pontificatus nostri anno ii.

XXIX.

Confirmat privilegia concessa monialibus ss. Annuntiationis Bituricen. Ex p. Dominico de Gubernatis tom. 2. pag. 719.

Ad perpetuam rei memoriam.

Volentes dilectas in Christo filias matrem, ancillam monialesque monasterii monialium ord. sanctae augustaeque congregationis Annuntiationis b. Mariae seu decem beneplacitorum civitatis Bituricensis specialibus favoribus et gratiis prosequi, supplicationibus earum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia etc. eidem monasterio eiusdem matri, ancillae et monialibus praedictis per fel. rec. Alexandrum vi. Iulium ii. ac Leonem x. et quoscumque alios romanos pontifices nostros praedecessores et apostolicam sedem sub quacumque verborum forma et expressione in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessa ac pluries confirmata cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis et declarationibus, ac singulas literas tam sub plumbo, quam in forma brevis, aut alias desuper confectas (quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, quatenus tamen sint in usu et non sint revocata, seu sub aliquibus revocationibus comprehensa ac sacris canonibus et concilii Trid. decretis et constitutionibus apostolicis non adversentur) ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis

plenitudine tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae ac inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Quocirca ven. fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio causarum curiae apostolicae auditori generali per praesentes committimus et mandamus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xx. Iulii pontificatus nostri anno II.

XXX.

Pro Francisco duce Luxemburgi et Pouzy. Ex reg. secr. brev. in mense Ianuario de Indulg. fol. 486.

Dilecto filio nobili viro Francisco Luxemburgi et Pouzy duci salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi nobis nuper fecisti, quod tu pro eo quem erga s. Franciscum geris devotionis affectu unam cappellam sub invocatione eiusdem s. Francisci in ecclesia collegiata et parochiali loci de Pouzy Trecen. dioecesis aedificasti ac dotasti, nobisque propterea humiliter supplicari fecisti, ut dictam cappellam aliquibus indulgentiis decorare de benignitate apostolica dignaremur. Nos tuis huiusmodi supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, tibi ac dilectae in Christo filiae nobili mulieri Margaritae a Lotharingia uxori, necnon filiis et filiabus tuis dumtaxat et unicuique vestrum, ut quandocumque in b. Mariae de Angelis ac s. Francisci, et s. Bonaventurae festis diebus vos vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti dictam cappellam a primis vesperis etc. visitaveritis, et ibi fusas ad Deum preces effuderitis, quo die praedictorum id egeritis, plenariam vobis et unicuique vestrum omnium peccatorum vestrorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Non obstantibus etc. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud s. Petrum die v. Ianuarii pontificatus nostri anno I.

XXXI.

Ut construatur coenobium in oppido Montisiani. Ex reg. secr. brev. in mense Februario pag. 271.

Venerabili fratri episcopo Ariminen. salutem et apostolicam benedictionem.

Sincerae devotionis affectus quem dilecti filii nobilis vir Carolus Felix marchio Montiani ac universitas et homines terrae Montiani Ariminen. dioecesis ad nos et romanam ecclesiam gerere comprobantur, non indigne meretur, ut petitionibus eorum in iis potissime quae religionis propagationem et divini cultus augmentum ac spiritualem animarum consolationem concernunt, quantum nobis ex alto permittitur et in Domino conspicimus salubriter expedire, benevolum impartiamur favorem. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt Carolus Felix marchio ac universitas et homines praedicti, necnon superiores ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum provinciae Bononien. quod alias ipsi Carolus marchio ac universitas et homines ob singularem eorum erga b. Franciscum Christi confessorem venerationem et devotionem, ad incolarum dictae terrae spiritualem consolationem et animarum salutem dictique cultus incrementum, cupientes prope et extra dictam terram unam domum erigi, et in ea conventum fratrum huiusmodi institui ad eum effectum ecclesiam seu cappellam Crucifixi nuncupatam prope et extra praedictam terram, quae de iure patronatus dicti Caroli et universitatis et hominum etiam fundatione seu donatione, ut pariter expositum fuit, existere per Carolum Felicem marchionem et etiam universitatem et homines praedictos regi et gubernari solitam cum universis illi adiacentibus et contiguis hortis, hortalitiis, iuribus et officinis ad eos pertinentibus, ordini seu illius superioribus praedictis aut nonnullis pro inibi conventu ipsius ordinis constituendo, fratribus sub nostro et sedis apostolicae beneplacito perpetuo concesserunt et assignarunt, ipsique superiores et fratres concessionem et assignationem huiusmodi sub eodem beneplacito acceptarunt, et alias prout in instrumento publico vel aliis scripturis desuper forsan confectis plenius dicitur contineri. Quare tam Carolus Felix marchio ac universitas et homines, quam superiores et fratres praedicti nobis etiam fecerunt humiliter supplicare, ut easdem concessionem et assignationem ac inde subsecuta pro illorum subsistentia et validitate nostro et sedis apostolicae patrocinio communire, ac dictam ecclesiam in domum dicti ordinis perpetuo erigere et in ea unum conventum eorumdem fratrum etiam perpetuo instituere atque alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui desiderantes in votis gerimus, ut pia et religiosa loca in christifidelium devotionis excitationem ac spiritualium et salutarium operum exercitium ubique propagentur, ac in vinea Domini sub regularis observantiae instituto cultores ad salutem proficui multiplicentur, dictorum Caroli Felicis marchionis ac universitatis et hominum salubribus et piis votis in praemissis favorabiliter annuere volentes, ipsosque Carolum Felicem marchionem ac superiores et fratres eorumque et universitatis atque hominum huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon in-

Digitized by Google

strumento et aliarum scripturarum praedictarum revoces, etiam totos tenores et indo secuta quaecumque praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, si est ita, concessionem et assignationem, ac prout eas concernunt omnia et singula in eodem instrumento contenta, licita tamen et bonesta et inde secuta quaecumque, salva tamen et observata forma constitutionis fel. rec. Clementis papae viii. praedecessoris nostri desuper editae, auctoritate nostra perpetuo confirmes et approbes, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis apostolicae robur adiicias, omnes et singulos tam iuris quam facti solemnitatum desuper forsan omissarum, necnon alios quoscumque, si qui desuper quomodolibet intervenerint, defectus supplendo, et nihilominus superioribus et fratribus, seu universitati et hominibus praedictis apud dictam ecclesiam seu in illius aedibus, officinis et pertinentiis contiguis et adiacentibus unam domum ordinis huiusmodi, in qua decem ad minus fratres eiusdem ordinis commode degere et commorari possint et debeant, constituendi, aedificandi, seu construi et aedificari faciendi vel aedificia, aedes et structuras inibi existentia ad formam et usum unius domus huiusmodi reducendi et constituendi licentiam et facultatem dicta auctoritate nostra etiam perpetuo concedas; ipsaque domus postquam sic constructa et seu reducta fuerit in domum ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum huiusmodi sub praedicta seu alia Carolo Felici marchioni ac universitati et hominibus praedictis benevisa invocatione cum dicta ecclesia, claustro, refectorio, dormitorio, campanili, campanis, cellulis, hortis, hortalitiis aliisque officinis necessariis pro usu et habitatione decem ad minus fratrum dicti ordinis in illa introducendorum, qui ibidem sub regulari observantia et humilitatis spiritu iuxta sui ordinis ritus, mores et instituta Altissimo famulari, ac diebus et horis congruis missas aliaque divina officia celebrare et recitare, necnon sub obedientia et cura seu iurisdictione procuratoris provincialis dicti ordinis provinciae Bononien. degere et illi subesse debeant, eadem auctoritate nostra sine alicuius praeiudicio similiter perpetuo erigas et instituas, ita quod liceat superioribus et fratribus se ordini huiusmodi domum et alia ad effectum praemissum concessa praedicta recipere ac illorum necnon ecclesiae praedictae corporalem, realem et actualem possessionem per se vel alium seu alios eorum nominibus propria auctoritate libere apprehendere, seu eam apprehensam perpetuo retinere, illorumque fructus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque in suos, ac domus praedictae usus et necessitates convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita; nos enim praedictae domui postquam erecta et instituta fuerit, ut praefertur, illiusque guardiano et seu fratribus aliisque personis nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, indulgentiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, concessionibus, facultatibus et gratiis aliis domibus et locis illius ordinis illorumque superioribus, fratribus et personis per sedem apostolicam, aut alias quomodolibet in genere vel in specie concessis; et quibus illa et illi de iure, usu vel consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si specialiter et expresse eis concessa fuissent, auctoritate apostolica tenore praesentium pariter perpetuo indulgemus, decernentes concessionem et assignationem ac illarum per te faciendas confirmationem et approbationem aliaque praemissa et inde secuta valida et efficacia fore et esse ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, necnon praedictis superioribus, guardiano, fratribus

et ordini perpetuo et omnino suffragari debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xiv. Februarii pontificatus nostri anno ii.

XXXII.

Pro constructione valetudinarii in urbe Panormitana fratrum tertii ordinis. Ex bullario diversorum lib. 7. pag. 27.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Panormitani in spiritualibus generali salutem et apost. benedictionem.

Ex incumbenti nobis apostolicae servitutis officio piis fidelium quorumlibet praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium votis, quae huiusmodi religionis propagationem et divini cultus augmentum respiciunt, libenter annuimus, et ut ea iuxta cordis nostri desideria optatum sortiantur effectum, nonnunquam pias testantium voluntates commutamus aliasque desuper disponimus, prout rerum et personarum qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire. Sana pro parte dilecti filii Bernardi Sabia procuratoris generalis tertii ordinis s. Francisci exhibita nobis nuper petitio continebat, quod alias quondam Vincentius Galletta dum vixit incola Panormitan. testamento per eum condito, sub quo decessit ab humanis, diversas aedes in civitate Panormitan. quasdam videlicet in quarterio Albergarii et contrata s. Ioannis li Clartani nuncupati prope parochialem ecclesiam eiusdem s. Ioannis iuxta bona dilecti filii Hippolyti de Amaro aliosque suos notissimos fines, alias vero cum cortili alibi iuxta sua notissima latera sitas dicto ordini donatione pura, perpetua et irrevocabili quae dicitur fieri inter vivos, cum hoc tamen quod fratres dicti ordinis in primodictis aedibus unam infirmariam cum ecclesia sub invocatione s. Nicolai pro usu et receptione fratrum domus Annuntiationis b. Mariae virginis Zise nuncupatae prope et extra muros Panormitan. dicti ordinis construi facere, ibidemque s. Nicolai quod de mense Decembris occurrit ac conceptionis eiusdem b. Mariae festa solemnizare, ac unam missam cum collecta defunctorum singulis diebus in perpetuum pro ipsius Vincentii animae salute et refrigerio celebrare deberent et tenerentur, dictusque Vincentius in primodicta ecclesia locum sibi benevisum pro sepultura sua eligere posset, et in eventum in quem dicti fratres infirmariam huiusmodi construi minime facerent vel constructam relinquerent, praedictae aedes fratribus ordinis fratrum minorum s. Francisci de Paula cederent, donavit, prout in dicto testamento dicitur contineri. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, primodictus ordo non solum infirmariam cum ecclesia huiusmodi iuxta mentem et dispositionem dicti testatoris construi fecerit, sed etiam prope illam domum regularem eiusdem primi ordinis progressu temporis institui procuraverit, ipsa vero domus illiusque aedificia praedictae parochiali ecclesiae contigua existant, et ob id venerabilis frater noster Caesar Marullus archiepiscopus Panormitan. verbum Dei in dicta ecclesia s. Nicolai praedicari prohibuerit, quin etiam confratres confraternitatis s. Salvatoris dictae civitatis quemdam murum altum prope dictam domum regularem adeo erexerint, ut ex fenestris dormitorii et cellarum illius tam in inferiori quam superiori parte

Digitized by Google

consistentibus nihil aut parum videatur; ex alia vero parte eiusdem domus hortus dilecti filii baronis Delli Freddi nuncupati extat, ac fratres primodicti ordinis in dicta domo pro tempore commorantes ab ea parte lumen commode sumere nequeant et magna ex praemissis incommoda recipiant; primodictus autem ordo quasdam alias aedes in eadem civitate et in regione Celle Vacari et della Marchera et della Baudera nuncupatis viis publicis, ab uno iuxta dilectae in Christo filiae Mariae Mundella Farina baronis de Aspramonte, ab altero vero lateribus iuxta dilecti filii Vincentii de Madalena bona et nonnullas domunculas ad monasterium monialium del Canceliero nuncupatarum dicti seu alterius ordinis spectantes, situs commodiores et utiliores emerit et primodicti eius fratres in illis novam ecclesiam sub invocatione ss. Nicolai et Antonii de Padua iam de licentia ordinarii loci ornaverint, et considerantes domum regularem primodicti ordinis ibi commode et opportune institui posse, fratres dictae domus s. Nicolai transferendos esse censuerint, pro parte dicti Bernardi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Bernardum a quibusvis excommunicationis etc. ad effectum praesentium dumtaxat consequendum etc. absolventes et absolutum fore censentes, necnon testamenti huiusmodi tenores etiam veriores ac aedium et domorum praedictarum situationes, confines, vocabulo, denominationes, qualitates et quantitates praesentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, de praemissis te diligenter informes, et si per informationem eamdem ita esse repereris, primodicto ordini in ultimodictis aedibus unam domum ad instar aliarum eius domorum regularium cum ecclesia, campanili, campanis, refectorio, dormitorio, caemeterio, claustris, hortis, hortalitiis, cellis aliisque officinis et membris necessariis et opportunis construi faciendi licentiam sine tamen alicuius praeiudicio auctoritate nostra concedas; ac guardiano et fratribus domus s. Nicolai huiusmodi, ut inde ad domum sic noviter construendam, postquam tamen constructa fuerit, etiam una cum missis, legatis, anniversariis, suffragiis et aliis oneribus quibuscumque eis quomodolibet incumbentibus, necnon proprietatibus, iuribus, pertinentiis, reditibus, censibus et aliis bonis universalibus ad eos seu ipsam domum s. Nicolai nunc et pro tempore spectantibus, ac omnibus et singulis paramentis, ornamentis, calicibus, vasis et rebus sacris in eadem domo s. Nicolai et illius sacristia existentibus se transferre, ac tam ipsi sic translati quam pro tempore existentes guardianus et fratres aliaeque personae domus noviter construendae huiusmodi omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, antelationibus, praerogativis, praeeminentiis, concessionibus, indultis, indulgentiis, favoribus et aliis gratiis tam spiritualibus quam temporalibus quibus aliae primodicti ordinis regulares domus earumque guardiani et fratres ac personae de usu, iure, privilegio, consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter ac sine ulla prorsus differentia uti, frui, potiri et gaudere, ac tam domus s. Nicolai illiusque infirmariam, structuras, membra, adiacentias et pertinentias quascumque, quae olias aedes primodicti ordini, ut praefertur, donatas ut prius retinere, habere, possidere ac illius structuras, membra, adiacentias et pertinentias huiusmodi locare, arrendare fructusque et emolumenta inde provenientia quaecumque percipere, exigere, recuperare ac in communes eorum usus et utilitatem convertere libere et licite valeant, dicta au-

ctoritate etiam concedas et indulgeas, nec propterea primodictum ordinem illiusque fratres in aliquam sedium a dicto Vincentio, ut praefertur, donatarum privationem, amissionem aut devolutionem vel aliam poenam quamcumque ab eodem Vincentio seu a iure vel ab homine quomodolibet inflictam incurrere, neque easdem aedes ad secundo-dictum ordinem devolvi seu ab illius fratribus praetendi posse, ac easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces fore et essa etc. Non obstante dicti Vincentii voluntate quam quoad hoc commutamus, aliisque praemissis, necnon etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae nono calendas Ianuarii pontificatus nostri anno III.

XXXIII.

Adprobat erectionem monasterii in terra Adorni. Ex reg. secr. brev. in mense Ianuario pag. 34.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEbitum pastoralis officii nobis ex alto commissi requirit, ot nos ad id promptos excitat, ut ea per quae prudentes virgines et aliae honestae mulieres sub suavi religionis iugo et debita clausura Altissimo famulari, et saeculi illecebris effugere valeant, ac exinde flores honoris et fructus castitatis regularisquo vitae propagatio proveniant, libenter intendamus, personarumque suas ad id facultates benigniter elargientium eorumque posterorum honoris incremento consulamus, ac alias in his eiusdem officii nostri partes favorabiliter interponamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Archangelus a Messana totius ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum minister generalis, quod alias dum ipse officio ministri provincialis provinciae regni Siciliae fungeret, quondam Thomas et Agatuzza Bruna coniuges terrae Adorni Cathanien. dioecesis cupientes terrena in coelestia et transitoria in aeterna bona felici commercio permutare, in ultimis per eos conditis testamentis sub quorum dispositione ab humanis decesserunt, eumdemque Archangelum haeredem universalem sibi constituerunt ea lege, ut unum monasterium monialium sub invocatione et ordine s. Clarae in domo, quam ipse Thomas et Agatuzza dum in humanis agerent, inhabitabant, construi facere, ot postquam constructum esset omnia et singula bona sua tam mobilia quam stabilia pro sustentatione ministrae seu abbatissae et monialium in eo introducendarum dare, applicare et assignare teneretur, et alias prout in testamentis praedictis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat dicta domus in formam monasterii pro usu et habitatione triginta monialium ad minus redacta iam existat, et propterea idem Archangelus in illud moniales introducere aliaque infrascripta facere intendat, si sibi ad id nostra et sedis apostolicae licentia suffragetur, nobis humiliter supplicari fecit, ut ei in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsum Archangelum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon domus ac bonorum huiusmodi quantitates, qualitates, vocabula, denominationes, situationes, confines etiam veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes ipsius Archangeli supplicationibus inclinati, ipsi Archan-

gelo dictam domum cum suis iuribus, pertinentiis et adiacentiis ad formam monasterii huiusmodi cuiusvis licentia minime requisita reducendi et adaptandi plenam et liberam licentiam et facultatem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus; ipsamque domum ex nunc prout ex tunc et contra postquam ad formam monasterii reducta et adaptata fuerit, ipseque Archangelus bona omnia et singula haereditaria suprascripta, ex quibus, ut ipse Archangelus asserit, ex nunc mille ducati annuatim percipi possunt, et successu temporis mille et quingenti ducati in perpetuum percipi poterunt, per publica documenta desuper conficienda assignaverit, ut praefertur, in monasterium monialium ordinis s. Clarae et sub eiusdem s. Clarae invocatione sub cura eorumdem fratrum minorum de observantia iuxta testatorum voluntatem, necnon cum campanili, campanis, cappellis, altaribus, choro, claustro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, infirmaria et universis aliis officinis membrisque necessariis et opportunis, ac decenti et convenienti clausura pro usu et habitatione perpetuis unius ministrae seu abbatissae et monialium in eo pro tempore recipiendarum, quae inibi sub habitu et regulari observantia dicti ordinis, ac cura et gubernio eorumdem fratrum Altissimo perpetuo famulentur, divinisque laudibus insistent ac alias in omnibus et per omnia ad instar aliorum monasteriorum monialium ipsius ordinis sub cura et gubernio dictorum fratrum, auctoritate et tenore praedictis perpetuo sine alicuius praeiudicio erigimus et instituimus, ac illi sic erecto et instituto, pro eius dote et debita manutentione ac illius ministrae seu abbatissae et monialibus aliarumque personarum sustentatione omnia et singula tam mobilia quam immobilia quocumque nomine nuncupata per dictos Thomam et Agatuzzam relicta, ipsi monasterio per praesentes erecto auctoritate et tenore similibus etiam perpetuo applicamus et appropriamus, eidemque monasterio per praesentes erecto ac illius pro tempore existentibus abbatissae, monialibus, officialibus, ministris et personis eorumque rebus et bonis universis, ut omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, praerogativis, gratiis cum concessionibus, indultis universis, spiritualibus et temporalibus quibus alia monasteria monialium dicti ordinis sub cura et gubernio dictorum fratrum ubilibet existentia, eorumque abbatissae seu ministrae, moniales, officiales, ministri, familiares caeteraeque personae ac res et bona ipsorum universa de iure, statuto, usu, consuetudine et alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, aeque pariter et absque ulla prorsus differentia in omnibus et per omnia utantur, potiantur et gaudeant, ac uti, potiri, gaudere libere et licite possint, valeant et debeant, dicta auctoritate et tenore similiter perpetuo indulgemus; necnon eidem Archangelo quoad vixerit et post eius mortem provinciali ordinis praedicti dictae provinciae Siciliae pro tempore existenti in perpetuum et in infinitum ius et facultatem nominandi, praesentandi in monasterio per praesentes erecto, tam hac prima vice quam deinceps perpetuis futuris temporibus duodecim puellas ex certis honestis familiis per dictos testatores in testamentis praedictis designatis absque alicuius proventorum et cuiuslibet ipsorum sustentatione, vel alias quomodolibet eleemosynae vel cuiusvis alterius rei praestatione in eodem monasterio per praesentes erecto in illius moniales recipiendas, ac inibi ad habitum per moniales dicti ordinis gestari solitum et professionem per eas emitti consuetam regulares admittendas, et quoad vixerint ibidem retinendas, necnon subrogandi et substituendi in locum earumdem duodecim monialium et cuiuslibet ipsarum pro tempore decedentium, ac alias similes puellas ex familiis praedictis in dictis testamentis expressis, et sic successive

in perpetuum et in infinitum, ita et taliter quod in eodem monasterio per praesentes erecto semper et in perpetuum duodecim moniales buiusmodi ad praedicti Archangeli et post eius obitum provincialis pro tempore existentis fratrum et provinciae praedictorum, ut praefertur, admittent et admitti debeant; aliae vero puellae extra praedictas duodecim habitum in praedicto monasterio per praesentes erecto monachalem suscipere, professionemque per praedictas moniales emitti solitam emittere, volentes dotem seu eleemosynam ducentorum et quinquaginta scutorum monetae, ultra bona mobilia ad instar aliorum monasteriorum praestare debeant, quae scuta ducenta et quinquaginta pro qualibet puella introducenda a die susceptionis habitus in bono tuto loco depositi reponi debeant, ad effectum illa facta professione investiendi in tot censibus seu bonis stabilibus pro dicto monasterio per praesentes erecto, et non alias.

Et insuper praedicto Archangelo pro religionis in dicto monasterio per praesentes erecto introductione et monialium in eo noviter recipiendarum instructione quatuor moniales professas habiles et idoneas de licentia earum superiorum ex aliis monasteriis monialium eiusdem, seu alterius ordinis civitatis Cathanien. seu alterius terrae educendi vel extrahendi, illasque ad dictum monasterium per praesentes erectum transferendi, non tamen coacte sed de licentia superioris et earumdem monialium extrahendarum voluntate, ac in eo postmodum quoad vixerint retinendi, easque et earum singulas in officiis et praelaturis monasterii per praesentes erecti buiusmodi caeteris monialibus de novo admittendis et in eo recipiendis praeferendi et praeferri faciendi. Praeterea eidem Archangelo seu pro tempore existenti provinciali fratrum buiusmodi dictae provinciae tam super praemissis omnibus et singulis, quam pro dicti monasterii per praesentes erecti buiusmodi illiusque monialium et personarum pro tempore existentium salubri directione, gubernio, regimine et prospero statu, necnon etiam circa monialium et personarum monasterii praedicti per praesentes erecti qualitates, additiones, numerum, receptionem, administrationem et visitationem ac super quibuscumque aliis rebus ad dictum monasterium per praesentes erectum quoad temporalia quomodolibet concernentibus quaecumque ordinationes et statuta sibi benevisa, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis ac decretis concilii Tridentini regularibus institutis non contraria, ab ordinario loci examinanda et approbanda, quae ex nunc prout ex tunc et e contra apostolica auctoritate confirmata et approbata sint et esse censeatur, ac per abbatissam seu ministram, moniales et quasvis alias personas dicti monasterii per praesentes erecti inviolabiliter observari debeant, condendi et faciendi illaque iuxta qualitatem et exigentiam temporum, rerum vel personarum quoties opportunum aut expediens visum sibi fuerit corrigendi, alterandi, mutandi, reformandi, ampliandi, minuendi, interpretandi aut etiam in totum renovandi et abrogandi, ac illorum loco alia similia vel dissimilia statuta et ordinationes etiam, ut praefertur, examinanda et approbanda de novo toties et quoties casus pro tempore occurrerit seu evenerit etiam condendi et faciendi similiter licentiam eadem auctoritate et tenore concedimus et impartimur. Non obstantibus apostolicis etc.

Datum Romae apud s. Petrum die II. Ianuarii pontificatus nostri anno II.

XXXIV.

Paulus a Lacu Perusino fit episcopus Triventinus. Ex actibus consist. ad hunc annum pag. 131.

Romae feria II. die 29. Ianuarii apud s. Petrum in aula paramentorum fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendissimo card. Colonna sanctitas sua providit ecclesiae Triventini per obitum . . . . . vacan. de persona r. p. fr. Pauli de Lacu Perusin. theologi ordinis minorum s. Francisci de observantia etc.

XXXV.

Franciscus de Sousa fit episcopus Canarien. Ex eisdem actibus pag. 165.

Romae feria II. die 3. Septembris in hortis quirinalibus fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendiss. d. card. Zapata sanctitas sua ecclesiae Canarien. per translationem Francisci Martinez et ecclesiam Carthaginen. vacan. providit de persona r. p. fr. Francisci de Sosa ordinis s. Francisci de observantia presbyteri et sacrae theologiae doctoris etc. cum decreto ut teneatur quamprimum emittere fidei professionem, eamque Romam transmittere cum reservatione pensionum usque ad summam 4000. ducatorum monetae illarum partium, computatis pensionibus antiquis quae omnes insimul tertiam partem fructuum non excedat, pro persona seu personis per sanctitatem suam nominandis etc.

XXXVI.

Ioseph Piscolli fit episcopus Cathacensis. Ex eisdem actibus pag. 167.

Romae feria II. die 17. Septembris in hortis quirinalibus fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendiss. d. card. de Monteregali sanctitas sua ecclesiae Cathacen. per obitum Nicolai Horatii vacan. providit de persona r. p. fr. Iosephi Piscolli ministri generalis ordinis minorum conventualium s. Francisci cum reservatione annuae pensionis scutorum mille auri in auro pro persona nominanda etc.

XXXVII.

Hieronymus Arsenghi fit episcopus Bacchinensis. Ex eisdem actibus pag. 167.

Romae feria II. die 17. Septembris in hortis quirinalibus fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendiss. d. card. Peretto pro reverendiss. d. card. Montalto ad supplicationem principis Moldaviae sanctitas sua ecclesiae Bacchinen. certo modo vacan. providit de persona r. p. Hieronymi Arsenghi ordinis minorum conventualium s. Francisci, cum dispensatione super defectu gradus doctoris, enim non est, et cum condonatione iurium etc.

XXXVIII.

Lazarus Pellicianus episcopus Nuscanus transfertur ad ecclesiam Mutinensem. Ex eisdem actibus pag. 168.

Romae feria II. die 1. Octobris in hortis quirinalibus fuit consistorium secretum, in quo

Sanctissimo d. n. proponente, provisum est ecclesiae Mutinen. per obitum .... vacan. de persona r. p. fr. Lazari Pelliciani ordinis minorum conventualium s. Francisci, olim episcopi Nuscan. reservata pensione annua scutorum mille monetae pro reverendiss. d. cardinali Estensi etc. absolvens illum etc. transferens etc.

XXXIX.

Confirmat privilegia religiosorum regularium intra claustra degentium. Ex bullario Cherubini tom. 3. pag. 223.

Ad perpetuam rei memoriam.

Religiosorum sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium quieti prospicere cupientes, quae illam quoquomodo perturbare posse videntur, opportuna nostra declaratione e medio tollere ac alias desuper opportune providere curamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

§. 1. Cum itaque nomine dilecti filii Basilii Augussolae procuratoris generalis ordinis fratrum carmelitarum in congregatione ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium Trid. concilii interpretum expositum fuerit, in Hispaniarum regnis quosdam ordinarios locorum contendere, religiosos intra claustra degentes coram ipsis ordinariis conveniri debere in causis civilibus cap. *Volentes* de privileg. in 6. comprehensis, propter illius innovationem a concilio

Trid. factam sess. vii. cap. 14. quo praefatos religiosos eorum privilegiis abrogatis defendunt comprehendi. Praeterea eosdem locorum ordinarios pariter contendere, eosdem religiosos intra claustra degentes in prima instantia coram ipsis conveniri debere ex decreto eiusdem concilii Trid. sess. xxiv. cap. 20. de reform.

§. 2. Cumque ab eodem Basilio procuratore generali in eadem congregatione supplicatum fuerit, ut supra utraque re responsa darent. Ab eadem vero congregatione fuerit responsum, neque constitutione in generali concilio Lugdunensi edita, quae incipit *Volentes*, neque decreto concilii Trid. cap. 14. sess. vii. comprehendi regulares, ideoque eos iuxta eorum privilegia coram suis superioribus vel conservatoribus esse conveniendos. Necnon decretum eiusdem concilii Trid. dicto cap. 20. sess. xxiv. ad regulares non pertinere nec eorum conservatorias imminuere, nec quoad primam illarum instantiam aliquid novi inducere, ipseque Basilius procurator generalis nobis humiliter supplicari fecerit, ut pro sui ordinis quiete, supradictas declarationes ab eisdem locorum ordinariis servari debere apostolica auctoritate praecipere dignaremur.

§. 3. Nos illius huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis locorum ordinariis in virtute sanctae obedientiae per praesentes districte praecipiendo mandamus, ne fratres et religiosos dicti ordinis carmelitarum contra dispositionem declarationum praedictarum perturbare vel inquietare quoquomodo audeant vel praesumant, irritum nihilominus et inane decernentes quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Quocirca dilectis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori et nostro et apostolicae sedis in regnis Hispaniarum nuncio per praesentes committimus et mandamus etc. Contradictores quoscumque etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xxiv. Augusti pontificatus nostri anno iii.

XL.

***Rata habet quaedam statuta edita ab archiepiscopo Coloniensi pro regularibus utriusque sexus suae dioecesis.* Cocquelines tom. 5. part. 3. pag. 274.**

Ven. fratri archiepiscopo Coloniensi s. r. ecclesiae principi electori salutem et apostolicam benedictionem.

Singularis tuus regularis disciplinae ac religionis conservandae zelus promeretur, ut ea quae desuper a te salubriter decreta et sancita esse cognoscimus, apostolicae firmitatis munimine roboremus.

§. 1. Cum itaque, sicut tuo nomine nobis nuper expositum fuit, tu ad nonnullos abusus in religiosorum ad regularem vitam ingressu in tua dioecesi vigentes tollendos et religionis rigorem, quoad fieri potest, in viridi observantia manutenendum, statuta et decreta quaedam ediderit huiusmodi sub tenore, videlicet.

ERNESTUS DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
ELECTUS ET CONFIRMATUS ARCHIEPISCOPUS COLONIENSIS.

Quia variae audiuntur querelae quod in primo actu et in ipso religiosae vitae tyrocinio, necnon in professionibus in monasteriis utriusque sexus regularium multae et magnae sint expensae tam in sumptuosorum prandiorum, quam vestimentorum et suppellectilis, qua recipiendorum cellulae adornantur, ac munerum causa quae superioribus dari consueverunt: unde quamplurimi ad vitam monasticam alioquin idonei media frequenter praecluduntur, quominus ad tam sanctum institutum pervenire possint.

Illis quoque qui admissi sunt, si forte vitam monasticam sibi minus convenire experiantur, quod non raro accidit et loco cedere velint, libertas recedendi adimitur, propterea quod ob solemnitatem huiusmodi prandiorum et aliorum actuum circa investitionem habitorum, qui hominibus laicis professionis formam exhibent, sine apostasiae suspicione et infamiae nota id facere nequeunt, tum etiam quod ob sumptus nimis magnos qui recuperari nequaquam possunt, magnam partem patrimonii sui et alimentorum in subsequentem vitam necessariorum perdiderint.

Detestabilis etiam corruptela quaedam monasteria invasit, qua conventuales etiam professi seu professae ex hac vita decedentes testamenta condere, abbatibus vel abbatissis, seu aliis superioribus monasterii sui certam quamdam pecuniae summam relinquere pro solemnioribus exequiis, sive etiam pro annuis obitus sui memoriis peculium, ex quo conventui refectio aliqua detur, deputare et assignare teneantur, vel si id factum non fuerit, tota suppellex quae in demortui cella relicta est, in hunc usum vendi et distrahi debet, alioquin defuncti animae huiusmodi charitatis officia et iusta nequaquam persolvuntur: quae quidem instituta vitae monasticae repugnant; ipsos conventuales praeter proprietatis vitium quod hac ratione incurrunt, per omnem vitam suam in congreganda huiusmodi pecunia solicitos et distractos faciunt, amicos quoque a quibus eam extorquere saepe coguntur, valde gravant.

Hinc statuimus et ordinamus, ut in primo actu quo qualescumque personae religioni alicui primum destinatum et habitum assumunt, sive etiam ante sive post illum actum ante professionem nullum omnino instituatur prandium, nulla superioribus vel aliis quibuscumque dentur, nec per ipsos recipiantur dona aut munera: non exigantur novae aut pretiosae lecticae, cellarum fenestrae, imagines vel tabulae pictae, statuae, cistae, promptuaria, armaria, sacrarum reliquiarum thecae aut capsulae, neque aliud quidquam quo novitii vel novitiae cella potius adornatur, quam rebus necessariis instruitur.

Si qua tamen sacrae investitionis vel professionis die ultra communem et quotidianam portionem ex consuetudine religionis in monasterio existentibus ab antiquo data fuerit refectio, eam quidem non intendimus per hoc statutum adimere, sed ita moderari volumus, ut pro singulis religiosis istius monasterii non amplius quam dimidius florenus Coloniensis sive duodecim albi in sumptum eiusmodi refectionis a parentibus, aut amicis monasterio numerentur.

Sacrae religioni investienda virgo posthac absque omni pompa et superbo vestitu, absque ullo comitatu parentum vel amicorum, puerorum, vel puellarum ea ipsis penetralibus monasterii eo habitu quo in schola monasterii constituta, vel alias antea diebus solemnioribus sueverat ad sacram communionem accedere, in publicum vestienda procedat.

Nulli virgini religioso habitu investiendae aut professionem facturae puerulí Iesu praeferatur statua, sed eius loco exponatur ei in summo altori in venerabili sacramento ipse virginum omnium sponsus Christus Dominus.

Die sacrae professionis non alii invitentur ad convivium, quam qui vel sanguine vel summo alio necessitudinis vinculo professionem edituro vel edituree coniuncti sunt, qui sine aperta ingratitudinis nota et gravi offensione non invitari non possunt: hac tamen conditione, ut plures non admittantur convivae, quam duodecim. Procul hinc arceantur exquisitae dapes: absint argentea atque aurea vasa et pocula: nulla admittatur instrumentalis vel vocalis musica: nullae ducantur choreae, neque ulli convictis manibus in orbem ducti circuitus: sed sint frugalia omnia, sit spiritualis laetitia et in Deo divinisque colloquiis recreatio, atque ante vesperas quae ultra horam tertiam consuetam non differantur, finienda.

Secundo autem die multoque minus tertio aut sequentibus nullus amicorum convivandi causa ad monasterium fiat accessus; nec in in esculentis aut poculentis, novi aliqui in monasteriis sumptus fiant, ullave repotia aut anniversaria professionis convivia.

Prohibemus etiam omnia convivia, regalia et reginalia, necnon prandia et sumptus qui propter similes quascumque causas fieri et institui solent.

Si pluries in uno atque eodem monasterio eiusdem cursus fuerint novitii aut novitiae, ii non distinctis diebus, sed uno atque eodem tempore simul professionem faciant, et una atque eadem opera, unoque sumptu, tempus molestiae et sumptus redimantur.

Nemini religionem seu vitam monasticam professo aut professae liceat testamentum condere, peculium colligere, superioribus vel aliis quibuscumque certam pecuniae summam post mortem relinquere, vel pro solemnibus exequiis, aut pro annuis obitus sui memoriis, vel pro similibus causis quidquam deputare vel assignare.

Ut vero haec sanctissime constituta sortiantur optatum effectum, et nusquam hisce sanctionibus, adeoque Spiritui sancto pertinaciter resistatur, praeter excommunicationem ferendae sententiae, quam contra delinquentes abbates, commissarios visitatores, praelatos, rectores, confessarios et alios quoscumque investitionis actum facientes, vel professionem excipientes, similiter contra abbatissas, magistras, priorissas, matres aliasque sanctimonialium rectrices, praefectas et investitionem aut professionem eiusmodi promoventes vel admittentes, in his scriptis et praesentium tenore comminamur, a qua excommunicatione nonnisi a nobis aut nostro in spiritualibus vicario absolvi valeant, quando latae fuerint, praeter alias ordinarias ac arbitrarias poenas certe infligendas: nullus postea eo loco, ubi, contra quam praescribimus, actum fuerit, investiatur, aut ad professionem faciendam admittatur. Morientes quoque, qui testamenta condiderint, seu aliquid praescriptorum de exequiis, aut annuis obitus sui memoriis ordinaverint, aut superioribus vel aliis quibuscumque pecuniam aut peculium assignaverint, ecclesiastica priventur sepultura: superiores vero et alii qui pecuniam vel peculium tali modo exegerint vel receperint, aut ordinationibus scriptis consenserint aut admiserint, a praelaturis et officiis suis sint suspensi, donec transgressores ad obedientiam venerint, et nobis pro excessibus suis satisfecerint.

Mandamus proinde fiscalibus omnibus, ut omnes diligentiae ac vigilantiae nervos intendant, ne quid ab eis desideretur officii in facienda investigatione et delatione huiusmodi excessuum. Qui ne per aliquam ignorantiae rimulam

denuo alibi irrepant, aut inolitae vitiosae et corruptae consuetudinis ianuam palam ingrediantur; volumus, ut quotiescumque aliquis investiendus aut professionem editurus est, haec nostra constitutio in congregatione omnium istius monasterii professorum publice legatur uno mense ante investitionem et professionem, eademque per superiores monasterii plenissime explicetur parentibus et amicis investiendorum atque professionem editurorum, eosque promoveant, ut omnibus modis huic nostrae sanctioni obedienter acquiescant et satisfaciant.

Praecipimus propterea visitatoribus et rectoribus omnibus, ut eamdem per singulos articulos in omni visitatione sua, et alias quotiescumque videbitur, vigilantissime inquirant, examinent et vindicent.

Insuper cum ob graves causas frequenter mandatum sit, ut virginibus sanctimonialibus praeter ordinarium confessarium, bis aut ter in anno alius extraordinarius confessarius offeratur, qui omnium confessiones audire deberet, et nedum satis pro afflictarum conscientiarum consolatione ea res in usum ubique venerit, quin supersit iustae querelae locus, sub poena excommunicationis mandamus omnibus abbatibus, praelatis, praepositis, rectoribus, confessariis, monasteriorum praefectis, ad quos haec cura aliquo modo pertinere dignoscitur, ut quotannis sanctimonialibus suis, bis aut ter aliquem a nobis aut a nostro in spiritualibus vicario approbatum confessarium extraordinarium sive saecularem sive regularem offerant, qui omnium confessiones audiat, nimirum in principio quadragesimae, ad festum assumptionis b. Mariae virginis, et circa festum omnium sanctorum seu in principio adventus Domini, aut aliis temporibus magis opportunis.

Et ut nobis constet quinam et quales isti extraordinarii confessarii sint, et ne iniusta fieri possit contra personam exceptio, tenebuntur singuli monasteriorum praelati, praefecti aut rectores, quibus incumbit huiusmodi confessarium nominare, suum et confessarii ordinarii atque extraordinarii nomen nobis aut nostro in spiritualibus vicario quotannis scripto exhibere ante dominicam quinquagesimae.

Datum Arnsburgi anno MDCV. die XII mensis Septembris.

§. 2. Cumque cupias praeinserta statuta seu decreta a te edita pro maiori illorum firmitate et firmiori observantia apostolica auctoritate confirmari, tuo nomine nobis fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinserta statuta seu decreta a te edita, de ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis apostolicae inviolabilis firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem; tibique, ut statuta et decreta suprainserta inviolabiliter observari facere possis et valeas concedimus et indulgemus.

§. 4. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die VI. Iunii pontificatus nostri anno III.

XLI.

Ut construatur ecclesia in civitate Tragurii minoritarum de observantia. Ex reg. secr. brev. In mense Iulio pag. 102.

Venerabili fratri episcopo Tragurien. salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Prosper Rado Bisaccien. custos domus seu conventus fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia civitatis Tragurien. quod alias postquam ecclesiam dictorum fratrum in eadem civitate dirutam fuerat, quondam . . . . . mulier nobilis dictae civitatis in eius ultimo per eam condito testamento mandavit, quod dilectus filius Franciscus quartus eius haeres eamdem ecclesiam a fundamentis reaedificare teneretur, prout in dicto testamento plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat dictus Franciscus haeres voluntatem dictae testatricis adimplere volens, ipsam ecclesiam denuo fabricare paratus sit; sed cum ob loci incommoditatem tam custos et fratres, quam Franciscus praedicti cupiant praedictam ecclesiam in alio loco opportuniori eiusdem civitatis fabricare posse, nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut super hoc opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur custodem et fratres, necnon Franciscum praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut eisdem custodi et fratribus praedictis ecclesiam praedictam in alio loco opportuniori dictae civitatis tibi beneviso, de consensu dicti Francisci haeredis construere et fabricare libere et licite valeant, licentiam et facultatem auctoritate nostra apostolica concedas, et ad hunc effectum voluntatem dictae testatricis specialiter et expresse eadem auctoritate commutes. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die v. Iulii pontificatus nostri anno III.

XLII.

Ut Petrus Gonzalez possit iterum eligi in commissarium generalem discalceatorum in Hispania. Ibidem in mense Decembri pag. 365.

Dilecto filio Petro Gonzalez ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia congregationis Hispaniarum commissario salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut accepimus in munere commissariatus congregationis Hispaniarum ordinis tui s. Francisci de observantia nuncupati, quo nunc fungeris, te gereris, ipsum tamen officium brevi finire debeat, et si iterum ad idem officium eligereris, non dictae congregationi conduceret: sed quia eiusdem congregationis seu ordinis statutis prohibetur, eum qui commissariatus officio functus est, ante triennium iterum eligi, id effici non potest absque nostra et sedis apostolicae dispensatione; propterea nos attendentes, quod sicut hoc provide

statutum est ad communem dictae congregationis utilitatem, ita etiam cum eadem utilitas postulat, apostolicae dispensationis remedio merito providere debet, eidem congregationi consulere volentes, teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes, motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex matura deliberatione certaque scientia nostris, tibi, ut non obstante quod nunc commissarius dictae congregationis existas, nihilominus postquam huiusmodi officium finierit, triennio a statutis praedictis requisito minime expectato, iterum in huiusmodi commissarium eligi, tuque electioni de persona tua forsan faciendae consentire possis, necnon ii ad quos electio huiusmodi spectabit, teque eligere possint, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, ac tecum et cum praedictis desuper gratiose dispensamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum die xxiii. Decembris pontificatus nostri anno iii.

XLIII.

Ut Alphonsus de Requiescens commissarius generalis Germaniae, Bohemiae, Hungariae, Transylvaniae et Sclavoniae confraternitatem conceptionis erigere valeat in ecclesiis ordinis Viennae et Pragae. Ex eod. reg. in mense Octobri pag. 346.

Dilecto filio Alphonso de Requiescens commissario generali ordinis minorum s. Francisci de observantia in provinciis omnibus Germaniae, Bohemiae, Hungariae Transylvaniae et Sclavoniae salutem et apostolicam benedictionem.

De salute dominici gregis nobis divina dispositione commissi paterna charitate soliciti ad ea christifidelibus concedenda, per quae eorum pietas et devotio ad aeternam salutem facilius comparandam augere posse speramus, libenter intendimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Ut igitur christifidelium devotio erga ecclesias tui ordinis civitatum Viennen. et Pragen. magis augeatur, ipsique christifideles eo libentius infrascripta pietatis opera exercere studeant, qui exinde coelestium indulgentiarum donis conspexerunt se uterius esse refectos, tibi de cuius fide, pietate et catholicae regionis zelo plurimum in Domino confidimus, ut in alterutra ex dictis ecclesiis confraternitatem conceptionis b. Mariae apostolica auctoritate erigere, ac pro eius felici gubernio quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis minime adversantia ab ordinario loci examinanda et approbanda condere, servata ubi opus fuerit forma constitutionis fel. rec. Clementis papae viii. praedecessoris nostri super modo et forma in aggregationibus et erectionibus confraternitatum servandis editae, libere et licite possis et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impartimur. Insuper de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex nunc prout ex tunc postquam dictae confraternitates sic erectae fuerint et etiam erigendae omnibus utriusque sexus christifidelibus qui alteram ex dictis confraternitatibus pro tempore ingredientur die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum euchari-

stiae sacramentum sumpserint plenariam, ipsis vero nunc descriptis et pro tempore describendis in dictis confraternitatibus confratribus et consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si pariter vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu et b. v. Mariae ore, si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, etiam plenariam; necnon eisdem confratribus et consororibus qui poenitentes et confessi in conceptionis eiusdem b. Mariae festivitate santissimum eucharistiae sacramentum sumpserint et pro christianorum principum etc. preces effuderint, quo die festivitatis huiusmodi id egerit, plenariam similiter omnium peccatorum etc. concedimus. Insuper eisdem confratribus et consororibus similiter poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, annuntiationis, purificationis et assumptionis eiusdem b. Mariae festis diebus sanctissimum sacramentum sumpserint et oraverint, ut praefertur, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; iis vero qui processioni per dictas confraternitates in die festo conceptionis eiusdem b. Mariae singulis annis fieri solitae in quo puellas matrimonio collocare consueverunt, interfuerint, tres annos et totidem quadragenas; necnon qui congregationibus tam publicis quam privatis earumdem confraternitatum, ubi ipsarum negotia tractantur, pariter interfuerint, centum dies pro qualibet vice. Praeterea tam eisdem confratribus et consororibus, quam aliis utriusque sexus christifidelibus, qui singulis diebus festis et vigiliis eiusdem b. Mariae et sabbatis ante altare conceptionis eiusdem b. Mariae situm in quacumque praedictis ecclesiis interfuerint, et ibi litanias et antiphonam salve Regina ibi recitandas aut illas recitaverint, quoties id fecerint, ducentum dies; necnon eisdem confratribus et consororibus tantum qui corpora defunctorum confratrum et consororum dictarum archiconfraternitatum ad sepulturam ecclesiarum comitati fuerint, et pro ipsorum defunctorum animabus preces Deo effuderint, ducentos dies pro qualibet vice, quoties vero conscientiae suae vespere examen egerint et protectioni eiusdem b. Mariae et Angeli custodis sese commendaverint, toties centum dies, iis vero qui in honorem eiusdem immaculatae virginis Mariae pauperibus puellis, ne per corporis impudicitiam in diaboli potestatem veniant, subvenerint et auxilium praestiterint, et quovis modo earumdem pudicitiae conservandae occasionem praebuerint, quotiescumque haec egerint, annum unum; qui vero paci et unioni inter fideles constituendae operam dederint aut peccatum reliquerint, aut hospitalia et conventus visitaverint, et ignorantes doctrinam christianam docuerint, sexaginta dies pro qualibet vice, iis vero qui officium b. Mariae virginis devote recitaverint, quinquaginta dies pro qualibet vice, et qui quotidie dictum officium per mensem continuum similiter recitaverint, si confessi et sacra communione refecti fuerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta relaxamus. Non obstantibus etc. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud s. Marcum die XXII. Octobris pontificatus nostri anno III.

XLIV.

Concedit usum altaris portatilis Iosepho a Porta conventuali a consiliis et eleemosynis Henrici IV. Galliarum regis. Ex eodem reg. in mense Ianuario pag. 79.

Dilecto filio Iosepho a Porta fratri ordinis minorum conventualium s. Francisci salutem et apostolicam benedictionem.

SPirituali consolationi tuae, quantum cum Domino possumus benigne consulere teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, tibi qui, ut asseris, charissimi in Christo filii nostri Henrici Francorum et Navarrae regis christianissimi consiliarius eiusdemque eleemosynarius existis, et dum in itinere fueris quocumque te proficisci contigerit, altare portatile cum debitis honore et reverentia habere, super quo in casum necessitatis dumtaxat, in locis ubi defectus erit ecclesiae, vel illam adire non poteris, sacrosanctum missae sacrificium per te ipsum celebrare libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die XXXI. Ianuarii pontificatus nostri anno III.

Digitized by Google

XLV.

Eligit protectorem fratrum ordinis minorum conventualium. Ex bullario Cherubini tom. 3. pag. 243.

Dilecto filio nostro Marcello tituli ss. Quirici et Iulittae presbytero card. Lantes nuncupato salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum ordo fratrum minorum conventualium s. Francisci protectore ad praesens destitutus reperiatur, nos eidem ordini de idoneo protectore providere volentes, ac de tua industria, singulari prudentia, doctrina et integritate ac religionis zelo plurimum in Domino fiduciam habentes, motu proprio non ad ipsius ordinis aut eius superiorum vel alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et deliberatione nostris, te ex cuius protectione ob tuas eximias virtutes ordinem praedictum commodi plurimum suscepturum esse confidimus, praedicti ordinis ac illius domorum, conventuum et fratrum quorumcumque apud nos et sedem apostolicam protectorem, cum omnibus facultatibus, iurisdictionibus, honoribus et oneribus solitis et consuetis, ac quibus alii ordinis huiusmodi protectores usi sunt, ac uti quomodolibet potuerunt seu etiam debuerunt, ad tui vitam facimus, constituimus et deputamus.

§. 2. Volumus autem ac tibi in virtute sanctae obedientiae per praesentes easdem iniungimus et mandamus, ut superiorum dicti ordinis auctoritatem, quantum fieri poterit, conservare cures. Et propterea cum ipsi superiores eorum officiis debito satisfecerint ac gubernio subditorum sufficienter incubuerint, tunc negotiis eorumdem fratrum te ne immisceas. Quando autem ab ipsis fueris requisitus, ut in eisdem negotiis auctoritatem interponas vel necesse fore cognoveris, ut eamdem auctoritatem tuam in eisdem negotiis exerceas, tunc id libere facere possis, sed quoad potueris, per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit in eisdem negotiis seu causis loco notarii, aliquo ex fratribus dicti ordinis.

§. 3. Mandantes propterea praedictis superioribus, necnon universis fratribus et personis quibuscumque ordinis huiusmodi in virtute sanctae obedientiae, ut te in eumdem protectorem iuxta praesentium tenorem recipiant, et ea qua decet reverentia prosequantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die VII. Octobris pontificatus nostri anno IV.

XLVI.

Adprobat fundationem coenobii Licien. Ex reg. secr. brev. in mense Aprili pag. 146.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pro fidelium quorumlibet et praesertim religiosorum studio piae vitae divinique numinis obsequiis sub observantia regulari vacantium, et ecclesiarum statu salubriter dirigendo soliciti, sicut ex debito nobis commissi pastoralis

officii tenemus, considerationis extendentes intuitum, sd ea per quae ecclesiarum ipsarum profectui religionisque incremento provisum est, ne successu temporis de eorum validitate dubitari contingat, nostrae vigilantiae partes perpensius impartimur. Sane pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis et fratrum ordinis fratrum minorum de observantia provinciae s. Nicolai nobis nuper expositum fuit, quod alias venerabilis frater Scipio episcopus Licien. provide considerans ecclesiam s. Mariae de Hidria nuncupatam prope et extra muros civitatis Licien. magno fidelium concursu devotionis causa frequentari, ac animarum saluti et divini cultus augmento summopere consultum iri, si eadem ecclesia s. Mariae rectoribus destituta, quae eatenus in titulum beneficii interim erecta non fuerat, religiosorum virorum curae qui in ea divina officia celebrarent, confessiones recurrentium ad eos exciperent ac fidelibus eiusdem sanctissimum eucharistiae sacramentum subministrarent, committerent, ecclesiam s. Mariae praedictam eum quibusdam cubiculis illi adiacentibus, reservato tamen nostro et sedis apostolicae beneplacito, perpetuo concessit sub conditione, quod fratres ibidem degentes pro recognitione iurisdictionis episcopalis facem unam ceream laboratam ponderis et valoris trium librarum pro tempore existenti episcopo Licien. feria quinta paschalis resurrectionis dominicae quolibet anno persolvere tenerentur, prout in literis patentibus desuper expeditis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, fratres ad dictam ecclesiam s. Mariae et illi adiacentia cubicula huiusmodi introducti conventum ibidem compleverint, cupiantque vehementer minister et fratres praedicti pro maiori concessionis praedictae firmitate et subsistentia illam apostolica auctoritate confirmari, ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui religionis et domus Dei decorem et salutis animarum curam ubique nostris potissimum temporibus adaugere sincero desideramus affectu, ministrum et fratres praedictos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon ecclesiae s. Mariae et illi adiacentium cubiculorum huiusmodi situationes, confines, quantitates, qualitates, denominationes et valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem ecclesiae et illi adiacentium cubiculorum praedictorum, ut supra factam, dummodo tamen ipsam ecclesiam nunquam in anteriorem titulum beneficii ecclesiastici collativi erecta fuerit, ut praefertur, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque apostolicae inviolabilis et perpetuae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die IX. Aprilis pontificatus nostri anno III.

XLVII.

Indulget translationem conventus. Ibidem in mense Octobri pag. 424.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Marcus de Trinitate tertii ordinis s. Francisci provinciae Portugalliae frater provincialis, quod venerabilis frater Michael archiepiscopus Ulyssiponen. pro sua pastorali diligentia animadvertens domum fratrum dicti ordinis Villae Santarem suae Ulyssiponen. dioecesis in

loco valde insalubri sitam extare et propterea illius fratres continuis infirmitatibus detineri, ac multos ex iis e vivis decedere et quibusdam vero aedibus pene dirutis in loco salubriori dicti oppidi existentibus, et ad mensam suam episcopalem spectantibus nihil utilitatis dictae suae mensae provenire, aedes dirutas huiusmodi cum illarum situ praedictis fratribus ad effectum inibi construendi novam domum dicti ordinis perpetuo concessit. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, dictus Marcus plurimum cupiat concessionem huiusmodi pro illius subsistentia per nos apostolica auctoritate confirmari et approbari, idcirco eiusdem Marci nomine nobis fuit humiliter supplicatum, ut eamdem concessionem apostolica confirmatione munire dignaremur. Nos igitur fratres praedictos specialis gratiae favore prosequi volentes et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac dictarum aedium situationes confines, vocabula, denominationes, qualitates et quantitates praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem praedictam, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illique perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eadem intervenerint, supplemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxi. Octobris pontificatus nostri anno iv.

XLVIII.

Berengarius de Bardoxi praeficitur ecclesiae. Oscensi Ex actibus consist. ad hunc annum pag. 202.

Romae feria II. *die* 27. *Februarii apud s. Petrum in aula paramentorum fuit consistorium secretum, in quo*

Referente reverendissimo d. card. Zapata pro reverendiss. d. card. Farnesio ad praesentationem catholicae maiestatis sanctitas sua ecclesiae Oscen. per obitum . . . . illius ultimi episcopi vacan. providit de persona r. p. fr. Berengarii de Bardoxi ordinis s. Francisci de observantia cum decreto, ut iterum fidei professionem emittat etc. et cum reservatione annuae pensionis 900. ducatorum pro personis nominandis, salvis antiquis etc.

XLIX.

Ioannes Baptista Civalli fit suffraganeus episcopi Olomucen. Ex eisdem actibus pag. 196.

Romae feria III. *die* 28. *Ianuarii apud s. Petrum in aula paramentorum fuit consistorium secretum, in quo*

Reverendissimo d. card. Paravicinio referente, sanctitas sua praefecit in episcopum ecclesiae Nigropolen. vacan. per obitum Melchioris Pirnesii r. p. fr. Ioannem Baptistam Civallium ordinis s. Francisci conventualium ex oppido

s. Genesii Camerinen. dioecesis sacrae theologiae doctorem, sacerdotem professum eumdem ordinem provincialem Bohemiae etc. quem etiam deputavit suffraganeum ecclesiae Olomucen. cum tribus decretis: 1. ut iterum fidei professionem emittat, et rite factam Romam transmittat: 2. eum assignatione pensionis scutorum 200. quae transeat ad successores episcopos pro suffraganei substentatione: 3. quod non possit pontificalia exercere in alia ecclesia nisi de licentia episcopi etc.

L.

Hieronymus Hasteus eligitur episcopus Verulen. Ex eisdem actibus pag. 251.

Romae feria II. die 17. Novembris apud s. Petrum in aula paramentorum fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendiss. d. card. Lante sanctitas sua ecclesiae Verulen. per obitum Eugenii vacan. providit de persona fr. Hieronymi Hastei ordinis minorum conventualium s. Francisci presbyteri Concordien. dioecesis sacrae theologiae doctoris, fidem rite professi etc. tax. flor. 50. valoris sc. 400.

LI.

Prohibet rectoribus ecclesiarum Indiarum orientalium et occidentalium ne maiorem eleemosynam exigant a parentibus defunctorum, si ipsi tumulentur in ecclesiis monialium et minorum de observantia. Ex bullario Cherubini tom. 3. pag. 239.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Expositum nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Matthaei de Recalde vicecommissarii generalis Indiarum occidentalium ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, quod rectores parochialium ecclesiarum Indiarum occidentalium et orientalium, ne christifidelium qui pro tempore ab humanis decedunt, cadavera ita commode in ecclesiis fratrum et monialium dicti ordinis ecclesiasticae sepulturae tradi valeant, ut in eorum parochialibus ecclesiis valerent, de consilio forsan suorum superiorum abusum introduxerunt, ut maiorem scilicet eleemosynam ab illis exigant, qui in ecclesiis dicti ordinis sepeliuntur, quam si in propriis ecclesiis sepelirentur, itaut christifideles qui in ecclesiis huiusmodi sepeliri desiderant, parem ad minus parochialibus ecclesiis eleemosynam relinquere debeant ratione eorum sepulturae, ea quam ecclesiis ordinis huiusmodi relinquunt.

§. 2. Et quod peius est, si quis pro animae suae refrigerio nonnullas missas a fratribus praedicti ordinis celebrandas reliquerit, praetendunt parochi eleemosynam ratione missarum huiusmodi relictam inter ipsos et fratres praedictos dividendam esse.

Digitized by Google

§. 3. Et ulterius iidem rectores de mandato forsan suorum ordinariorum, filios quorum patres in ecclesiis dictorum fratrum et monialium sepulti sunt, aut sepulturam particularem pro se et suis habent, nulla consuetudine legitime suffulti, in eorum parochialibus ecclesiis sepeliri, et dictos patres ad hoc ut in dictis parochialibus ecclesiis sepeliantur, cogere et compellere contendunt, et quotquot fratres regulares defunctum aliquem ad ecclesiasticam sepulturam in suas regulares ecclesias comitantur, tot etiam saeculares sacerdotes aut clericos assumi volunt in maximum domorum et monasteriorum dicti ordinis praeiudicium, eo quod multi duplicis huiusmodi funerum impensa difficultate deterriti, in dictis regularibus ecclesiis sepulturam eligere nequeunt; unde fit ut dicti ordinis ecclesias mortuorum sepulturis, et consequenter eleemosynis etiam quae in suffragium animarum fieri consueverunt, paulatim destitutas iri verendum sit.

§. 4. Quare dictus Matthaeus nobis humiliter supplicari fecit, ut domorum et monasteriorum, necnon fratrum et monialium dicti ordinis illarum partium indemnitati consulere ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur huiusmodi abusus e medio tollere ac dicti ordinis eiusque religiosorum utriusque sexus, ut maiores in vinea Domini fructus in dies afferre studeant, commoditatibus, quantum cum Domino possumus prospicere cupientes, de consilio ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium consultationibus et negotiis episcoporum et regularium praepositorum, omnibus et singulis parochialium ecclesiarum in partibus Indiarum tam occidentalium quam orientalium rectoribus nunc et pro tempore existentibus, harum serie interdicimus et prohibemus, ne sub excommunicationis maioris latae sententiae poena, a qua nonnisi a nobis seu a romano pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo absolvi possint, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus maiorem eleemosynam ab iis, qui in dictarum domorum utriusque sexus ordinis s. Francisci ecclesiis sepulturam eligunt et sepeliuntur, ea quam illis praescribit concilium Tridentinum sess. 25. cap. xiii. iuxta explicationem a fel. rec. Pio papa v. praedecessore nostro emanatam sub datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae mdlxvii. xvii. calendas Iunii pontificatus sui anno ii. quovis praetextu aut occasione, etiam de consilio, consensu et mandato suorum ordinariorum exigere.

§. 6. Nec filios quorum patres in ecclesiis dictorum fratrum et monialium sepulti sunt aut sepulturam particularem pro se et suis habent, in eorum parochialibus ecclesiis sepeliri, et dictos patres ad hoc ut in dictis parochialibus sepeliantur, cogere valeant seu praesumant.

§. 7. Quocirca dilectis filiis curiae causarum camerae apostolicae generali auditori ac Indiarum occidentalium societatis Iesu provincialibus pro tempore existentibus per praesentes committimus et mandamus.

§. 8. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxv. Iunii pontificatus nostri anno iv.

LII.

Corrigit abusum circa ingressum mulierum in monasteria monialium. Idem ibid. pag. 243.

Ad futuram rei memoriam.

FAcultatum plura monasteria monialium ingrediendi abusum tollere volentes,

§. 1. Tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod nulla persona cuiuscumque gradus, status et conditionis, ac praeeminentiae existat, etiamsi ducali, marchionali aut alia dignitate praefulgeat, vigore licentiarum plura monasteria, domos et loca monialium pluribus vicibus ingrediendi, etiam ab clausula (in totum seu in universa, non autem in eorum aliqua vel singula) a nobis vel praedecessoribus nostris romanis pontificibus, sub quovis tenore vel forma etiam motu proprio concessarum et expeditarum, aut in posterum forsan concedendarum et expediendarum, aliqua vel singula monasteria pluribus vicibus ingredi possit, sed licentiae huiusmodi respectu universorum, non autem aliquorum vel singulorum monasteriorum suffragentur ita, ut cui bis in anno seu amplius plura monasteria ingredi conceditur, his vel amplius tantum universa, non autem eorum aliqua vel singula ingredi liceat, etiamsi praedicta monasteria in diversis civitatibus, terris, dioecesibus et locis existant.

§. 2. Iisdem mulieribus aliter quam, ut praefertur, easdem licentias interpretari, vel illis uti sub censuris et poenis a concilio Trid. et apostolicis constitutionibus intra septa monasteriorum monialium absque licentia ingredientibus inflictis ipso facto incurrendis, eadem auctoritate prohibemus. Praemissis et aliis quomodolibet in contrarium facientibus quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die I. Septembris pontificatus nostri anno IV.

LIII.

Pro verbi Dei praeconibus in Indias orientales mittendis. Ex reg. secr. brev. in mense Iunio pag. 419.

Universis et singulis praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

SEdis apostolicae providentia circumspecta, quae ratione suadente aliquando decrevit, experientia deinde comperto mutatione indigere, nonnunquam immutat, prout re mature discussa in Domino iudicat expedire.

Alias siquidem fel. rec. Gregorius papa XIII. praedecessor noster certis tunc expressis causis odductus per suas in simili forma brevis literas sub dat. die XXVIII. Ianuarii MDLXXXV. pontificatus sui anno XIII. omnibus patriarchis et episcopis, etiam provinciae Chinae et Iaponis sub interdicti ecclesiastici et suspensionis ab ingressu ecclesiae et pontificalium exercitio, aliis vero sacerdotibus, clericis et ministris ecclesiasticis tam saecularibus, quam cuiusvis ordinis regularibus cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existerent, sub excommunicationis maioris poenis ipso facto incurrendis interdixit et inhibuit,

ne ad eorum regiones et provincias Iaponicas evangelii praedicandi, vel doctrinam christianam docendi, out sacramenta ministrandi aliave munia ecclesiastica obeundi causa sine sua et sedis apostolicae expresso licentia proficisci auderent.

Postmodum autem fel. mem. Clemens papa viii. similiter praedecessor noster, accepto quod tam Chinae et Iaponum, quam aliae illis vicinae et adiacentes insulae, regiones et provinciae ac finitima regna Indiae occidentalis, amplissima et populis refertissima erant, et pro tanta animarum multitudine ad fidem catholicam traducenda et spiritualibus alimentis fovenda, plures operarii ac ministri necessarii erant, quam ex solo religiosorum societate Iesu haberi poterant, omnibus et singulis mendicantium ordinum magistris seu prioribus generalibus, tunc et pro tempore existentibus indulsit, ut cum necessitas postulasset, quoslibet ordinis sui spectatae vitae et eruditionis religiosos, quos nimirum ad praedicta officia et ministeria idoneos et utiles fore in Domino iudicarent, per Lusitaniam dumtaxat, et suscepta inde navigatione in Indias et civitatem Goan. atque ad superiores ordinum in illis partibus existentes transmittere, et tam ipsi sic transmittendi quam alii supradictorum ordinis religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, et ad hoc munus obeundum a suis magistris, ministris vel prioribus generalibus seu aliis superioribus electi et approbati, tam ad Iaponicas praedictas quam ad alias proximas et adiacentes, etiam Chinae et finitimorum regnorum, et Terrae Firmae Indiae orientalis insulas, regiones et provincias accedere possent.

Caeterum omnibus et singulis religiosis cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis essent, sub excommunicationis maioris, a qua nonnisi a romano pontifice praeterquam in mortis articulo absolvi possent, necnon privationis vocis tam activae quam passivae, ac dignitatum, administrationum et officiorum quorumcumque, necnon inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda ac exercenda poenis ipso facto absque ullo declaratione incurrendis interdixit et prohibuit, ne ex Insulis Philippinis nuncupatis sive qualibet alia Indiarum occidentalium, vel quae pro partibus Indiarum occidentalium tunc habebantur parte ad illas pertinente, in Iaponicas et alias illis proximas adiacentes et finitimas insulas, provincias et regiones praedictas etiam quorumcumque privilegiorum, eis vel suis ordinibus a dicto Clemente et romanis pontificibus praedecessoribus suis, sub quibuscumque tenoribus et formis in genere vel in specie etiam super facultate praedicandi verbum Dei per universum mundum, eatenus concessorum seu in posterum etiam concedendorum, approbandorum et innovandorum, nisi in illis de prohibitione huiusmodi et interdicto specialis, specifica et expressa mentio cum sufficienti derogatione fieret, out quovis alio praetextu et quaesito colore proficisci et transire auderent vel praesumerent; et si qui eatenus vel in posterum secus fecerent, postquam moniti essent, statim sub eisdem poenis omni mora et excusatione cessante, ad dictas Insulas Philippinas vel alias partes Indiarum occidentalium reverti et redire omnino tenerentur, et ad id per quoscumque iudices ecclesiasticos sub eisdem et aliis eorum arbitrio infligendis poenis cogi et compelli possent, prout in dictis Gregorii ac praedicti Clementis praedecessorum desuper etiam in forma brevis sub dat. Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xii. Decembris mdc. pontificatus sui anno ix. confectis literis plenius continetur.

Cum autem sicut ex insinuatione charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici accepimus, experientia compertum sit, quod prohibitio accedendi ad Indias et civitatem Goan. alias quam per Lusitaniam, nec qui operabatur, ex eo fructum protulit, neque catholicae fidei propagationis ne-

gotio utilis fuit, nos pro pastoralis officii nostri debito, ut tantum opus Dei omni sublato impedimento libero peragi possit, quantum humilitati nostrae ex alto conceditur providere volentes, dictarumque literarum Gregorii et Clementis praedecessorum tenores praesentibus pro expressis habentes, omnibus et singulis mendicantium ordinum magistris, ministris seu prioribus generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis ordinum capitibus nunc et pro tempore existentibus, ut cum necessitas postulaverit, quoslibet ordinis sui spectatae vitae et eruditionis religiosos, quos nimirum ad praedicta officia et munia idoneos et utiles fore in Domino iudicaverint, ad superiores ordinum in illis partibus existentes, etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam in Iaponicas et alias illis proximas adiacentes et finitimas Insulas, provincias et regiones praedictas, servata in reliquis dictarum literarum Clementis praedecessoris forma, in omnibus et per omnia, et non aliter transmittere libere et licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xi. Iunii pontificatus nostri anno iv.

LIV.

Ut fratres discalceati ubique locorum excitare valeant coenobia. Ex eodem reg. in mense Octobri pag. 349.

Ven. fratribus archiepiscopo Hispalensi et episcopo Pacensi, ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori salutem et apostolicam benedictionem.

Alias cum sicut accepimus inter caeteros religiosos in agro dominico laborantes, dilectos filios fratres ordinis minorum s. Francisci de strictiori observantia discalceatorum nuncupat. eorum vigiliis, orationibus, ieiuniis, praedicationibus et aliis piis et religiosis exercitiis, uberes in eodem agro dominico fructus afferre, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine et consilio ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis et consultationibus regularium praepositorum, per alias nostras in simili forma brevis sub datas die v. Septembris mdcvi. pontificatus nostri anno ii. expeditas literas, eiusdem ordinis fratrum discalceatorum s. Francisci superioribus, ut ubique locorum domus et monasteria, servata forma sacrorum canonum et concilii Trid. de sola licentia ordinariorum, nullo aliarum personarum cuiusvis ordinis regularium requisito consensu condere, fundare et erigere valeant, licentiam et facultatem concessimus et indulsimus. Non obstantibus fel. rec. Clementis papae viii. praedecessoris nostri, quae incipit: Quoniam ad instituta sub datis Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xiii. Iulii mdciii. pontificatus sui anno xii. aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et cuiusvis alterius ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque, prout in dictis literis plenius continetur. Quare cupientes dictos fratres effectus huiusmodi gratiae potiri, vobis per praesentes committimus et mandamus.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die x. Octobris pontificatus nostri anno iv.

LV.

Confirmat privilegia concessa fratribus claustralibus tertii ordinis. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 456.

Ad perpetuam rei memoriam.

Iustis ac honestis fidelium quorumlibet praesertim sub regularis vitae disciplina Altissimo famulantium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Bernardus Sabbia procurator generalis aliique superiores et fratres tertii ordinis de poenitentia nuncupati s. Francisci, quod ipsi nonnullis gratiis et privilegiis per diversos pontifices romanos praedecessores nostros sibi suoque ordini concessis gaudent, quae a nobis et apostolica sede confirmari desiderant, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Bernardum procuratorem et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, facultates, indulta et literas apostolicas ipsis et eorum ordini per quoscomque romanos pontifices praedecessores nostros concessa, et forsam etiam approbata et confirmata, dummodo tamen sint in usu et sacris concilii Tridentini decretis ac praedecessorum nostrorum et nostris constitutionibus, ac eiusdem ordinis regularibus institutis non adversentur, nec revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint, apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus, ac approbata et confirmata esse et censeri volumus et declaramus, necnon ipsos ubicumque et quandocumque opus fuerit, privilegiis, facultatibus, indultis et literis apostolicis praedictis libere et licite uti posse et valere ac irritum etc. attentari decernimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die IV. Octobris pontificatus nostri anno IV.

LVI.

Pro Francisco de Torres verbi Dei concionatore. Ibidem in mense Novembri pag. 60.

Dilecto filio Francisco de Torres fratri ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi nobis nuper fecisti, quod tu qui, ut asseris, in sacro presbyteratus ordine constitutus, ac etiam dilecti filii nostri Ludovici tituli s. Pancratii presbyteri cardinalis Montis Regalis nuncupati consobrinus existis, ad fidei sanctae catholicae exaltationem animas verbi Dei praedicatione, Deo dante, lucrifacere plurimum desideras, nos te in huiusmodi tuo laudabili proposito confovere volentes, supplicationibus tuo nomine nobis desuper humiliter porrectis inclinati, tibi ut quoad vixeris de superiorum tuorum et de ordinarii loci licentia seu cum eius benedictione iuxta formam concilii Tridentini in locis in quibus de eorumdem superiorum tuorum licentia pro tempore moram tra-

xeris, verbum Dei praedicare et explanare libere et licite valeas, apostolica auctoritate teoora praesentium liceotiam et facultatem concedimus et impartimnr. Non obstantibus coostitutionibus et ordinationibus apostolicis etc. caeterisqne contrariis quibuscumque.

Datum Romae apod s. Petrum die xxviii. Novembris pontificatus nostri anno iv.

LVII.

Ut Paulus Cornali quaedam bona sibi relicta a Paulo Arigoni patruo suo possit distribuere pauperibus locisque piis. Ex reg. secr. brev. in mense Maio pag. 110.

Dilecto filio Paulo Cornali ordinem fratrum minorum de observantia professo salutem et apostolicam benedictionem.

TUo nomine oobis ouper expositom fuit, quod quondam Ioaooes Panlus Arigoni patruus seu avunculus tous io soo ultimo qood condidit testamento, sub enius dispositione ab bumanls decessit, voloit quod bona sua ad valorem sex millium scutorum vel eirca asceodentia pauperibus et locis plis, a te iuxta voluotatem suam tibi soli antea significatam oominandis distlbuerentur, prout in dicto testamento plenius dicitur contineri. Cnm autem sicut eadem expositio snbiuogebat, tu qui, ut asseris, ordioem fratrum minorum de observantia expresse professus es, plurimom cupias bona hoiusmodi licite distribuere posse, ideo nobis bnmiliter sopplicari fecisti, ot votis tnis in praemissis aunuere de benignitate apostolica dignaremnr. Nos igitur dicti testamenti tenores praesentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi ut una cum pia aliqua saeculari persona per superiores tnos nominaoda, et cum interventu superioris domos dicti ordinis in qua degis, bona praedicta paoperibus et locis piis iuxta dicti Ioaoois Pauli voluotatem distribnere libere et licite valeas, apostolica auctoritate tenore praesentiom liceotiam et facultatem concedimus et indnlgemus. Non obstaotibus constitntionibus etc.

Datnm Romae apud s. Marcum die ix. Maii pontificatus nostri anno iv.

LVIII.

Ut suspendat introductionem fratrum recollectorum in regno Poloniae. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 174.

Venerabili fratri episcopo Fulginaten. apud charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae regem illustrem nostro et apostolicae sedis nuntio salutem et apostolicam benedictionem.

LIcet alias venerabilis frater noster Aotonius Maria episcopus Praenestiu. s. r. e. cardinalis Gallus nuncupatus, de maodato nostro scripserit venerabili fratri episcopo Regien. in isto qoo fungeris munere, praedecessori tuo, quod amplius uon erat iostandum, ut bulla reformationis ordinis fratrum mi-

norum de observantia extenderetur aut introduceretur in regnum Poloniae, et propterea ut episcopus omnibus petitionibus et tractatibus desuper habitis finem imponeret, cum ex gravium et fide dignarum personarum relatione cognovissemus eosdem fratres minores de observantia in dicto regno degentes primaevum eiusdem ordinis institutum retinuisse, et nihilominus nobis nuper expositum fuit de introducenda huiusmodi reformatione in dicto regno tractari, ac dilectum filium ministrum generalem eiusdem ordinis nostrae huiusmodi voluntatis nescium id mandasse, quapropter cum dictos fratres de observantia priori instituto servando divina adspirante gratia perseverare neque reformatione indigere cognoverimus, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut nihil circa praemissa innovari permittat, omnibusque et singulis etiam a praedicto ministro generali visitatoribus seu commissariis aut alio quocumque titulo ad praedictam reformationem in dictos fratres regni praedicti introducendam quomodolibet deputatis auctoritate apostolica inhibeas, ne in dicto negotio sub poenis arbitrio tuo irrogandis ullatenus se immisceant, prout nos tenore praesentium inhibemus, praecipimus et mandamus, irritumque decernimus et inane si etc. attentari. Non obstantibus praedicti ministri generalis quibusvis patentibus literis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die ultima Octobris pontificatus nostri anno IV.

LIX.

Adprobat fundationem conventus in oppido Montisopoli. Ex regest. secr. brev. in mense Decembri pag. 72.

Dilecto filio nostro Alexandro s. Laurentii in Damaso diacono cardinali Montalto nuncupato salutem et apost. benedictionem.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas et homines terrae Montisopoli in Sabinis iurisdictionis monasterii Farfen. nullius dioecesis, quod in commendam ad tui vitam ex concessione et dispensatione apostolica obtines, quod ipsi pro devotione qua erga s. Franciscum gerunt et spirituali eorum consolatione in territorio dictae terrae quasdam aedes commodas pro usu et habitatione duodecim ad minus fratrum cum ecclesia, campanili, hortis et hortalitiis aliisque officinis necessariis, de licentia venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium supra bono regimine civitatum status ecclesiastici deputatorum construi curarunt. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, dicti universitas et homines praedicti plurimum cupiant aedibus praedictis unam domum ordinis fratrum minorum reformatorum erigi, et in illam fratres ordinis huiusmodi introduci, ideo nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur universitatem et homines praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut in aedibus praedictis, si illas pro usu et habitatione duodecim ad minus fratrum commodas esse compereris, et ita pro divini cultus augmento et religionis propagatione expedire iudicaveris, unam domum regularem dicti ordinis apostolica auctoritate erigas, et in illam eiusdem ordinis fratres reformatos introducas, ac fratribus huiusmodi ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, praerogativis et indulgentiis quibus alii aliarum eiusdem ordinis domorum fratres quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, sine aliqua differentia uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant concedas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 11. Decembris pontificatus nostri anno v.

LX.

Indulget constructionem conventus in civitate Brixiae. Ex eod. reg. in mense Decembri pag. 285.

Venerabili fratri episcopo Brixien. salutem et apostolicam benedictionem.

Onerosa etc. Sane sicut accepimus dilecti filii communitas et homines civitatis Brixien. ob specialem illam consolationem, quam ratione exemplaris vitae dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum de observantia reformatorum, ac fructuum spiritualium quos ipsi fratres divini verbi praedicationibus et alias diversimode producere solent se recepturos prorsus sperant, peculiari

propterea devotionis erga eumdem ordinem zelo ducti, unam eiusdem ordinis domum regularem in dicta civitate erigi et institui summopere desiderent; nos piis christifidelium votis praesertim divini cultus et catholicae religionis, quam nostris potissimum temporibus ubique augere et augeri sincero desideramus affectu propagationem respicientibus libenter annuentes, supplicationibus tam dictorum fratrum quam civitatis et hominum praedictorum nominibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut in eadem civitate et loco ad id designato seu designando unam eiusdem ordinis domum regularem cum ecclesia, campanili, campanis, cappellis, altaribus, choro, claustro, refectorio, domitorio, hortis, hortalitiis, infirmaria et universis aliis officinis membrisque necessariis et opportunis pro usu et habitatione perpetui unius guardiani et competenti fratrum in ea pro tempore recipiendorum numero, qui inibi sub habitu et regulari observantia dicti ordinis Altissimo perpetuo famulentur, divinisque laudibus insistant, ac alias in omnibus et per omnia ad instar aliarum ipsius ordinis domorum regularium, servata tamen forma constitutionis fel. rec. Clementis papae VIII. praedecessoris nostri super hoc edita, et sine alicuius praeiudicio, auctoritate nostra apostolica perpetuo erigas et instituas, ac illi sic erectae et institutae, illiusque guardiano et fratribus praedictis, quod omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis et praerogativis, ac gratiis tam spiritualibus quam temporalibus, quibus aliae quaecumque eiusdem ordinis domus regulares et illarum respective superiores utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad earum instar sed aeque particulariter, et absque ulla differentia uti, potiri et gaudere possint et valeant, auctoritate praedicta concedas et indulgeas; non obstante eiusdem Clementis praedecessoris quae incipit: *Quoniam ad instituta* sub dat. Romae die XXIII. Iulii MDCIII. pontificatus sui anno XII. ac aliis constitutionibus etc. caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die XIV. Decembris pontificatus nostri anno V.

LXI.

Fit archiepiscopus Thuamen. in Hibernia. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 283.

Romae feria II. die 30. Martii in hortis quirinalibus fuit consistorium secretum, in quo

Reverendissimo d. card. Arigonio Hiberniae protectore referente, sanctitas sua providit metropolitanae ecclesiae Thuamen. in regno Hiberniae vacan. per obitum Iacobi Nelii ultimi illius catholici archiepiscopi ex romana curia a duodecim circiter annis ex naufragio defuncti de persona ministri provincialis eiusdem regni ordinis s. Francisci de observantia presbyteri etc. fidem ritu professi etc. cum condonatione iurium fructus taxati sunt in lib. cam. ad flor. 224. et secundum aestimationem possunt ascendere ad scuta 2000. sed quidam pseudoarchiep. ab Angliae rege deputatus fructus omnes occupat etc.

LXII.

Emmanuel Baptista Lusitanus instituitur episcopus Congi et Angolae. Ex eisdem actibus pag. 289.

Romae feria II. die 25. Maii in quirinali fuit consistorium secretum, in quo

Reverendissimo d. card. Paravicinio pro reverendiss. d. card. Farnesio referente ad nominationem regis catholici, sanctitas sua ecclesiae de Congo et Angola s. Salvatoris in Indiis orientalibus vacan. per obitum Antonii de s. Stephano providit de persona r. p. fr. Emmanuelis Baptistae ordinis s. Francisci de observantia presbyteri Bracaren. dioecesis sacrae theologiae doctoris, fidem rite professi etc. tax. flor. 33. 1/3. valor. cruc. 1500.

LXIII.

Bonaventura Secusius patriarcha Constantinopolitanus ab ecclesia Messan. transfertur ad ecclesiam Cathanien. in Sicilia. Ex eisdem actibus pag. 294.

Romae in monte quirinali feria IV. die 10. Iunii fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendiss. d. card. Millino, sanctitas sua ad supplicationem regis catholici absolvit r. p. fr. Bonaventuram ordinis s. Francisci de observantia patriarcham Constantinopolitanum ab ecclesia Messanen. et transtulit eum ad ecclesiam Cathanien. vacan. per obitum r. Ioannis Ruiz de Villoslada eum decreto ut antequam possessionem adipiscatur iterum fidei professionem emittat, et instrumentum ad romanam curiam transmittere teneatur, salvis pensionibus antiquis, et declaravit esse suffraganeam archiepiscopo Montisregalis tax. flor. 1200. valor. scutorum 24000.

LXIV.

Bartholomaeus de Gregoriis episcopus Pisauren. Ex eisdem actibus pag. 295.

Romae feria II. die 15. Iunii apud s. Petrum fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendissimo d. card. de Monte, sanctitas sua providit ecclesiae Pisauren. per obitum r. Caesaris de Benedictis vacan. de persona r. p. fr. Bartholomaei de Gregoriis ordinis s. Francisci de observantia Fanen. dioecesis presbyteri theologi etc. salvis antiquis pensionibus, et cum reservatione annuae pensionis scut. 500. pro persona nominanda etc. tax. flor. 300. valor. scutorum monetae 2000.

LXV.

Iubet ne fratres ad Indos missi, ad loca non eis destinata, declinent.
Ex bullario Cherubini tom. 3. pag. 245.

Ad futuram rei memoriam.

Accepimus non sine animi uostri molestia, religiosos qui religionis catholicae propagandae et alias in vinea Domini laborandi causa, ad Indiarum partes et certas illius provincias a suis superioribus delegantur, destinatas sibi provincias et loca non petere, verum vel in ipso itinere immorari vel alio deflectere, non sine religionis eiusdem dispendio et salutis animarum detrimento.

§. 1. Quare nos pro nostra pastoralis officii solicitudine omnium saluti intendentes, apostolica auctoritate tenore praesentium omnibus et singulis cuiuscumque ordinis et congregationis ac societatis regularibus personis qui ad partes Indiarum ad fidem catholicam praedicandam sive alia ecclesiastica ministeria exercenda, et in messem Domini operarii mittentur, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda praecipimus et mandamus, ut memores voti obedientiae per eos emissi, ad eas provincias et loca recta se transferrant, ad quae ab eorum superioribus missi fuerint, nec quovis praetextu absque eorumdem superiorum licentia (legitimo tamen impedimento cessante) in itinere immorentur vel ad loca eis non destinata declinent.

§. 2. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die viii. Iulii pontificatus nostri anno v.

LXVI.

Ne ad alios usus impendantur eleemosynae oblatae pro locis Terrae Sanctae. Ex reg. secr. brev. de diversis tom. 5. pag. 530.

Ad perpetuam rei memoriam.

Coelestis regis qui pro humani generis redemptione seipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem vices, licet immeriti gerentes in terris, inter graves officii uostri curas, hanc prae caeteris in visceribus gerimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem sunt, conserventur et ea qua decet, honorificentia recolantur et christifidelium eleemosynae in hanc causam pie erogatae in alios usus non distrahantur. Quocirca dilectis filiis generali ac provincialibus, ministris, commissariis tam de curia quam aliis quibuscumque, necnon custodibus, et guardianis aliisque officialibus et fratribus quibuslibet nunc et pro tempore existentibus ordinis minorum s. Francisci de observantia nuncupatis, aliisque omnibus et singulis ubique locorum degentibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, sub privationis vocis activae et passivae, necnon officiorum quae obtinent et obtinebunt, ac inhabilitatis ad illa et alia imposterum consequenda poenis ipso facto incurrendis, tenore praesentium perpetuo praecipimus et mandamus, ne perpetuis futuris temporibus, eleemosynae, quae propriis locis dictae civitatis Hierusalem erogabuntur, seu illarum partem quavis de causa, aut sub quovis

praetexto in alios usus etiam quantumvis pios convertant, verum eas pro dictis piis locis et eorumdem ministrorum usu fideliter conservent, et eorumdem locorum agentibus suis loco et tempore integre consignent et tradant, seu consignari curent at faciant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xiii. Novembris pontificatus nostri anno v.

LXVII.

Pro infirmaria conventus s. Mariae de Aracoeli de Urbe. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 525.

Ad futuram rei memoriam.

DEcet romanum pontificem ea quae ex charitatis zelo a piis christifidelibus pro infirmorum commoditatibus in locis praesertim regularibus facta fuere, ut eorumdem infirmorum perpetuis usibus conserventur prospicere. Cum itaque sicut accepimus dilectus filius magister Marcus Antonius Viperescus in utraque signatura nostra referendarius in domo Aracoeli nuncupata fratrum ordinis s. Francisci de observantia de Urbe unam cum viginti duobus cubiculis infirmariam pro eorumdem domus et ordinis fratrum infirmorum usibus dumtaxat suis sumptibus extrui curaverit, nos ne infirmaria ac cubicula praedicta ad alios usus habeantur omnibus et singulis dictae domus et ordinis superioribus et fratribus, ne illorum quispiam quavis auctoritate fungens etiam ministerii provincialis ac generalis dum valet, infirmariam et cubicula huiusmodi seu eorum aliqua in posterum absque rationabili causa et tunc quidem non ultra octo ad summum dies inhabitare, vel inhabitare facere aut permittere quomodolibet possit, audeat seu praesumat, in virtute sanctae obedientiae ac sub privationis vocis activae ac passivae, necnon officiorum suorum quorumcumque poenis ipso facto incurrendis, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo prohibemus, statuimus et ordinamus. Decernentes praesentes nostras literas validas etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxii. Septembris pontificatus nostri anno v.

LXVIII.

Adprobat ordinis privilegia a suis praedecessoribus concessa. Ex bullario Francisci Matritensis tom. 1. pag. 469.

Ad perpetuam rei memoriam.

INiuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut sacrarum religionum in militanti ecclesia suaves in Domino fructus assidue praestantium paternam curam gerentes privilegia, gratias et indulta illis a romanis pontificibus praedecessoribus nostris et apostolica sede concessa quo validius perpetuo subsistant, apostolicae confirmationis robore libenter communimus.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus a s. Ioanne Evangelista ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia in romana curia commissarius generalis, quod variae gratiae, concessiones, libertates, praerogativae, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultatesque et alia privilegia et indulta tam praedicto fratrum minorum quam s. Clarae, ac tertio de poenitentia nuncupato ordinibus illorumque superioribus, fratribus, monialibus et sororibus, ac utriusque sexus personis et monasteriis, et domibus, ecclesiis et locis quibuscumque dictorum ordinum nunc et pro tempore existentibus in genere vel in specie, etiam per modum communicationis sive extensionis privilegiorum, aliis tam mendicantium quam non mendicantium tunc existentibus ordinibus, eorumque domibus et ecclesiis, ac utriusque sexus personis concessorum, a nonnullis romanis pontificibus praedecessoribus nostris olim concessa et ab illis seu aliis, ac novissime quidem a fel. rec. Clemente papa VIII. etiam praedecessore nostro per suas in simili brevis forma literas sub datum XX. Decembris MDXCVII. pontificatus sui anno VI. desuper expedita, confirmata et approbata fuerunt, prout in praedictis et diversis aliis dictorum praedecessorum literis super concessionibus et confirmationibus huiusmodi etiam expeditis plenius continetur.

§. 2. Cum autem illa quae saepius auctoritate apostolica muniuntur, maiorem obtineant roboris firmitatem, et ideo, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ludovicus privilegia, gratias et indulta, aliaque praemissa per nos etiam apostolica auctoritate confirmari plurimum desideret, idcirco nobis eius nomine fuit humiliter supplicatum, ut desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ordines praedictos, ex quibus uberrimi in eadem ecclesia ad Dei omnipotentis laudem, et christianae reipublicae spiritualc commodum et utilitatem iam tum ab ipsorum ordinum primordiis profluerunt, et in dies profluunt fructus, specialis gratiae favore prosequi volentes et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quaecumque praemissa omnia et singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, spiritualia et temporalia etiam per modum communicationis et extensionis inter se et aliis ordinibus mendicantibus et non mendicantibus eisdem fratrum minorum de observantia, ac s. Clarae ac tertio de poenitentia ordinibus etiam in congregatione sub trium votorum substantialium professione et superiorum ordinis minorum de observantia praedicti obedientia degentibus, ipsorumque ordinum superioribus, fratribus, monialibus, sororibus ac utriusque sexus, etiam singularibus personis necnon illorum monasteriis, domibus, ecclesiis et locis quibuscumque in genere vel in specie et per solam signaturam, etiam vivae vocis oraculo ac alias per eosdem romanos pontifices praedecessores nostros, ac nos et sedem praedictam sub quacumque forma et expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata ut ultimo loco a dicto Clemente praedecessore confirmata cum omnibus et singulis in eis forsan contentis clausulis, decretis et declarationibus quibuscumque, necnon singulis desuper etiam pluribus vicibus confectis literis et in eis similiter contenta, et inde sequuta quaecumque illorum omnium tenores, formas, datas, effectus et decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur et in his inserta forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, auctoritate praedicta tenore praesentium in his omnibus videlicet, in quibus sacri concilii Trid. decretis ac constitutionibus et literis apostolicis ac decretis Clementis VIII.

nostri praedecessoris non adversentur, salvisque decretis dicti Clementis in favorem fratrum reformatorum factis remanentibus, perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, necnon illa etiam perpetuo et inviolabilis apostolicae nostrae auctoritatis praesidio communimus, ac perpetuum robur obtinere et firmiter observari, ordinibusque fratrum minorum regularis observantiae, ac s. Clarae et tertio de poenitentia nuncupato, huiusmodi etiam in congregatione sub obedientia eorumdem fratrum minorum, ut praefertur, degentibus, ac ordinum praedictorum superioribus, fratribus, monialibus etiam tertiariis nuncupatis ac domibus, ecclesiis et locis praedictis etiam per modum communicationis et extensionis huiusmodi suffragari, illisque uti, frui et gaudere quando et quoties opus fuerit, posse, debere, in iudicio et extra ac etiam in foro conscientiae in omnibus et per omnia, ac si specialiter et expresse eisdem fratrum minorum et s. Clarae, et tertio de poenitentia ordinibus concessae fuissent, decernimus, supplentes omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum etiam de iuris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum, forsan amissarum et alios quoscumque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

§. 3. Quocirca ven. fratribus Mantuano et Canariensi episcopis ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 1. Decembris pontificatus nostri anno v.

LXIX.

Ut in provincia s. Mariae Hungariae inducatur ordinis reformatio. Ex reg. secr. brev. in mense Decembri pag. 400.

Dilectis filiis ministro et fratribus ordinis minorum s. Francisci de observantia provinciae. s. Mariae in Hungaria salutem et apostolicam benedictionem.

Pastoralis officii etc. Cum itaque sicut nomine vestro nobis nuper expositum fuit, vos vero religionis zelo ducti regulam b. Francisci pure et plane iuxta illius literam et declarationem fel. rec. Nicolai III. et Clementis V. rom. pontif. praedecessorum nostrorum, ut veri filii b. Francisci observare, et propterea reformationem quae modum vivendi iuxta dictam regulam perscribit, et in Italia primum promulgata, ac postea ad alias regiones extensa fuit, in vestram quoque provinciam per nos introduci summopere desideratis, et in capitulo vestro provinciali eamdem reformationem suscipere decreveritis, nostris, vestris huiusmodi salutaribus desideriis ac piis precibus inclinati, supplicationibus etiam dilecti filii nostri Francisci s. r. e. cardinalis Strigonien. nuncupati, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictam reformationem seu simplicem vivendi modum iuxta puritatem regulae s. Francisci per literas piae mem. Clementis pp. VIII. praedecessoris nostri sub dat. die II. Octobris MDXCVI. approbatum, quarum tenores praesentibus pro expresso haberi volumus, in provinciam vestram s. Mariae in Hungaria nuncupatam apostolica auctoritate tenore praesentium introducimus et ad illam extendimus, ac extensam esse decernimus et declaramus, servatis tamen et servandis omnibus iis quae in literis nostris pro reformatis eiusdem ordinis generali ministro subiiciendis in

particulari statuimus et decrevimus. Quocirca nunc et pro tempore existenti commissario per provinciam vestram instituto, ac caeteris in posterum superioribus pro reformatis ibidem legitime instituendis praedictas literas modo supra a nobis expresso executioni demandandi, capitula celebrandi, fratres in reformationem admittendi, vosque ac vestram provinciam visitandi et reformandi, omniaque alia quae ad dictam reformationem introducendam, stabiliendam, et multiplicandam pertinere cognoverint, faciendi et gerendi. Insuper omnia loca seu monasteria pro reformatis in capitulo tam assignata quam assignanda, necnon per communitates, universitates et dominos temporales eisdem donanda et offerenda acceptandi ac in eis iuxta reformationem in literis supra expressam de fratribus disponendi et ordinandi, vestraeque provinciae uniendi et incorporandi licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus constitutionibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xi. Decembris pontificatus nostri anno v.

LXX.

Ut ob defectum inservientium possint haberi ad eumdem usum virgines Nigrae ac Indae christianae in monasterio clarissarum Cuscan. Ex reg. secr. brev. in menso Iunio pag. 107.

Dilectis in Christo filialibus abbatissae et monialibus monasterii s. Clarae ordinis s. Francisci civitatis Cuscan. in Indiis salutem et apostolicam benedictionem.

Expositum nobis nuper fuit nomine vestro, quod ex antiqua consuetudine a monasterii vestri fundatione observata inter claustra eiusdem monasterii virgines servientes hispanas et in earum defectu indas et nigras christianas tamen habere consuevistis. Verum cum de anno MDCIII. dilecti filii provinciales et definitores ordinis fratrum minorum de observantia, quorum curae et gubernio dictum monasterium, ut asseritis, subiectum extat, ordinaverint et praeceperint vos infra biennium tunc proximum ad sedem apostolicam pro obtinenda licentia indas huiusmodi ancillas retinendi recurrere, alias elapso dicto biennio illas eiicere teneremini, nec de cetero similes ancillas recipere possetis; vos vero iuxta consuetudinem praedictam quae in constitutione dicti monasterii fundata existit, et si abrogaretur plurimae in illis partibus perturbationes et scandala generarentur, easdem servientes indas et nigras retinere, ac de novo recipere imposterum posse desideretis; idcirco nobis humiliter supplicari fecistis, ut de opportuna ad id licentia vobis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et vestrum singulas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, vobis ut in praemissis antiquam consuetudinem observare valeatis, dummodo nullae aethiopes indae, vel aliae ancillae nisi christianae et virgines et ex his illae tantum, quae pro dicti monasterii servitiis necessariae erunt, arbitrio et de licentia superiorum recipiantur, nec illae semel receptae nisi ex iustissima causa eorumdem superiorum arbitrio eiiciantur, et

earum loco aliae, nisi sub eadem forma recipiantur, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die IV. Iunii pontificatus nostri anno V.

LXXI.

Pro christifidelibus Indiarum occidentalium noviter ad fidem conversis. Ex reg. secr. brev. lib. V. divers. pag. 247.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod in Indiis occidentalibus animarum pastores expedire in Domino censuerunt, et usu receptum est, ut Indi ad fidem catholicam recenter conversi sanctissimum eucharistiae sacramentum raro suscipiant; cum autem tam a nobis quam a praedecessoribus nostris romanis pontificibus variae indulgentiae christifidelibus concessae reperiantur et in dies concedantur, in quarum literis disponitur, ut pro iis consequendis non solum peccatorum confessio, sed etiam sacramentalis communio requiratur, saepe contingit, quod Indi praedicti indulgentiarum thesauro frui non possint; quapropter idem Philippus rex eorumdem Indorum nomine nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes quod indulgentiae ad christifidelium omnium animarum salutem et religionem augendam conceduntur, et idcirco ob praedictum institutum ad honorem Dei inductum, tanto bono Indi privari non debent, earumdem literarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, omnibus et singulis christifidelibus recenter ad fidem conversis Indiarum occidentalium, qui confessariorum iudicio ab eucharistiae sacramento suscipiendo tunc temporis abstinere debere videbuntur, cum pro indulgentiis consequendis sacramentum eucharistiae huiusmodi suscipiendum erit, ut etiamsi illud non susceperint, dummodo vere poenitentes et confessi alia omnia adimpleverint, quae in dictis literis indulgentiarum praescribuntur, quascumque indulgentias etiam plenarias, et peccatorum remissiones a nobis et praedecessoribus nostris concessas, et in posterum tam a nobis quam a nostris successoribus romanis pontificibus concedendas consequi possint et valeant, perinde ac si sacra communione huiusmodi reficerentur, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XXVIII. Aprilis pontificatus nostri anno V.

LXXII.

Concedit fratribus tertiariis congregationis Gallicanae conventum Sarlaten. Ex reg. secr. brev. in mense Decembri pag. 200.

Venerabili fratri episcopo Sarlatensi salutem et apostolicam benedictionem.

Alias fel. rec. Clemens papa VIII. praedecessor noster tam commissario generali ordinis fratrum minorum de observantia reformatorum nuncupat. quam omnibus et singulis aliis in regno Franciae provinciis, custodibus et aliis superioribus, ut omnia et singula loca tam ad usum claustralium redacta quam redigenda sibi ad effectum introducendi iuxta eiusdem Clementis praedecessoris constitutionem desuper editam, reformationem per communitates, universitates et dominos in temporalibus locorum in praefato regno existentium eis donanda, et assignanda acceptare, et in eis iuxta eorum reformationem degere et proximiori custodiae unire, et incorporare libere et licite valerent, apostolica auctoritate licentiam concessit et impartitus fuit, prout in suis in simili forma brevis sub die XV. Septembris MDCI. expeditis plenius continetur. Cum autem sicut dilectus filius modernus eiusdem ordinis commissarius generalis nuper exponi fecit, una domus ordinis fratrum minorum de observantia in civitate Sarlatensi provinciae Aquitaniae Recentioris existat, quae praeteritis bellorum iniuriis ita destructa fuit, ut vix pro trium vel quatuor eiusdem ordinis fratrum de observantia habitationes sufficeret, et si fratres huiusmodi ab eadem domo amoverentur, et dicta domus praefatis fratribus reformatis provinciae Aquitaniae Antiquioris concederetur et assignaretur, ex hoc praefatae domus restaurationi, ac civium et incolarum dictae civitatis spirituali consolationi consuleretur. Nobis propterea dictus commissarius generalis humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur religiosos ac alios christifideles sub suavi religionis iugo Altissimo famulari cupientes, quo melius et efficacius animarum christifidelium saluti et aedificationi prodesse valeant, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus ipsius commissarii generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati (maxime cum dilectus filius minister generalis dicti ordinis ad id suum consensum dederit) paternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut stantibus praemissis dictos tres vel quatuor fratres minores de observantia, si reformationis regulis se submittere recusaverint, a praefata domo amoveas et ad alia eiusdem ordinis regulares domos transferas, eorumque domum ab eis relictam cum ecclesia ac iuribus et pertinentiis suis universis, praefatis fratribus reformatis eiusdem ordinis provinciae Aquitaniae Antiquioris, quae provincia, ut asseritur, vicinior existit, auctoritate nostra consignes. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XV. Decembris pontificatus nostri anno VI.

LXXIII.

Ut immittat eosdem fratres in conventum de Bressiaco. Ex bullario lib. vi. pag. 346.

Dilecto filio officiali Ambianen. salutem et apostolicam benedictionem.

Ad sacram b. Petri sedem etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum superiorum reformationis tertii ordinis s. Francisci de poenitentia nuncupati petitio continebat, quod praeteritis annis ex iniuria bellorum tunc in regno Franciae et praesertim provinciae Picardiae quae exinde fere tota miserabiliter exarsit, vigentium, etiam domus fratrum dicti ordinis loci de Bressiaco alias Bressy Ambianen. dioecesis, quae olim in illis partibus valde insignis erat, et in quo non exiguus fratrum ipsius ordinis Altissimo sub suavi religionis iugo famulantium et assiduis verbi Dei praedicationibus cum maximo incolarum dictae provinciae fructu spirituali vacantium numerus degere consueverat, pene funditus eversa fuit, in eaque de praesenti duo vel tres fratres dicti ordinis dumtaxat reperiuntur, ipsaque domus restaurari et ad pristinum statum reduci nullatenus posse videtur, nisi de aliquo opportuno subsidio per nos et sedem apostolicam desuper provideatur. Quodque si ecclesia sine cura b. Mariae et s. Lamberti territorii dicti loci, quae ab eadem domo itinere unius medii milliaris vel circiter tantum distat, et hactenus in titulum ecclesiae collative erecta non fuit nec ab aliqua alia ecclesia seu loco pio dependet, fructibusque certis caret ac a quibusdam particularibus personis laicis nulla ad id saltem canonica facultate suffultis de eleemosynis dictae ecclesiae elargiri solitis eorum arbitrio disponentibus ad praesens regatur et gubernetur, domui ipsi seu dilectis filiis illius guardiano et fratribus una cum eleemosynis quae inibi a christifidelibus ecclesiam ipsam devotionis causa visitantibus pie elargiuntur, pro reparatione et restauratione dictae domus perpetuo concederetur. Ex hoc profecto votis superiorum reformationis huiusmodi qui ordinem ipsum in dicta domo cum primum restituere et reformare exoptant, satis opportuna ratione consuleretur, ipsaque domus huiusmodi eleemosynis adiuta facilius et celerius restauretur, necnon missarum et alia onera eidem ecclesiae incumbentia melius atque decentius quam antea supportarentur. Quare pro parte superiorum reformationis huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ecclesiam praedictam eidem domui, ut infra, concedere et assignare aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur singulares personas superiorum reformationis huiusmodi a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi de praemissis te diligenter informes, et si per informationem eamdem illa veritate subniti repereris, ecclesiam praedictam dummodo in titulum perpetui beneficii ecclesiastici erecta aut conferri solita non sit, cum omnibus et singulis eleemosynis inibi tam pro celebratione missarum, quam alias a christifidelibus eamdem ecclesiam pro tempore visitantibus pie elargiendis, auctoritate nostra perpetuo sine alicuius praeiudicio concedas et assignes, ita quod ei concessionem et assignationem huiusmodi per te vigore praesentium fieri contigerit, postquam factae fuerint, liceat guardiano et fratribus dictae domus pro tempore existentibus sub obligatione debitae supportationis missarum

aliorumque onerum eidem ecclesiae incumbentium corporalem, realem et actualem possessionem dictae ecclesiae per se vel alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, necnon eleemosynas inibi christifidelibus, ut praefertur, erogandas percipere, exigere, colligere et levare, ac in restaurationem et reparationem dictae domus aliosque illius ac guardiani et fratrum eorumdem communes usus et utilitatem convertere, praesentesque literas etc.

Datum Romae apud s. Petrum IV. calendas Aprilis pontificatus nostri anno V.

LXXIV.

Laurentius de Tabora minorita de observantia fit episcopus Funcalen. Ex actibus consist. ad hunc annum pag. 338.

Romae feria II. die 27. Ianuarii apud s. Petrum in aula paramentorum fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendissimo d. card. Farnesio cum cathedralis ecclesia Funcalen. in Indiis orientalibus vacasset per obitum Ludovici etc. eidem ecclesiae fuit provisum de persona Antonii etc. quo postea antequam consecraretur ei defuncto, rursus sanctitas sua eidem ecclesias providit ad nominationem serenissimi Portugalliae regis catholici de persona r. p. fr. Laurentii de Tabora de la Piedadord mendicantium s. Francisci presbyteri Ulixbonen magistri in sacra theologia etc. aetatis an. 40. etc. tax. 333. 1/3. flor. valor. duc. 2000.

LXXV.

Petrus Gonzales de Mendoza minorita de observantia fit archiepiscopus Granaten. Ex eisdem actibus pag. 364.

Romae in hortis quirinalibus feria II. die 19. Iulii fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendiss. d. card. Zapata sanctitas sua ad serenissimi regis nominationem metropolitanae ecclesiae Granaten. vacan. per translationem r. d. Petri de Castro ad metropolitan. ecclesiam Hispalen. providit de persona r. p. fr. Petri Gonzalez de Mendoza ordinis s. Francisci, eiusdemque ordinis commissarius generalis aetatis an. 40. cum reservatione plurium pensionum usque ad summam 1300. ducat. etc. tax. 2500. valor. 4000.

Digitized by Google

LXXVI.

Urget studium linguarum hebraicae, graecae, latinae et arabicae habendum a regularibus. Cherubinus in bullar. tom. 3. pag. 254.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae servitutis onere, infirmitati nostrae a Domino inscrutabili consilio eius imposito, assidue admonemur, sapientibus et insipientibus constitutos nos esse debitores, ut scilicet per ministerium nostri apostolatus, qui sapiunt, quod sanctus docet Bernardus, non desipiant, qui non sapiunt, sapiant, et qui desipuerunt, resipiscant, quibus verbis instrui nos satis perspicimus, ut fideles in fide et charitate conservare, infideles ab infidelitatis tenebris educere, et haereticos ac peccatores a perversitate erroris ac servitute peccati liberare, aspirante gratia Dei, a quo omnis sapientia pastorali solicitudine procuremus.

§. 1. Cum vero praeceptum Domini lucidum illuminet oculos ac testimonium eius fidele sapientiam praestet parvulis, omni vigilantia procurare debemus, ut praedicatores et doctores verbi Dei ad opus Dei operandum instructi reddantur in dies magis et portes suas, quantum cum Domino fieri potest, ad gloriam eius et utilitatem animarum quotidie melius et facilius adimpleant. Cui rei plurimum conducere satis constat linguarum cognitionem, hebraicae praesertim, graecae, latinae et arabicae; haec enim conversio infidelium opportunissima esse dignoscitur, quando magna eorum pars aut arabice loquitur aut intelligit: ac si unquam reliquarum trium linguarum notitia in ecclesia Dei utilis fuit, diebus nostris profecto utilissima est: hostis enim humani generis linguarum scientia singulari dono Dei hominibus tradita, ad ipsius largitoris contumeliam et fidei suae catholicae detrimentum nunc, ut cum maxime abutitur.

§. 2. Quamobrem fel. rec. Clementis papae v. praedecessoris nostri quantum conditio temporis patitur vestigiis insistentes, motu proprio et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, statuimus et ordinamus, ut in cuiuscumque ordinis et instituti regularium tam mendicantium quam non mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum et apostolicae sedi immediate subiectorum, studiis omnibus trium linguarum huiusmodi hebraicae videlicet, graecae et latinae, in maioribus vero ac celebrioribus etiam arabicae doctores, regulares quidem et eiusdem ordinis, si in illo harum linguarum sufficientem notitiam habentes, sint; sin minus saeculares aut alterius ordinis regulares, qui illas actu et diligenter doceant, habeantur, si studia in urbibus et locis existunt, ubi linguarum praedictarum peritos conducendi facultas est. Studiis vero locorum ubi huiusmodi doctores desunt, cum primum in aliis studiis ubi linguae huiusmodi docebuntur, scholares tantum profecerint, ut docendis aliis idonei sint, de iisdem scholaribus provideatur.

§. 3. Quod ut citius et facilius fieri possit, et sperati fructus ex linguarum huiusmodi studio appareant, omnibus et singulis regularium superioribus sub indignationis nostrae poena eadem auctoritate tenore praesentium praecipimus et mandamus, et si ipsi negligentes fuerint, eorumdem ordinum regularium apud nos et sedem apostolicam protectoribus iniungimus, eorum conscientias desuper onerantes, ut omni cura et solicitudine quanto citius provideant, ut

scholae linguarum huiusmodi quamprimum instituantur, ac doctores praedicti deputentur, earumdemque linguarum lectionibus scholares assignentur, qui illis sedulam et assiduam operam naveat.

§. 4. Hi vero scholares ut alacrius huic studio incumbant, volumus et decernimus, ut in promotione ad doctoratus gradus et ad alios sui ordinis honores illi caeteris paribus praeferantur, qui in cognitione trium saltem linguarum praedictarum profecerint ita, ut ad illas docendas apti sint.

§. 5. Non obstantibus etc. Nulli ergo omnino etc.

Datum Romae apud s. Marcum pridie calendas Augusti pontif. nostri anno VI.

LXXVII.

Indulget recitationem divini officii b. Coletae cunctis monialibus clarissis provinciae Belgii. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 20.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel. rec. Clemens papa VIII. praedecessor noster supplicationibus dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii s. Clarae ordinis eiusdem Gaudaven. inclinatus, de consilio ven. fratrum nostrorum tunc suorum s. r. e. cardinalium super sacris ritibus et caeremoniis tunc deputatorum, ipsis abbatissae et monialibus, ut officium in honorem b. Coletae de communi unius virginis anniversario die eius obitus singulis annis recitari, et eodem die missam in earum ecclesia in illius honorem pariter de communi unius virginis celebrari facere libere et licite valerent, auctoritate apostolica licentiam concessit et indulsit, ipsasque abbatissam et moniales officium huiusmodi dicto die recitando obligationi recitandi divini officii satisfacturas esse declaravit, et alias, prout in ipsius Clementis praedecessoris desuper in simili forma brevis sub datum die XXVII. Novembris MDCIV. pontificatus sui anno XIII. expeditis literis plenius continetur. Cum autem sicut nobis nuper expositum fuit nomine dilectarum etiam in Christo filiarum universorumque monasteriorum monialium reformatarum ordinis s. Francisci in omnibus provinciis Belgii existentium, ipsae quoque pro spirituali earum consolatione ac devotione quam erga eamdem b. Coletam ferunt, officium praedictum recitandi licentiam et facultatem sibi concedi plurimum cupiant, nobis propterea earumdem monasteriorum moniales humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur easdem moniales specialibus favoribus et gratiis prosequi earumque spirituali consolationi, quantum cum Domino possumus, benigne consulere volentes, ac monialium praedictarum singulas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon praedictarum Clementis praedecessoris literarum tenorem praesentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium sacris ritibus et caeremoniis praepositorum consilio, facultatem officium in honorem eiusdem b. Coletae de communi unius virginis anniversario die eius obitus singulis annis et in eadem die missam in earum ecclesia in illius honorem pariter de communi unius virginis celebrari faciendi praedicti monasterii abbatissae et monialibus a dicto Clemente praedecessore, ut praefertur, concessam, ad omnia monasteria monialium reformatarum ordinis s. Francisci in omnibus provinciis Belgii, ubi sunt monasteria eiusdem ordinis s. Clarae existentia, apostolica auctoritate tenore praesentium extendimus, necnon earumdem monasteriorum monialibus, ut in posterum officium in ho-

norem eiusdem b. Coletae de communi unius virginis anniversario die eius obitus singulis annis recitare et eodem die missam in eorum ecclesiis in illius honorem pariter de communi unius virginis recitare libere et licite valeant, auctoritate et tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur, necnon praedictorum monasteriorum moniales officium huiusmodi dicto die recitando obligationi recitandi divini officii satisfacturas esse declaramus.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die II. Septembris pontificatus nostri anno VI.

LXXVIII.

Concedit Artemisiae ab Auria ducissae Gandiae et uxori pro-regis Sardiniae secum habere confessarium suum Ioannem Rodriquez ex discalceatis fratribus. Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 440.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Artemisiae ab Auria ducissae Gandiae salutem et apostolicam benedictionem.

Tua in Deum pietas ac religio et singularis in nos et apostolicam sedem devotionis affectus promeretur, ut spirituali consolationi tuae, quantum cum Domino possumus, benigne consulamus. Cum itaque sicut nobis nuper exponi fecisti, te ad regnum Sardiniae cuius pro-rex dilectus filius nobilis vir Carolus de Borda dux Gandiae vir tuus, ut asseris, a charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico destinatus existit, conferre oporteat, cupiasque pro tua spirituali consolatione dilectum filium Ioannem Rodriquez confessarium tuum ordinis fratrum min. reformat. s. Francisci provinciae Valentin. cum alio eiusdem ordinis et instituti socio secum ducere, si nostra ad id tibi licentia suffragetur, nobis idcirco humiliter supplicari fecisti, ut tibi super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi ut ad dictum regnum Sardiniae praedictum Ioannem una cum uno socio eiusdem ordinis ducere; et quia, ut asseris, in dicto regno nulla praedicti ordinis domus regularis reperitur, quod ipse Ioannes cum eius socio extra domum eorum regularem in palatio suo seu alia habitatione per te illis assignanda degere, quamdiu dictus Carolus dux munere pro-regis huiusmodi fungeret inibi commorabitur, dummodo tamen permissus eiusdem Ioannis superiorum accedat assensus, libere et licite possis et valeas, ac ipse Ioannes et eius socius possint et valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XXI. Iulii pontificatus nostri anno VI.

LXXIX.

Pro Laurentio a Brundusio capuc. Ex bull. Michaelis a Tugio tom. 2. pag. 289.

Dilecto filio Laurentio a Brundusio fratri ordinis capucinorum salutem et apostolicam benedictionem.

Cum tu ad exercitum dilecti filii nobilis viri Maximiliani Bavariae ducis et aliorum catholicorum sacri romani imperii principum confoederatorum contra haereticos Germaniae comparatum, ut ibi spiritualia exercitia ad christifi-

delium in dicto exercitu militantium spiritualem consolationem et animarum salutem facias, de tuorum superiorum licentia et iussu nostro propediem accessurus sis, nos de infrascriptis spiritualibus gratiis prosequendum duximus. Propterea tibi ut quorumcumque christifidelium in dicto exercitu militantium confessiones audire, eosque ab omnibus peccatis et censuris ecclesiasticis in quibuscumque casibus etiam nobis et apostolicae sedi quomodolibet reservatis, etiam in literis die coenae Domini legi solitis contentis, in foro conscientiae tantum, iniuncta illis salutari poenitentia, absolvere; necnon eorum vota quaecumque (castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, ac illis sanctissima eucharistiae et extremae unctionis sacramenta ministrare; necnon missas super altari portatili in loco clauso et [illegible] in terra, cum debitis honore et reverentia celebrare; praeterea, ut aegrotantibus eiusdem exercitus plenius satisfacere valeas, quod tu, si opus fuerit, pro ipsorum aegrotantium necessitatibus in exercitu aut alibi eleemosynas petere, quae tamen penes syndicum aut procuratorem aliquem abs te eligendum conserventur, et in infirmorum necessitatibus exponantur ita, quod tu [illegible] eleemosynas nec recipias nec administres, nisi quatenus tua regula permittit: insuper, quod tu quandocumque ventum fuerit ad arma contra haereticos, catholicis et pugnantibus dicti exercitus nomine nostro benedictionem impendere valeas, suctoritate opostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus. Praeterea omnibus et singulis fidelibus de dicto exercitu, iis videlicet qui gratis militaverint, pro prima vice qua contriti et confessi sacram eucharistiam devote sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; stipendiatis vero militibus contritis et confessis sacram communionem devote sumentibus, prima vice decem annos et totidem quadragenas; omnibus vero tam stipendiatis quam non stipendiatis, ceteris vicibus quibus contriti et confessi communicaverint, quinque annos et totidem quadragenas qualibet vice. Item omnibus qui missis sermonibusve aut concionibus tuis, aut horis matutinis et vespertinis habendis interfuerint, toties quinquaginta dies de iniunctis eis seu aliis quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta relaxamus; in mortis vero articulo constitutis atque in praedicta expeditione vel pugna seu praeliis morientibus, contritis tamen, plenariam quoque omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam tu a nobis concessam esse pronuntiare poteris, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli anctoritate confisi, concedimus et impertimur; ne autem tu, dum aliis prodesse studes, animae tuae detrimentum patiaris, tibi ut propriam regulam observes mandamus, tibique, donec in dicto exercitu praemissis pietatis officiis fungendo manseris, ut ex defectu lenitatis, dummodo in alicuius mortem non opereris, nullam irregularitatis notam incurras, auctoritate et tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xv. Octobris pontificatus nostri anno vi.

LXXX.

Eleutherius Albergonius fit episcopus Montis Marani. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 442.

Romae feria II. die 14. Novembris in hortis quirinalibus in aula Paulina fuit consistorium secretum, in quo

Reverendissimo d. card. de Comitibus referente, sanctitas sua ecclesiae Montis Marani vacan. per translationem r. d. Marci Antonii ultimi illius episcopi ad ecclesiam Iernien. providit de persona r. p. Eleutherii Albergonii ordinis minorum conventualium s. Francisci Mediolanen. eumdem ordinem expresse professi, in sacro presbyteratus ordine constituti, et in sacra theologia magistri, atque provincialis ministri regionis suae etc. cum condonatione iurium etc.

LXXXI.

Sebastianus Brixianus fit episcopus Aurien. Ex eisdem actibus pag. 429.

Romae feria IV. die 17. Augusti in hortis quirinalibus in aula Paulina fuit consistorium secretum, in quo

Reverendissimo d. card. Zapata referente ad praesentationem serenissimi regis catholici, sanctitas sua ecclesiae Aurien. vacan. per obitum Michaelis de Canabal, praefecit in episcopum et pastorem religiosum virum fr. Sebastianum de Brizianis ordinis s. Francisci de observantia, in sacro presbyteratus ordine constitutum eiusdem regis concionatorem etc.

LXXXII.

Gregorius Carbonella fit episcopus Diocesareae. Ex eisdem actibus pag. 439.

Romae feria II. die 24. Octobris in hortis quirinalibus in aula palatii veteris fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendiss. d. card. Nazareno, sanctitas sua providit ecclesiae Diocesarien. in Cappadocia in partibus infidelium de persona religiosi viri fr. Gregorii Carbonellae de Paula ordinis fratrum minorum Cusentin. dioecesis sacrae theologiae professoris etc. cum retentione principalis abbatiae nuncupat. in ecclesia collegiatae s. Barbarae civitatis Mantuae, et cum condonatione iurium etc.

LXXXIII.

Ut ordinarii locorum voluntatem mulierum explorent, etiam in monasteriis regularibus subiectis, antequam ad habitum regularem suscipiendum atque ad professionem admittantur. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 139.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOmine venerabilis fratris Petri archiepiscopi Hispalen. nobis nuper expositum fuit, quod licet in monasteriis monialium eius iurisdictioni ordinariae subiectorum iuxta decretum concilii Tridentini archiepiscopus et eo absente vel impedito eius vicarius, virginis voluntatem exploret, an coacta an seducta sit, an sciat quid agat, antequam regularem habitum suscipiat et antequam professionem emittat, tamen in monasteriis monialium eiusdem civitatis et dioecesis regularibus subiectis antequam habitum virgines suscipiant, hoc minime servatur; quod cum concilii Tridentini praedicti decreto, quod pro libertate professionis virginum Deo dicandarum conservanda sancitum esse dignoscitur, adversetur, nobis propterea dictus archiepiscopus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur quibus maxime cordi est, ut sanctae religionis iugum rite et ordine ab omnibus praesertim ab infirmioris sexus personis subeatur, et voluntarie famulatum huiusmodi Deo exhibeatur, dicti Petri archiepiscopi vigilantiam plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium concilii Tridentini praedicti interpretum, quod de caetero perpetuis futuris temporibus etiam in monasteriis monialium civitatis et dioecesis Hispalen. regularibus subiectis puellarum duodecim annis maiorum quae regulari habitu induuntur, bis ab archiepiscopo seu eius vicario vel ab eis deputato voluntates explorare debeant, videlicet tempore susceptionis habitus et tempore professionis iuxta decreti concilii Tridentini praedicti tenorem, apostolica auctoritate tenore praesentium decernimus et declaramus. Quocirca eidem Petro moderno et pro tempore existenti archiepiscopo Hispalen. per praesentes committimus et mandamus etc.

Datum Romae apud sanctum Marcum die VII. Octobris pontificatus nostri anno VII.

LXXXIV.

Applicat quamdam legati partem minoritis de observantia Ferrariae. Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 277.

Venerabili fratri episcopo Ferrarien. seu dilecto filio eius vicario in spiritualibus generali salutem et apost. benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii guardianus et fratres domus s. Spiritus ordinis minorum de observantia Ferrarien. quod alias quondam Annibal Gianinellus in suo ultimo quod condidit et sub cuius dispositione decessit ab humanis testamento, quamdam dispositionem suam collegio presbyterorum

regularium societatis Iesu, et domui ordinis fratrum minimorum s. Francisci de Paula, necnon ss. corporis Christi, et s. Bernardini ac s. Luciae monialium monasteriis Ferrarien. reliquit ita, ut quilibet ex supradictis suam partem ex emolumentis, quae ex locatione dicta possessionis si locaretur, provenirent, seu minus ex illius fructibus habere; et sextam emolumentorum, seu fructum huiusmodi partem guardiano et fratribus praedictis annuatim durantibus mille annis dare deberent; subinde vero quinque religiones praedictae possessionem huiusmodi dilectis filiis capitulo et canonicis ecclesiae Ferrarien. pretio sex millium scutorum cum hoc, ut pretium ex venditione huiusmodi provenientes in emptionem aliorum bonorum stabilium pro rata quamque religionem tangere converterentur, de licentia sedis apostolicae vendiderunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, guardianus et fratres praedicti sextam eorum partem fructuum seu emolumentorum huiusmodi in emptionem bonorum stabilium seu censuum annuorum pro eo quod ipsi iuxta regularia sua instituta illorum incapaces existunt, convertere nequeant, et propterea sibi, ut infra, indulgere summopere desiderant, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos guardianum et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae frater episcope, seu discretioni tuae fili vicarie per praesentes committimus et mandamus ut praedictis guardiano et fratribus ratam eorum legati huiusmodi partem pro una vice tantum recipiendi illorumque in praedictae eorum domus seu illius ecclesiae constructionem convertendi licentiam apostolica auctoritate tenore praesentium concedas illisque desuper indulgeas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxii. Iulii pontificatus nostri anno vii.

LXXXV.

Pro fratribus tertii ordinis congregationis Gallicanae. Ex reg. secr. brev. in mense Martio pag. 91.

Ad futuram rei memoriam.

ONerosa pastoralis officii circa meritis licet insufficientibus nobis ex alto commissa postulat, ut ad statum christifidelium quorumlibet praesertim regularem vitam profitentium salubriter dirigendam operosis studiis intendentes, ea quae felici eorum gubernio prosperaeque directioni profutura noscuntur, provide statuamus et ordinemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Ut igitur ordo fratrum minorum reformatorum in regno Franciae felicioribus in die augeatur progressibus prospicere, ac ordinis et regni praedictorum fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et illorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem fratribus nunc et pro tempore in praedicto regno existentibus, ut in domibus suis regularibus et separatim a capitulis provincialibus sua capitula custodialia (constitutionibus tamen fel. rec. Clementis papae viii. praedecessoris nostri quoad eorumdem capitulorum celebrationem, in favorem omnium fratrum reformatorum editis in suo robore remanentibus) celebrare: quodque fratres de familia reformari cu-

pientes, ad reformationem propriae provinciae, si in ea sit introducta reformatio; siu minus ad reformationem provinciae vicinioris, quolibet tempore etiam extra capitula, petita tamen licet non obtenta a dilecto filio ministro provinciali licentia, convolare libere et licite respective possint et valeant, apostolica auctoritate et tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Insuper auctoritate et tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod omnia et singula in praefatis Clementis praedecessoris constitutionibus eorumdem fratrum reformationem concernentia, ab omnibus, ad quos spectat, observari, et quilibet provincialis in suis provinciis iisdem fratribus regnique Franciae reformatis tempore capituli provincialis domum unam regularem, in qua duodecim fratres de quotidie mendicatis vivere possint, in posterum dare debeant, idque in quinque proximis capitulis provincialibus celebrandis incipiendo a proxime futuro. Quibus finitis, provinciales non teneantur dare alias domos regulares, ita tamen quod in eadem domo sic concedenda guardianum nec familiam constituant, sed illam praefatis fratribus reformatis concedant, quorum erit illic de fratribus reformatis providere, et ad id omnes provinciales in capitulis praedictis recenter electi sub poena depositionis ab officio ac privationis vocis activae et passivae ad sexennium ipso facto incurrenda teneantur: praesentesque literas validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac praedictis fratribus reformatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus nostris in huiusmodi forma brevis sub die quarta Februarii MDCVII. expeditis literis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XI. Martii pontificatus nostri anno VI.

Digitized by Google

INDEX

RERUM NOTABILIUM

NOTAE ARABICAE PAGINAM

ROMANAE PARAGRAPHUM DENOTANT.

A

Digitized by Google

Digitized by Google

E

Digitized by Google

Digitized by Google

I

L

Digitized by Google

Q

R

S

Digitized by Google

INDEX REGESTI

CLEMENTIS VIII.

LEONIS XI.

PAULI V.

FINIS TOMI VIGESIMIQUARTI.

Assensu S. Officii die 11. Iulii 1859.

IMPRIMATUR

Fr. Thom. V. Airaldi Ord. Praed. Sacr. Theol. Mag. et Inq. Gen.

Die 20. Iulii 1859

VIDIT

Pro Viro Eminentiss. et Reverendiss. Archiep. Episc.

ANTONIO BENEDICTO ANTONUCCI

Canon. Sebastianus Petrelli.

371482

Digitized by Google